HISTORICO-THEOLOGICVS

LIBER BIPARTITVS:

Supremum Christi Sacerdotium, Institutionem eius Vicarij, Potestatem ligandi, atque soluendi eidem collatam, & non interruptam hæreditariam permanentiam Successorum eiusdem amplectens.

OPVS

Ex principijs Theologicis, Sacris Æcumenicis Concilijs, Epistolis Decretalibus, ac Sanctorum, tum Græcorum, tum Latinorum Auctoritatibus, contra Lutherum, Caluinum, cæterosque Hæreticos Protestantes dilucidè, ac tutè

ELVCVBRATVM.

AVCTORE

ADM. REV. PATRE MAGISTRO

PETRO THOMA PVGLISIO

CORIOLANENSI,

Art. & S. Theolog. Doct. Prou. Calabriæ, Ordinis Carmelitarum bis, & iterum Exprouinciali, & Generali Diffinitore; nunc Studiorum Conuentus Coriolani Præfecto, & Commissario Generali, nec non Illustriss. Archiepiscoporum Rossanensium Examinatore, Theologo, & in rebus S. Officij Consultore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI, Ex Regia Typographia Caroli Porsile 1700.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTMO. ET REVERMO. PRINCIPI

IOSEPHO

S. R. E. CARDINALI

SACRIPANTI,

Congregationis Concilij Præfecto, atque Vniuersi Carmelitici Ordinis Tutelari Vigilantissimo.

Frater Petrus Thomas Puglisius, Carmelitarum Calabriæ iterum, ac tertiò Exprouincialis, S. P. D.



D Te (Eminentissime Princeps) Opus hoc Dogmaticæ Theologiæ decemalibus vigiliis à me elucubratum; vt altius Regio patrocinio tuo sublimetur,

Digitized by Google

in lucem proditurum, confugit. Nec absre quidem factum oscitabundus mussitabit quisquam, vel obtrectator. Quandoquidem si (id quod res est) perduellibus Ecclesiæ Catholicæ in Sole cæcutientibus, lucem veritatis addit plurimam, Cœlum haud immeritò illud dixerint vniuersi. Cœlum sanè, eo quia si luminaria omnia, quæ Mundum lucificant, in Cœlo sunt, iuxtà illud Ecclesiastici (a) *Ego feci in Cœlis, vt oriretur lumen indeficiens*: Exemplo haud planè absimili, præcipua in Opere hoc, Eliani Instituti Sydera (nimirum Cyrillus Patriarcha Hierosolymitanus, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, Petrus Thomas Patriarcha Constantinopolitanus, Guido de Perpiniano, Maioricensis Antistes, & Inquisitor Generalis; Thomas Vualdensis, Malleus hæreticorum; Incognitus, nunc verò cognitus Michael Ayguanus; Ioannes Maria Verratus, Lutheranorum expugnator; Thomas Beauxamis, Osorum Ecclesiæ debellator, & Henrici III. Galliarum Regis Internuntius; Lezana Doctor peritissimus; Ioannes Sylueira Scriptor facundissimus; Ioannes Bachonius Scholæ Carmelitarum Princeps, & Assectæ eius omnes) tamquam in proprio Firmamen-

(a) *Cap.* 4.

Digitized by Google

mento collucent in perpetuas æternitates. Idcirco Eminentiæ Tuæ, quippè Sacro Herculi Cœlum hoc committi par fuit: inclyta cuius Ceruix rutilantes Stellas in Gentilitio Stemmate, veluti in fronte infixas gestat; atque totius Carmeliticæ Religionis Orbem adeò fæliciter sustinet, vt tantæ molis pondere nequaquam fractus, sis

Magnis non ausibus impar,
Fortior immò vigès, Cœlum ruentibus astris
Sustentare valens, fessumque remittere Atlantem.

Et Herculem te esse omninò video, haud equidem Gallicum, vt Poetarum finxere commenta; sed è Superis demissum: ea quidem ratione, quod nequaquam catenulis ex auro compositis, sed innoxio diuini Amoris præstigio, & nectareo penè de diuinis rebus, quod in ore Tuo abūdat, eloquio, vt olim de Cœlesti Manna Ibicus ait; πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντας πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν. Videlicet, omne delectamentum, & saporis suauitatem in se habente; Ad Te etiam si ferrea sint, mollita omnium corda protrahas.

E superis dixi; nec perperam, si Te eiusmodi arguit Lilium sobolis tuæ. Enimverò Lilium

Cœlesti semine natum. (a)

astruunt

(a) *Mond. simbol. lib.* 11. *cap.* 12 *num.* 74.

Digitized by Google

affluent plerique; quod vt Tibi ex omni parte conueniat, prætereo; nec enim fas mihi, quæ haud modestia tua patitur, proloqui. Dixerit tamen Mundi totius Arx Roma; quæ Te, vel in diuinis, vel domesticis rebus, vel in virtutibus omnibus exercendis, indefatigabili studio versantem, ad Herculis exemplum de Hydra, de Apro, & de Stymphalidibus, ideſt de vitijs omnibus triumphantem, respexit; (*Virtuti omnia parent*; *Virtus enim omnia vincit*, (a) Salustius inquit) & inter Ecclesiæ sydera iubar præferre splendidissimum, visus es. Iubar enim, & iure inquam; siquidem Hercules Ἡρακλῆς est? Ἡρακλῆς autem, qui ex Ἥρας ideſt Iunone, siue Aere, & κλέος nempè gloria componitur; quid præter Aeris gloriam sonat? Quæ verò Aeris gloria, præter Solis illuminationem, cuius recessu tenebrarum profunditate spiritus occultitur? Quod de Te intelligam, & Te Herculem, nempè Solem esse obfirmem. Etenim, si ad Herculis defatigationes duodenas respexèris; ea porrò signa Zodiaci duodena sunt, quæ calẽdari progressu Sol perlustrat; & totidem laborioſæ indolis tuæ studia referunt; quibus primò, tum in Philosophia, tum in vtriusque iuris stadio præter-

(a) *De bello Tugur.*

Digitized by Google

tergreſſus, ad ſupremum laureæ faſtigium euaſiſti. Secundo; Quod Subdatarium aliquando egeris. Tertiò; Rotæ Romanę Auditorem. Quartò Alexandri VIII. Prælatum domeſticum. Quintò; Quod in cauſa Leodienſi Conſiliarius fueris. Sextò; Et libellorum ſupplicum à Secretis. Septimò; Et Sacræ Congregationis Concilij Præfectus. Octauò; Et Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium Aſſeſſor. Nonò; Et Congregationis Immunitatis Synedrus. Decimò; Et Congregationis de Propaganda Fide, Fautor. Vndecimò; Et Congregationis Conſiſtorialis Auenionenſis, & Firmanæ Confeſſor. Duodecimò; Apoſtolici Hoſpitij, ſub titulo Sancti Michaelis, ſiti ad Ripam Tiberis, denique pius Cuſtos. Quid præter Zodiaci ſigna ſunt, per quę ex alijs ad alios honores gradum feciſti, Tequę verè Ioſephum (*filium nimirum accreſcentem*) vt Hæbraica Dialecto ſonat (a) adamuſſim demonſtraſti? Iccircò apud tres Romanos Pontifices in dignatione maxima habitus, inter Vrbis, & Orbis Principes domùm cooptatus fuiſti. Et quidem iure optimo, inquit Cyprianus, (b) *Quia ad Epiſcopatũ non ſubitò peruenisti, ſed per omnia Officia Eccleſiaſtica promotus,*

in

(a) *Geneſ. cap. 49.* (b) *Lib. 4. epiſt. 2. ad Antoninum.*

Digitized by Google

& in diuinis administrationibus Dominum semper promeritus, ad Sacerdotij fastigium cunctis Religionis gradibus ascendisti. Verùm enim verò, Purpura amictus, quid quæso, nisi illius Iuliani Augusti more, ad astantes ille; Tu verò ad temetipsum conuersus, hunc pronunciaueris Homericum versum.

ἦλθε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιὴ

Videlicet, hora illa, qua Princeps Ecclesiasticus Purpura amicitur, non amplius sibi, vel suis; sed soli Deo, eiusque Ecclesiæ, cuius in terris causam sustinet, viuere debet; sicuti ex effectibus in Te hoc totum liquet. Propterea tam benè collata dignitas humeris tuis sedet, vt de Te dictum existimem, quæ de Posthumiano Principe Nazianzenus dixerat; *In sublime euectus es, haud iudita mediocri Principatuum gloria.* Imò *ipse, si quod verius est, dicendum est, haud modicum Principatum sublimem reddidisti. Supremam nactus es potestatem: Non est hoc fortunæ munus, sed hanc potestatem, tamquam virtutis præmium adeptus es, vt & ipsa reddenatur glorioſior, & Rex* (nempè Summus Pontifex) *propter iudicij sui de te sententiam, laudem acquireret.*

Sanè enim Purpura ista, qua te Innocentius

Digitized by Google

tius XII. induit, ſupra quam credibile eſt, ex ingenti virtutum tuarum numero rutile ſcere viſa eſt; vt an Tibi ornamento fuerit, vel ornamentum ex Te mutuauerit, adhuc ſit in ancipiti. Quapropter pro eo quanti te Romanus Pontifex fecit, nulli rectius, quam Tibi, pro Eliano Inſtituto Propugnationem deferendam iuſſit; nec quidem temerè: Quippè vt vni Ioſepho Virginem procurare, à Deo datum fuit; ita & Alteri, ſcilicet Tibi, Virginis ipſius primogenitus Ordo tuendus, Papa Dei Vicario iubente, permitteretur. Gaudeant ideò, atque iterum gaudeant Carmelitæ, tam eximium, tam præclarum ornamentorum ſuorum Vindicem aſſecuti. Siquidem, vt cum Plinio loquar: *Communicato Imperio ſollicitior Tu, ille ſecurior factus eſt*. Tam rarum hoc, & ſingulare Patrocinium præſens Ætas admiratur, Poſteritas prædicabit, Sæcula cuncta laudibus ad Cœlum tollent. Non me latent tot animi tui admirabiles dotes. Tuam equidem in ſacris frequentiam, piumque in precibus affectum omnes norunt. Et in officijs ſedulitatem, & in miniſterijs ſolertiam ſciunt; quæ Te virum præſtant omnibus admirandum.(a) *Regium profectò animum gerit,*

(a) *Lib. 1. de erudit. inter homin. p. 1. c. 2.*

Digitized by Google

rit, (inquit Riccardus Victorinus) *qui deſiderijs ſuis imperare, & exercitia pro deliberationis arbitrio diſponere consueuit.* Ingenio equidem miror Te ità æquanimi, & blando, vt in te ſupercilij labem nullam reprehenderit quiſquam. Ea prudentia Te, tuaq; moderaris, vt cum Gotiade, Πρᾶττε ἀμετανοήτως, nequaquam quorum Te pœnituerit egeris. Quas porrò, & quidem præclaras animi tui virtutes, alterum ſtemmatis tui gentilitium Lilium indicat. (a) *Lilium* (ait Theodoretus) *tum exteriori decore ſplendet, tum aureum intus floſculũ continet. Talis eſt anima iuſtitiæ ſplendore circumdata, & ſpirituale ſapientiæ, cognitioniſq; donũ in intimis penetralibus geſtans.* Quæ autem ex ijs bona expectanda non ſunt? Quæ item ex pietate eximia, qua Deum colis? Quæ ex præcelſa charitate, qua beneficum, & facilem Te omnibus exhibes? Quæ ex virtutum omnium apice, iuſtitia ſcilicet tua, qua rectum tenes, non ſperandum? cuius egregium ſpecimen in cauſſis totiès dediſti. Quæ de indefatigabili ſtudio tuo dixerim, qui tot munerum tuorum incommodis, atque Orbis penè vniuerſi negotijs neutiquam langues, quin ſpiritus agendo conualeſcit, refloret mens, & vire-

ſcit,

(a) *In cant. 22.*

Digitized by Google

ſcit, vt laudibus tuis recenſendis in principio ſemper Oratio ſit? Huiuſmodi finis exordium aptiſſimum erit, quo in Oratione pro lege Manilia vſus eſt Cicero. *Illud in primis mihi latandum iure eſſe video, quod dicendi cauſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe poſſit. Huius autem orationis difficilius eſt exitum, quam principium inuenire.*

Hæc planè ſunt, Eminentiſſime Princeps, quę meum hoc euigilatum opus Tibi inſcribendum egerunt; nimirum, vt ex fauſtiſſimo Nomine tuo quod in fronte geſtaret ornamentum, & quidem maximum aſſequeretur. Ad hæc tum beneficia plurima Ordini meo collata accedunt; tum quod quæcumque in libro ipſo aguntur, à Sacra Scriptura, vel ſano alio iure definita ſunt; vel à Sacris Oecumenicis Concilijs declarata: Iccircò Eminentiæ Tuę, quippè Iurium omnium Emporio, & Sacræ Congregationis Concilij Anteſignano, iure meritò ſtatuendus fuit. Ipſum igitur erugata fronte, qua doctiſſimorum animos recreas, in obſequioſiſſimi animi mei teſſeram, hilariter accipe; quandoquidem, (a) *Non minus Regium, ac humanum eſt parua libenter, promptèque accipere, quam magna tribue-*

(a) *Plutarc. in epiſt. ad Troianum.*

Digitized by Google

re; non eo quidem nomine, quod meritis tuis respond eat, quippè qui tot virtutibus effulges, sed quod licet exiguum, ampliori ingenio Principi, monumentum; testem tamen deuotissimi animi mei pro virili locupletem.

Munere in exiguo, animus ostenditur amplus.

Vale Purpuræ decus, & ad perpetuam Religionis Carmeliticæ Tutelam, Elianos potius, quàm Nestoreos annos viue.

AMI-

Digitized by Google

AMICO LECTORI.

Miraberis fortè, Amice Lector, inter tot, & tot Sapientiſſimos Scriptores, tàm titulis, quàm eorum exaratis operibus Eminentiſſimos, de hac re, diuite vtrinque vena centuriatim agentes: me vnum, concertationibus ſcholaſticis, rebuſque hiſtoricis haud ſatis aſſuetum, rem ipſam viribus meis quoquouerſum imparem, auſiſſe rudi minerua etiam attingere. Fatebor tamen ingenuè: Dilectiſſimæ Matri, cur filius obſequentiſſimus non inſeruiat, aut in vindicandis eius calumnijs, Apologeticis diſſertationibus, non ſe totum deuoueat? Si Vnigenito ſuo, ita ait Tobias. Honorem habebis Matri tuæ, omnibus diebus vitæ tuæ. *Cumque Mater noſtra ſit Sancta Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana, ab Hæreticis Donatiſtis, Valdenſibus, Huſſitis, Vuitclephiſtis, Lutheranis, & Caluiniſtis, adeò perperam ſatyris, & ſarcaſmis impetita, vt auſi ſint omni conatu eius Caput viſibile, nempè Romanum Pontificem in ius trahere, & vſurpati oecumenici Principatus reum oſtendere: ipſa, ad coercenda illorum deliria, ſic ex vna parte inclamante:* Si Ego Mater tua, vbi eſt honor meus, vbi obſequia in plurium ædificationem? apprehende igitur

igitur arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. *Et ex altera, Diuo Auguſtino ita ſuadente* : (a) Amemus ergo Dominum noſtrum, amemus Eccleſiam eius: Illum ſicut Patrem, Iſtam ſicut Matrem. Tenete Chariſſimi tenete omnes Deum Patrem, & Eccleſiam Matrem.

In argumentum igitur debitæ meæ obedientiæ, & ſeruitutis, ad detundendam S. Matris Eccleſiæ perduellium inſaniam, & cæteris oſtendendam ipſorum imprudentiam, & arrogantiam, calamum ardenter ſtrinxi, & eo ſtylo, & ordine, quo potui, hunc bipartitum librum euigilaui; Cuius primam partem voco Theologicam, ſiue quaſi dogmaticam, cum ipſa talis ſit, & exinde (relictis rationibus Metaphyſicis, abſtractis, ſubtilioribus, & Scholaſticorum Pemmatibus) Tum de Chriſto Mediatore, & Sacerdote: tum de Chriſto Summo Pontifice, & Capite Eccleſiæ: Item de Chriſto inſtituente in terris ſuum Vicarium, nè Eccleſia ob ſui abſentiam videatur anacephala; ac de poteſtate tandem ſupradicti Vicarij, dilucidè, ac ſummatim in quatuor quæſtionibus aget. Secundam verò partem voco Polemicam, ſiue Streperam: hac ductus ratione; quiâ cum ſtrepitu tuendæ auctoritatis Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, tam Hæreticos Proteſtantes de ipſa male ſentientes, prauia Sacra Scriptura, acerrime exagitat: quam cæteros ſcholaſticos à ſuis infra numerandis quæſitis, ſolidiſſimis rationibus etiam eliminat. Contra autem rationes, *inquit Auguſtinus*, nemo ſobrius; Contra Scripturas, nemo Chriſtianus: Et contra Eccleſiam, nemo pacificus ſenſerit.

In his porrò omnibus partibus, dicendi genus ſequor, nec barbarum, & rude: nec exquiſitum nimis, & comptum, inflatum, aut certa periodorum menſione ad pompam ſtudiosè compoſitum: ſed purum, nitidum, & facilem, cuius intellectum labore modico vnuſquiſque attigerit; Siquidem, vt ait in Octauio Minutius Felix: Illuſtrior ratio eſt, quæ non

(a) *In narrat. Pſal.* 88.

Digitized by Google

non fucatur pompa facundiæ, & gratiæ: ſed vt eſt recti regula ſubſtinetur. *Propterea Græcumlatinum in hoc libro, minimè me reperies; quia vt cum Auguſtino citato, contra Petilianum, loquar*: (a) Et Ego quidem Græcæ linguæ parum aſſecutus ſum, & prope nihil. *Sed tantum germanam Reſolutiſſimi Doctoris Ioannis Bachonÿ, Scholæ Carmelitarum Principis Doctrinam, à ſuis Diſcipulis, nempè, Sylueſtrano, Maraſcha, & Zagaglia ex ipſo excerptam, & perdoctè exaratam, me profitentem inſpexeris; ipſamque referentem in hoc opere; de quo, licet plures Doctores celebres prolixè, & enucleatè tractauerint; ſcribendi tamen ratio, mihi tanquam hypodidaſculo, non prohibetur: quia vt ſupradictus S. Auguſtinus teſtatur.* (b) Non omnia, quæ ab omnibus ſcribuntur, in manus omnium veniunt: & fieri poteſt, vt nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos pleniores non inueniant libros, & vt in iſtos ſaltem incidant. Ideoque vtile eſt, plures, ac pluribus fieri diuerſo ſtylo, & non diuerſa fide, etiam de Quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.

Ipſum igitur bipartitum Volumen à me elucubratum, quod Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ iudicio, & correctioni, humili obſequio ſubÿcio, Tibi etiam amanter exhibeo, Lectori Amico, vt benignitate qua polles, ipſum attentè legas, & quæ in ipſius ſtudio ignorantiæ vitio, malè parta, vel minus ritè elaborata inuenies, Chriſtiana potius pietate, quàm Ariſtarchorum ſtimulo, religiosè corrigas: Si verò bonum aliquod animaduerteris; Ipſum bonorum omnium largitori, à quo cuncta bona procedunt, omnino tribuas; Siquidem ex ipſius diuina liberalitate gratis accepi: Et vnde flamina exeunt, reuertuntur. *Ipſique tandem tuis orationibus me commendes, Catholicorum ſuffragÿs maximè indigentem. Et interim, ſi vita ſuperſtes fuerit, etiam*

Phi-

(a) *lib. 2. c. 38.* (b) *1. de Trinit. c. 3.*

Digitized by Google

Philoſophiam integram Reſolutiſſimi Bachonÿ, ordine ſcholaſtico concinnatam, expecta. Viue, & Vale.



Vitæ

Digitized by Google

Vitæ Resolutissimi Doctoris Ioannis Bachonij Scholæ Carmelitarum Principis.

EPITOMA

Ex varijs eius Scriptoribus; præsertim Ioanne Pitseo, *de Illustribus Angliæ Scriptoribus, ætate 14. sub anno 1346.* deprompta.

IOannes de Baccone, (inquit Pitseus) *ex Baccendorpio in Scorfolcensi Regione Pago natus, & non longè à natalitio loco, in ipsa adolescentia Carmelitanus Monachus in Cœnobio Nigrensi, vulgò Blachneij, quinque circiter passuum millibus à Vualsingamo, vt scribit Lelandus, intra priuatos parietes, sub optimis Ordinis sui Magistris itteras humaniores, disciplinam Monasticam, omnemque pietatem, atque virtutem humiliter didicit. Tandem ingenij specimen tantum dedit, vt ijs, quorum regimini subijciebatur, expedire visum sit, eum Oxonium ad altiora studia capescenda mittere. Illic igitur Philosophicum cursum terminauit, Theologicum inchoauit. Sed indè missus, Lutetiam perrexit, vt quæ in Patria feliciter incæperat, apud exteros felicius perficeret, & finiret. In omnibus nullius bonam de se opinionem conceptam fefellit, imò omnem planè omnium spem longè superauit. Ibi vtriusque Iuris, & Theologiæ Doctor creatus est, admirantibus omnibus stupendum hominis ingenium, multiplicem doctrinam, & solidum iudicium. Omnes Auerrois sententias mordicus tenuit, & illius schola suo tempore, quasi Princeps haberi voluit. Cognomentum etiam accepit Doctoris Resoluti.* Hæc Pitseus.

Sed quo numero anno Lutetiam deuenerit, ibique Philosophiam, & Theologiam publicè cæteris enucleauerit, licet huc vsque ignoretur; Annus tamen 1320. aut 21. non incongruè existimatur; eo quod, vt ipsemet Pitseus refert, *Post cursum Parisijs collecto ibi vndique instar apis sedulæ dulcissimo scientiarum melle, in Patriam reuersus est, & non multò*

Digitized by Google

post tempore, anno Domini 1329. Londini in publico suorum Conuentu communibus omnium suffragijs in Prouincialem totius per Angliam Ordinis ordine duodecimo electus est. Ante ipla igitur Comitia Prouincialia, videlicet anno 1320. vel saltem 1321. post D. Thomam, & Scotum (quorum sententijs ità tutè occurrit, & in sua solidè sistit, vt nomen Resoluti obtinuerit) in Sorbonensi facultate munus lecturæ suscepit, & ideò tertia post illam Angelici Doctoris, & subtilissimi Scoti, Schola Bachonij à P. Magistro Blasco nuncupatur (a) *Nomen verò fluuij tertij Tigris*, hoc est Augustus; & celer ex Iosepho; *tertiam Bachonistarum Sholam excitat, cuius sectatores Carmelitæ; Princeps Ioannes de Bachonio, Doctor Resolutus, & Auerroistarum Princeps, qui eius breui, succinto, & limato stylo, celeri calamo magnas, altissimas, & profundas difficultates toti Ecclesiæ dilucidauit.* Hactenus Blascus.

Cui Dominicus Grauina, & Archangelus Gianius Seruita arridere videntur. Grauina quidem. (b) *Huiusmodi Scholæ Princeps Sanctus Thomas, Scotus, Ioannes Bachon, stabilitis suis principijs, consequenter procedunt in tota doctrinæ traditione.* Gianius verò ita. (c) *Huiusmodi doctissimi Lectores Parisienses tantum nomine proprio Ioannis Duns, Scotus, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Ioannes Bachonius, & huiusmodi puris nominibus nuncupabantur.*

Cæterum, vt ad Bachonium reuertar, *Post quartum annum sui Prouincialatus* (subiungit Pirleus) *Romam vocatus est super grauissimis de matrimonio dubijs. Et tunc cepit fama hominis apud Italos vti prius apud Gallos, magis, magisque in dies clarescere. Erat quidem vt alter Zaccheus, statura pusillus, sed ingenio magnus, vt mirum sit, in tam exili corpusculo tantas habitasse virtutes, & naturam in tantillo homuncione tam sublime collocasse ingenium.*

Post Italiam, & Galliam peragratam, ad propria reuersus, terris moritur, Cælis victurus. Tam ingentia scripsit volumina, vt

(a) *Tom. 1. philosoph. in præfat.* (b) *Lib. vox turt.* (c) *Annal. Seruit. centur. 1. lib. 5. cap. 14.*

Digitized by Google

vt corpus non tuliſſet, quod ingenium protulerat, nam ſi moles librorum eius compoſita ſarcina Auctoris humeris impoſita fuiſſet, homulum ſine dubio comprimere ſuffeciſſet. Ex illo Ordine (quantumuis Doctiſſimorum Carmelitarum) ferax Anglia vix huic vnquam produxit parem, imo vix Chriſtianus Orbis illa ætate doctiorem. Nemo doctius confundebat Iudæos: nemo neruoſius confundebat Turcas, vel quoſcumque infideles: nemo felicius expugnabat Hæreticos, nemo ſolidius Chriſti veritatem dilucidabat: nemo manifeſtius Antichriſti falſitatem, & impoſturas detegebat, ſuiſque coloribus depingebat: nemo ſubtilius difficiles nodos ſoluebat: nemo clarius Sacræ Scripturæ loca explanabat, & ſenſus reconditos, & arcana myſteria dilucidius aperiebat: tales enim laudes ei, non immeritò Paulus Panſa Doctor Italus. Sed quid hominis virtutes omni laude maiores hic laudare aggredior? loquantur pro Authore operæ eius, & illis præbeant copioſam laudandi materiam, qui de eo prolixam laudationem inſtituere cupiunt. Satis nobis eſt dicere, eum ſuis ſcriptis apud omnem poſteritatem tam immortalem famam eſſe conſecutum, vt illam nulla vnquam delere obliuio, vel obſcurare valeat vetuſtas. Vnde, vt inquit ille,

Caſurum nullo tempore nomen habet.

Ita Pitſeus à nobis relatus.

Quæ autem, vel quot volumina à tanto ſapientiſſimo Bachonio conſcripta ſint, quia laborioſum eſt, ſingula recenſere; omiſſis librorum initijs, quæ ſupradictus *Pitſeus* etiam refert, cætera ex *Lezana* (a) ita ſummatim perſtringemus; ſcripſit.

In vniuerſam Sacram Scripturam, libros nonaginta.

De Æternitate Dei, librum vnum.

In Sanctum Auguſtinum de Ciuitate Dei, libros 22.

De Trinitate ex Trithemio 23. & iterum de Trinitate libros 15.

In D. Anſelmum de Incarnatione Verbi Dei librum vnum, cur Deus Homo, libros duos.

De Fide, & Baptiſmo, librum vnum.

(a) *Tom. 4. ad ann. Chriſti 1346.*

Digitized by Google

Sermonum libros tres.
De Aduentu Meſſiæ, librum vnum.
Compendium Legis Chriſti, librum vnum.
De Dominio Chriſti, librum vnum.
De Paupertate Chriſti, librum vnum.
De Conceptione Mariæ, librum vnum.
De Ceſſatione Legalium, librum vnum.
De Regulis Chriſtianæ fidei, librum vnum.
Compendium Vitæ Chriſtianæ, libros quatuor.
De peccatis, & remedijs, librum vnum.
De Dignitate Eccleſiaſtica, librum vnum.
De perfectione Iuſtitiæ, librum vnum.
De Sanctificatione Feſtorum, librum vnum.
In Canones Pontificum, librum vnum.
De generali iudicio, librum vnum.
De Beatorum viſione, librum vnum.
Quod in Cælo ſit laus vocalis, librum vnum.
In Magiſtrum Sententiarum, libros quatuor.
Quæſtiones ordinarias, librum vnum.
Placita Theologica, libros tres.
De Determinationibus, librum vnum.
De Iuriſdictione Clauſtralium, librum vnum.
Tractatus de ſuo Ordine, librum vnum.
Speculum Carmelitarum, librum vnum.
In Regulam Carmeli, librum vnum.
Compendium Iurium Carmelitarum, librum vnum.
De non ducenda fratria, librum vnum.
Contra ſuperſtitiones, librum vnum.
Contra vanitates Seculi, librum vnum.
Contra Idolatriam, librum vnum.
De ſphæra Iudiciali, librum vnum.
De Aſtrorum ſcientia, librum vnum.
Contra Ioannem de Poliaco, librum vnum.
De Iudeorum perfidia, librum vnum.
Rationes contra Iudæos, librum vnum.

In

Digitized by Google

In vniuersam Philosophiam Aristotelis, libros octo.
In Prædicamenta Aristotelis, libros tres.
In Topicam, libros quatuor.
In Elenchos, libros duos.
De Sophismatibus, librum vnum.
In Aristotilem de Anima, libros tres.
Quæstiones de potentijs Animæ, librum vnum.
In Metheora, libros quatuor.
De Generatione, & Corruptione, libros duos.
De Sensu, & Sensatu, libros duos.
De Multiplicatione Specierum, librum vnum.
De Motu Animalium, librum vnum.
De Memoria, & Reminiscentia, libros duos.
In Politicam Aristotelis, libros octo.
In Ethica ad Cancellarium, libros duodecim.
In Metaphysicam, libros duodecim.

Ex qua longa (subiungit Lezana) *& prolixa librorum à Bachonio nostro editorum serie, non incongruè elicitur, ipsum inter maiores totius Ecclesiæ Scriptores iure nominandum fore.*

Quia autem in quouis seriem hanc librorum legente, & considerante, statim dubietas oriri potest, quare cum tot à Bachonio conscripta fuerint, sola ipsius pauca typis exposita cernantur? his offerendis Lezana ita occurrit. (a) *Nec refert, quod non omnia, sed pauca, videlicet* in quatuor libros sententiarum, & Quodlibeta, *ac etiam secundum Biscaretum, opus illud appellatum,* Compendium legis Christi, *typis mandata reperiantur; eo enim tempore, quo Bachonius scribebat, Ars typographica in Orbe non extabat, & plura istorum operum hæresis, & schisma Anglicum absumpsere. Aliqua nihilominus ipsorum in Bibliothecis, & Archiuijs, præsertim Ordinis nostri, manuscripta membranis etiam cernuntur. Prout de Commentarijs in epistolas aliquas D. Pauli habet Biscaretus* in suis Palmitibus Vineæ Carmeli, *dum de eis loquitur dicens*: In Archiuio Parisiensis nostri Collegij vidi Codicem manuscriptum mem-

(a) *Sup. num. 7.*

Digitized by Google

membranis cartis, in cuius principio desunt aliqua folia, & in fine est huiusmodi nota. *Explicit lectura Reu. Magistri Ioannis Bachonij Angli Ordinis Carmelitarum, Magistri in sacra pagina egregij Parisiensis, quam condidit super prædictas Epistolas Pauli Parisis ad Romanos Corinthiorum 1. & 2. ad Galatas, ad Hæbreos. Infra etiam loquens de Conceptione, inquit.* Hic liber extat Sinemuri in Burgundia, in nostra Bibliotheca; cui coniuncti sunt item de Conceptione, Francisci Martini, & Michaelis de Bononia Carmelitarum libri manuscripti. Et Bachonis opus sic habet. *Ego Frater Ioannes Bachonis Magister indignus in sacra pagina, Ordinis Fratrum Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in hoc tractatu de Sanctissima prima Natiuitate, seu Conceptione B. Mariæ per decem particulas procedere intendo.* In fine verò est talis nota. *Explicit tractatus breuis de Conceptione Virginis Matris Dei, compilatus per Fratrem Ioannem Bachonis Magistrum in sacra pagina, &c.* Et hoc opus scripsit in principio suæ laureæ, postquam scripsisset in epistolam ad Romanos. *Inferius quoque agens de opere, quod vocatur*, Abbreuiationes Summæ de Ciuitate Dei D. Augustini, *sic inquit.* Extant in nostra Bibliotheca Parisiis manuscriptæ in membrano folio: crediderim de manu Auctoris scriptæ, nam est signatum opus Bacconthorp. *Hæc Lezana.*

Doctissimus verò *Zagaglia* (a) præcipuus Bachonij Sectator, addit, quod in nostra Bibliotheca Conuentus S. Pauli Ferrariæ extat aliud opus eiusdem Bachonij membranis cõsignatum, in D. Matthæi Euangelium, cuius initium est: *Incipit Postilla super Matthæum edita à Fratre Ioanne de Bacconstorp Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo. Dicit Apostolus ad Hæbreos* 11. Sine fide impossibile est Domino placere, & 24. *q.* 1. *cap. &c.* Finis verò talis operis est. *Explicit postilla super Matthæum edita à Fratre Ioanne de Bacconstorp Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, in quo ostenditur, quod Christus est verus Messias per Prophetas, & eius opera.* Reperitur in fine talis postillæ eius Tabula.

In

(a) *Tom.* 1. *curs. Theol. in præfat. de Bacc. pag. mihi* 10.

Digitized by Google

In huius tandem Celeberrimi Scriptoris laudem, eiusque Vitæ Coronidem, sic quidam cecinit:

ANglia me genuit: Ioannem quisque vocabat,
Et de Bachone nomine notus eram.
Cum cuperem sacros è fonte haurire liquores,
Parisios petij plena fluenta lares,
Illic, quod studium potuit, quod cura, laborque:
Preteritum ingenio nil volui esse meo.
Nam non sacra fuit tantum mihi pagina curæ,
Pontificum canones sed placuere mihi.
Quatuor exposui vulgata volumina Petri:
Sed magis in quarto mens mea fixa fuit.
Scripsi, & ephieridas: quæ vos quodlibeta vocatis,
Tum vetus, atque nouum clarius esse dedi:
Ethica nec nostris sine scriptis lentus omisi:
In metaphysicis stat labor ipse meus.
Quinque Animæ libros scripsi: tum multa notaui
Augustine tua rursus in Vrbe Dei.
Nec quæ de Trino, simul Vno scripta dediſti
Sum passus scriptis illa carere meis.
Anselmum exposui; dum scripto quæritat ille:
Cur Deus è Sancta Virgine factus homo.
Et dum describit, quo pacto è Virgine Verbum
Assumpsit carnem, sedulus exposui.
Pauperiem Christi scripsi, & quis iure tenere
Has possit fluxas pastor ouilis opes.
Historiam breuiter tetigi, qua Candidus Ordo
Noster ab excelsa sit Genitrice Dei.
Tum mea Iudæi senserunt vulnera cæci.
Cum scripsi vt Virgo concipit, atque pariſ.
Scripsi alios multos: quos enim te candide Lector
Peniteat studij, si semel ipse leges:
Et tandem in prima terra post fata quieui.

Agunt

Agunt de hoc sapientissimo Doctore Scriptores quamplurimi; & primò eius Conciues, nempe Nicolaus Fierbetur Anglus in descriptione Oxoniensis Academiæ ita inquiens (a) *Celebre in ea nomen Bacconum est: quorum Ioannes Theologorum suæ ætatis facilè Princeps viginti septem libris testamentum nouum illustrauit.* Nicolaus verò Harpsfeldius, (b) Archidiaconus Cantuariensis, in sua Historia Ecclesiastica Anglicana sic: *Apud Ioannem Tonsonium Ioanni Baccontorpio à vico ubi natus est, quem exteri ferè Bacconem appellant; prima pietatis, & doctrinæ rudimenta fuere, qui non modo inter huius Diocæseos, & seculi, sed & inter reliquos nostros, alioſque scriptores pietatis, ingenij, & omnis generis liberioris doctrinæ magnitudine regnat. Et ita regnat, vt agras has, quasi nostri Oceani latebras, ægrè reperies in vastissimis alijs Christianorum Regionibus multos, qui non dicã superent, sed vel aquent Baccontorpium.* Hos autem Bachonij nostri municipes æmulantur Alexander Minutianus, Iafredo Caroli Regii Senatus in Insubria Præsidi, ita scribens. (c) *Ioannes Bacco Anglicus, subtilis, & vehemens disputator, vestigijs, quæ semel firmat, constantissimè insistit; Aduersariumque semper vrget, & acerrimè diuexat.* Guillelmus Eysengrenius sic referens. (d) *Ioannes de Baccone, alijs Baccondorpe, Anglicus, Ordinis Fratrum B Mariæ semper Virginis de Monte Carmelo, Decretorum Doctor, atque Professor Gymnasij Parisiensis, Vir sanctitate, & doctrina, moribus, pietate, atque religione maximè illustris, Princeps suæ ætatis Philosophorum, Rector insignis, Iurisconsultus celebris, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus.* Iacobus autem Gaddius, Patritius Florentinus. (e) *Ioannes Baccon Anglus Sacræ Familiæ Carmelitanæ Sydus primarium, latissimè fudit radios doctrinæ multiplicis, ac memorandæ compluribus libris editis. At à nobis luculento illustratus elogio in Opere inscripto, Princeps Theologiæ Scholasticæ: non requirit*

nouum

(a) *Edita Romæ* 1602. (b) *Secul.* 14. *cap.* 17. (c) *Lib. Bachon.* 4. *sent. Mediolan.* 1510. *typis Leonardi Vegij.* (d) *Catalog. test. verit. ad ann.* 1345. (e) *To.* 1. *de script. non Eccl. f. mihi* 88.

Digitized by Google

nouum elogium. & Hieronymus Serazoni Hyatrophiſicus, carmine ſequenti: (a)

Non opus eſt opus hoc magnum tibi dicere ſacrum,
Vel fore: vel mirum dicere non opus eſt.
Non opus eſt opus hoc Reſolutum dicere; & omni
Doctrina fultum dicere non opus eſt.
Hoc opus eſt tantum ſolo tibi dicere verbo
Diuini hoc repugnans eſſe Bachonis opus.
Nam magnum, Sacrum, Reſolutum, & undique mirum
Auctoris ſonat hoc omne Bachonis opus.

Cui eleganti poeſi etiam arrident, tàm Paulus Panza (b) hoc diſticho:

Noſcere vis rerum cauſas? ipſumque tonantem?
Et Sophiæ omne genus? ſume Bachonis opus.

Quam ſequenti alio, Franciſcus Mancuſus Ludimagiſter meus.

Artes palladias quiſquis cupis, ecce Bachonum:
Hic colas ingenium, ſat tibi frugis erit.

Ex Regularibus deindè, Abbas Trithemius Benedictinus: (c) *Ioannes de Baccone* (inquit) *natione Anglus, Doctor Pariſienſis, Vir undequaque doctiſſimus, Philoſophus, Iuriſta, & Theologus celeberrimus, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, ſcripſit multa præclara opera, de quibus feruntur ſubiecta.* Et ſupradictis ijſdem ex Pitſeo, & Lezana relatis operibus concludit. *Alia inſuper multa compoſuit, quæ ad notitiam meam non venerunt.* Vuernerus Rouelinch Carthuſianus (d) *Ioannes de Baccone Carmelita Theologicæ ſapientiæ, Canonicæque ſcientiæ Princeps, Pariſijs, & demum per Angliam clarus cognoſcitur.* Ex Sacra Prædicatorum Familia Sixtus Senenſis. (e) *Ioannes Bacho Anglicus, Ordinis Carmelitarum, Theologorum ſui temporis Princeps, & in exponendis Diuinis Scripturis non ignobile nactus ingenium. Expoſuit uniuerſum Nouum Teſtamentum, editis ſcholaſtico more Commentariorum libris viginti-*

d *ſeptem*

(a) *Ibid. ſup.* (b) *Ibid.* (c) *Lib. de ſcriptor. Eccleſ. & Carm.*
(d) *Faſc. tempor. ad ann. 1334.* (e) *Biblioth. Sanct. lib. 4.*

Digitized by Google

septem. Claruit sub Carolo IV. Imperatore. Ioannes Martinez de Prado, *tom. 1. qq. Moral. cap. 15. qu. 18.* & Graueina supra-relatus. Ex Seraphico Instituto, Ioannes de Carthagena, *tom. 1. homil. lib. 17. homil. 2. obiect. 4. Doctores præcipui sunt Petrus Thomas, B. Ioannes Soreth, Ioannes de Baccone, Michael, & Gerardus de Bononia, &c.* Ex ordine Sancti Patris Augustini, Philippus Bergomensis. (a) *Ioannes de Baccone Ordinis Carmelitarum, egregius, imo excellentissimus Sacræ Theologiæ Magister, ac Iuris Pontificij consummatissimus Doctor: per hoc tempus primum apud Parisium, deinde in Angliam profectus, ob doctrinæ, & ingenij magnitudinem, atque præstantiam, apud omnes eruditos eminentissimus, ac supremus habitus est; vidè multa, ac plurima insignia sui ingenij composuit librorum volumina.* E Religione Seruitarum, Iacobus de Plebe, & Archangelus Gianius supracitatus. Ex Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, Hippolitus Maraccius. (b) *Ioannes de Baccone, seu Baccondorpius, Ordinis Carmelitarum, Philosophorum, & Theologorum sui temporis facilè Princeps.* Ex grauissima Societate Iesu Ioannes Eusebius Nieremberg in suo opusculo Sac. Syllabus: (c) *Vnum ex pluribus proferam testem omni exceptione maiorem, antiquitate, & doctrina celebrem, doctissimum Scholasticum Bacconem.* In Epistola verò 17. Antuerpiæ, anno 1655. impressa, sic. *Addo, & alium non minus celebrem doctrina, & antiquitate Theologum, eximium Philosophum, ac præstantissimum Canonici iuris peritum Ioannem Bacconem, quem vocant Doctorem Resolutum.* Antonius Bernaldo de Quiros, *tom 2. in 1. par. disp. 18. de natura Angelorum, sect. 3.* hæc ait: *Bacconius in 2. dist. 23. art. 3. Vbi eorum Discipuli Bacconiste Carmelitani.* Cardinalis Bellarminus, à quo Bachonius *Theologus, & doctissimus Philosophus vocatur.* Cardinalis Sfortia Pallauicinus, in vendicationibus Societatis Iesu, anno 1649. Romæ editis, *cap. 26.* Recupitus *tom. 1. de Deo vno tract. quæst. 1. cap. 1.* Andreas *Decor Carmeli n. 316.* Antonius

(a) *Supplem. Chron. lib. 3. ad ann. 1341. fol. 251.* (b) *Biblioth. Marian. pag. mihi 670. p. 1.* (c) §. 11.

Digitized by Google

tonius Posseuinus, alijque quamplures.

Vt igitur sub tanti Doctoris Vexillo Scholastici Carmelitæ militarent, constans semper Religionis Statutum fuit, sæpè in Capitulis generalibus renouatum, vt in lib. Ordinis pag. mihi 88. 101. 122. & 158. videre est. Quibus omissis, nè prolixiores videamur, decreta recentiora tantum hic referemus.

Capitulum Generale 1613. in *lib. Ordin. fol. mihi* 220. *Deindè Decretum est, Ioannem Bacconum per doctos viros à Reuerendissimo Patre deputandos corrigi, & illustrari, & posteà typis mandari debere. Et Regentes, ac Lectores quoslibet in nostris Vniuersitatibus eius doctrinam explicare, sequi, & tenere, &c.*

Constitutiones Ordinis recognitæ, & correctæ Decreto Capituli Generalis celebrati anno 1625. p. 1. cap. 18. de studijs generalibus num. 4. *In Conuentibus solemnioribus, & in alijs, qui sunt in Vniuersitatibus, non solum deputentur apprimè docti, & resoluti Magistri Regentes, qui legant quotidiè Artes, & Theologiam solēniter, & disputationibus quotidianis præsint, sed etiam deputetur conueniens numerus Studentium, &c. & studeant omnes in primis Doctorum nostri Ordinis determinationes substinere, & allegare, & præsertim Ioannis Bachonÿ.*

Capitulum Generale anni 1680.

De studijs, & gradibus num. 182.

Pro integro cursu Theologiæ in quatuor libros sententiarum nostri Resoluti Doctoris Bacconÿ, iuxta nostras Constitutiones ad obtinendum gradum Lectoratus, &c. tandem

Decreta Reuerendissimi Patris Magistri Ioannis Feyxoo de Villalobos Generalis, ab Innocentio XII. anno Pontificatus sui secundo, sub die 11. Octobris 1692. confirmata.

Primo . . . . Et Lectores, seu Regentes habeant quotidie per vnam horam lectionem ad mentem Resoluti nostri Doctoris, vel aliorum eius fidelissimorum sequaciū, vt in Constitutionibus, &c.

Nec Carmelus Excalceatus ab his discrepare videtur, siquidem P. Gabriel à S. Vincentio eius Alumnus *1. par. disp. 2. dub. 2. & 3. par. disp. 4.* ita scribit: *Hanc conclusionem tenet no-*

Digitized by Google

ster Bachonius vir doctissimus, quem in Schola sequitur Religio Carmelitana. Et licet nos in vi nostrarum Constitutionum sequamur D. Thomam, vbi Bacconium habemus contrarium; vbi tamen D. Thomas non contrariatur Bacchonio, vt in nostra conclusione, Bacchonium sequimur.



Proté-

Digitized by Google

Protestatio Auctoris.

SAcræ Apostolicæ, Catholicæque Romanæ Ecclesiæ veritatis firmamento, obediens filius viuere, ac mori exopto; Proindè quæcumque in hoc bipartito libro referam, eiusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ iudicio, ac piorum Theologorum censuræ subijcio; Si quid verò elapsum ignoro, quod eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ minus probetur, vel aliqua in re Decretis Apostolicis repugnet: iam nunc improbo, damno, & pro non scripto, aut referto haberi volo. Et vt hæc mea protestatio magis pateat, Decretum die 13. Martij 1625. iussu Vrbani VIII. à Sac. Congregatione S. R., & vniuersalis Inquisitionis editum, & ab eodem Summo Pontifice die 5. Iulij 1634. confirmatum, libens amplector, nec non declarationem ab eodem Sanctissimo, die 5. Iunij 1631. factam, nimirum, vt non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam: Benè tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem, cum protestatione in principio libri, quod ijs nulla adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penes Auctorem. Huic Decreto, eiusque confirmationi, ac declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid scribam in hoc opere, accipere, aut accipi ab vllo velle, quam quo, & solent accipi, quæ humana dumtaxat auctoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur; His tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, vel Beatorum Catalogo adscripsit.

Ap-

Digitized by Google

Approbationes Adm. RR. PP. Magistrorum Regentium, & publicorum Lectorum Sac. Theologiæ, Ordinum Mendicantium.

OPus Theologicum bipartitum, in primam partem, quæ dicitur Dogmatica, & in secundam, quæ Polemica nominatur; ab Ad. Reu. P. Magistro Petro Thoma Pugliſio conſcriptum in materia de Chriſto mediatore, Sacerdote, Summo Pontifice, Rege ſpirituali, & Capite Eccleſiæ inſtituente in terris ſuum Vicarium, nempè Romanum Pontificem, & de ſuprema ipſius Romani Pontificis poteſtate: iuſſu eiuſdem accuratè perlegi, illudque reperi non ſolum rectæ fidei, boniſque moribus conſonum, & Sacra Theologica Doctrina, præſertim iuxta mentem Ioannis Bachonij pleniſſimum; verum & Fidei Catholicæ perualidum Defenſorium, omnium ferè Hæreticorum apprimè Lutheri, & Caluini iniquiſſima tela contra ipſam obiecta, detundentem. Vndè haud immeritò vocatur Thomas, qui interpetratur Abyſſus; quia ſi Abyſſus profunditatem ſignificat; Ipſe tam profundè, ac ſubtiliter Hæreticorum blaſphemica dicteria exponit, confrangit, & diſſipat, vt meritò de ipſo dici queat: *Abyſſus abyſſum inuocat*. Quapropter certiſſimè cenſeo, & ipſi Auctori laudem, & Chriſtianæ Reipublicæ non exiguam vtilitatem allaturum, ſi typis mandetur. Datum Coriolani in Conuentu noſtro S. Dominici die 19. Septembris 1696.

Frater Antonius Amato S. Theol. Magiſter, Ordinis Prædicatorum, olim in inſigni Collegio Rhegino primus Regens.

Adm.

Digitized by Google

Adm. Reu. P. Magistro Petro Thomæ Puglisio,
Coriolanensi, Operis Auctori dignissimo,
Sapientiæ Culmini, omnis Scripturæ lumini,
Catholicæ Fidei columini,
Diuinæ mentis Interpreti, Cælestiumuè Oraculorum
propalatori.
In cuius ore
Nedum Apes, ceù Pindari, Platonis, Ambrosij
Cæterum & Cherub, velut ampliοris poesis
mella condidere,
Cuius gloria
Nullis arcta limitibus, cunctis ampla virtutibus,
nonnullos in se concitat admiratores, imitatores
nullos.
Hæresum profligatori acerrimo, ac Patriæ propugnatori
munificentissimo.
Sub cuius vmbra
Frater Thomas Palopolus à Coriolano Minorita
Conuentualis, toties protectus, tectus, vectus;
in perennis obsequij monimentum
Cor exhibet, fundit preces, & nuncupat Vota.

Eius-

Digitized by Google

Eiusdem Approbatio.

EGo Frater Thomas Palopolus Coriolanensis, Ordinis Minorum Conuentualium, Sac. Theologiæ, & Artium Magister, olim Venetiorum Lycei, & Sacrorum Stigmatum Assisiensis Collegij Regens, & Rector: Vtriusque Calabriæ Minister Prouincialis, & Commissarius Generalis, ad præsens tamen dictarum Prouinciarum Definitor perpetuus. Volumen quintum, cuius titulus extat *Historico-Theologicus liber bipartitus*; Supremum Christi Sacerdotium, Institutionem eius Vicarij, potestatem ligandi, atque soluendi eidem collatam, & non interruptam hæreditariam permanentiam Successorum eiusdem, amplectens; *Auctore Admodum R. P. Magistro Petro Thoma Pugliese Coriolanensi, Sacræ Theologiæ Magistro Ordinis Carmelitarum, &c.* de mandato eiusdem diligentissimè percurri, in quo Fidem Catholicam perlustrari, Sacra Dogmata defendi, Resolutissimi Doctoris Ioannis Bachonij doctrinam propagari, Theologiam Scholasticam, & Moralem adaugeri, certissimè comperi; Iudè dignissimè iudicari, Opus tam excelsum in lucem prodire. Datum Coriolani die 21. mensis Octobris 1696.

Frater Thomas Palopolus qui supra manu propria.

Digitized by Google

LIbrum hunc bipartitum, Theologiam Dogmaticam Ioannis Bachonij Doctoris Resoluti, & sanas eiusdem aduersus Perduelles Ecclesiæ responsiones continentem: ab Ad. Reu. P. Magistro Petro Thoma Pùglisio, Exprouinciali Carmelitarum Calabriæ, & S. Inquisitionis huius Diœcesis Rossanensis Consultore, longo studio, magno labore, & singulari diligentia concinnatum, summa animi mei voluptate attentè, & accuratè ad ipsius instantiam peruolui: nihilque in eo, nisi omnia Catholicæ fidei, & bonis moribus consona, solidæ, & profundæ doctrinæ plena, ac omni eruditione scholastica referta, inueni: quinimmò tot, & tot Sacrorum Conciliorum decisiones, summorum Pontificum decreta, ac Sanctorum Græcorum, & Latinorum auctoritates admirans, censui diuinæ Pontificiæ auctoritatis paludamento, pretiosam inter cæteros Catholicos Scriptores, superaddere varietatem. In quorum fidem me subscripsi Thurij noui hac die 16. Decembris 1696.

Ita est, Ego Frater Nicolaus à Terranoua Sacræ Theologiæ Baccalaureus, & Exprouincialis Calabriæ Citerioris, Ordinis Eremitarum S. Augustini.

Digitized by Google

MAgna animi mei dulcedine librum hunc Theologicum, in Dogmaticam, & Polemicam bipartitum, iussu Doctissimi, & præclarissimi Patris Magistri Petri Thomæ Puglisij Coriolanensis (cui nec doctrina deest ad pondus, nec probitas desideratur ad decus, nec deficit auctoritas ad ornatum; cuius odor, sicut *odor agri pleni*, & in quod aquæ omnes, quæ super Sacrorum Doctorum, præsertim Ioannis Bachonij Doctoris Resoluti Cœlos sunt, Spiritus Sancti nube irrorante inundarunt) perlegi: nihilque in eo reperi, aut Catholicæ Fidei aduersum, aut à Christianis moribus deuium; immò tanta eruditione congestum, tam insigni pietate conspersum, tamque ingenti studio elaboratum animaduerti, vt omni ex parte dignissimum, & glorioſum existimem vt præli torturæ deputetur, ad hoc, vt fidei lucernam obscuro atramento reddat splendidiorem. Faxit Optimus Deus, vt Auctor diù Reipublicæ litterariæ viuat, & admiranda, quæ habet, & meditatur, Orbem subitò ornent. Datum Coriolani die 12. mensis Septembris 1696.

Frater Ambrosius à Coriolano Corrector Conuentus eiusdem; & Sac. Theologiæ publicus Lector, Ordinis Minimorum.

Eiusdem

Digitized by Google

Eiusdem Fratris Ambrosij à Coriolano Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula Sacræ Theologiæ Lectoris.

Ad laudem

AVCTORIS, ET OPERIS

ELOGIVM.

GAudeat Cœlum vtrumque
Triumphantis, & Militantis
Ecclesiæ:
Si Thomas Diuus, Solis ad instar
Suæ lumine Sapientiæ,
Virtutum omnium radijs
Orbem, Vrbemque illustrauit,
Diesque suos
Fulgidos, & nitentes reddidit;
Thomas noster, astrum ingens
Vt præesset nocti,
Horrificas Hæresum vmbras
Ad depellendas;
Errantium caligines, errorum nebulas
Ad dissipandas;
Lumine, pietate, scientia
Sponsæ suæ prouidens
Voluit æternus Dominus;
Eamque
Petri supra petram positam,
Et fundamentum emolitam
Apostolorum, & Prophetarum
Infestum hostem,

Digitized by Google

Et perantiquum Draconem
Spernentem,
Hæresum vento impetitam
Hæreticæ prauitatis Hydra
Irreptam;
Petri alterius,
In quo floreſcunt
Virtutum eloquia, & morum ſuauitas.
Necnon
Totius floret doctrinæ plauſus,
Hoc opere
Prælo, Cedro, Cœlo, digno;
Ad torturam prælo,
Cedro ad æternitatem,
Cœlo ad gloriam,
Vtpotè
Nil non ſanctum, non pium nihil,
Nil pietate inſigne
Non redolente:
Auctoritatum clypeis,
Sacræ Scripturæ,
Conciliorum, Sanctorumque Patrum,
Et rationum armis
Calamus
Ardore fulminis, fulgore luminis
Sic inſignitus,
Vt Orbem ſanctè feriet,
Eumque ſemper radiet,
Defenſauit, illuſtrauit, decoranit.

Opus,

Digitized by Google

OPus, cuius titulus; Hiſtorico-Theologicus liber bipartitus, &c. ab Adm. Reu. Patre Magiſtro Petro Thoma Puglisio, Coriolanenſi, Artium, & Sacræ Theologiæ Doctore, Vtriuſque Calabriæ Ordinis Carmelitarum bis, & iterùm Exprouinciali, & Coriolani Conuentus ad præſens Studiorum Præfecto, compoſitum, & miro ordine, nouaque methodo diſpoſitum, de eiuſdem mandato accuratè decucurri, & nimio delectamento perlegi, Ego Frater Franciſcus Maria à Cirò, Strictioris Obſeruantiæ Reformatorum, Sacræ Theologiæ Lector Generalis, in quo non modò nihil emendationis non inueni, ſed omnibus doctrina florentibus perutilia ſubtilioris Theologiæ Dogmaticæ, & Polemicæ Arcana, iuxta mentem Ioannis Bachonij Scholæ Carmelitarum Principis, diſertiſſimo calamo elaborata aduerti. Quapropter pro ſui vtilitate, & dignitate, Prælo ſubmitti, & ad omnium manus peruenire, neceſſarium eſſe reor. Datum Coriolani die 2. Octobris 1696.

Frater Franciſcus Maria à Cirò Ordinis Minorum Reformatorum Sancti Franciſci Aſſiſinatis Sacræ Theologiæ, & Artium Lector Generalis primarius.

Digitized by Google

Eiusdem Patris Francisci Mariæ à Cirò, Ordinis Minorum Strictioris Obseruantiæ Reformatorum ad Adm. Reu. Patrem Magistrum Petrum Thomam Puglisium.

ELOGIVM.

TRia ferè in Opere mens contemplatur insignia,
Pietatis zelum, eloquij candorem, reuelationē sublimium:
Tria quoque videntur in Auctore præclara:
Illustrissimi Ordinis Carmelitici habitus,
Principis Apostolorum, & Doctoris Angelici
Nomen, & Nominis omen:
Hinc opus
Zelo Domus suæ igneo
Hæreses comedit, & horrificos errores depellit;
Eloquio, Angelica narrat,
Reuelatione, Arcana Cælestia aperit:
Et Dignissimus Auctor
Omnigenæ litteraturæ Thesaurus, &
Religiosæ virtutis Archetypus,
Elias zelo, Thomas calamo, Petrus est reuelatione.
Vt Elias Immortalis euadet,
Vt Thomas Elogium Benè scripsisti, meret,
Vt Petrus, quia Pater Cælestis reuelauit,
Non caro, & sanguis,
Beatus erit, & Oues Dominicas pascet.

Itèm

Digitized by Google

Item eiusdem ad Lectorem Operis.

TETRASTICON.

QVi Papæ regimen lepidè percurrere cũras
Diuinum Petri perlege lector opus,
Hæresis, hinc rides, hinc ictus temnis, & armã
Et Sanctæ Ecclesiæ dogmata sacra tenes;

Digitized by Google

Fr. Ioannes Feyxoo de Villalobos Sac. Theologiæ Magiſter, Primarius in Regia Valliſoleti Academia Cathedraticus, humilis Prior Generalis, necnon Commiſſarius, & Viſitator Apoſtolicus totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Antiquæ Obſeruantiæ Regularis.

AVctoritate noſtri Officij, præſentium tenore licentiam concedimus Reu. Adm. Patri Magiſtro Petro Thomæ Puglieſi noſtræ Prouinciæ Calabriæ Profeſſo Sacerdoti, ac Ex-Prouinciali, Typis mandandi Opus, cuius titulus eſt: Hiſtorico-Theologicus liber bipartitus, &c. Auctore, &c. ab eodem elucubrato, dummodò priùs examinetur, & approbetur ab Adm. RR. PP. Magiſtris Ex-Prouincialibus Andrea Maſtellone, & Ioanne Michaele Punzi Profeſſis Theologis Prouinciæ Sanctæ Mariæ à Vita, & in reliquis ſeruentur de iure ſeruanda. Datum Neapoli in noſtro Carmelo Maiori die prima Martij 1697.

Fr. Ioannes Feyxoo de Villalobos Generalis Ordinis Carmelitarum.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Ioannes Antonius Pancerius Prouincialis Lombardiæ, & Secretarius Ordinis.

RE-

Digitized by Google

REVERENDISSIME PATER.

Librum bipartitum *Historico-Theologicum de Supremo Christi Sacerdotio, &c.* ab Adm. Reu. Patre Magistro Petro Thoma Puglisio, Calabriensis Prouinciæ Ex-Prouinciali elucubratum, omnigenaque eruditione refertum, Paternitate Tua Reuerendissima demandante, libenter percurrimus; nihilque in eo litura, aut censura dignum contigit; omnia namque Diuinæ Scripturæ, Sacris Canonibus, Ecclesiasticæque Historiæ consona, ad legentium instructionem, institutionemque clara, ac regulari methodo comperimus concinnata. Opus Cœlo dignum, poterit, si ita Paternitati Tuæ Reuerendissimæ placuerit, Terræ elargiri. Ex Carmelo nostro Sanctæ Mariæ de Vita Neapolis die 8. Decembris 1697.

Paternitatis Tuæ Reuerendissimæ

Addictissimi Serui, atq; Obedientissimi Filij
Fr. Andreas Mastellonus.
Fr. Ioannes Michael Punzi.

Fr.

Digitized by Google

Fr. Carolus Philibertus Barberius Sac. Theologiæ Magiſter, & Doctor, Publicus in Romana Sapientia Lector, & humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum Beatiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo Antiquæ Obſeruantiæ Regularis.

AVctoritate noſtra tenore præſentium Reu. Adm. Patri Magiſtro Petro Thomæ Puglieſi noſtræ Prouinciæ Calabriæ Ex-Prouinciali, facultatem facimus typis mandandi librum, cuius titulus eſt: *Hiſtorico-Theologicus liber bipartitus, &c.* ab eo conſcriptum, & à Theologis noſtri Ordinis reuiſum, & approbatum; ſeruatis tamen ſeruandis. Harum fide, &c. Datum in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ de Vrbe die 21. Octobris 1699.

Fr. Carolus Philibertus Barberius
Generalis Carmelitarum.

Locus ✠ Sigilli.

Fr. Angelus Pizolante Prouincialis Hybernia,
& Secretarius Ordinis.

EMI-

Digitized by Google

EMINENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Maestro Pietro Tomaso Puglieſi Ex-Prouinciale de' Carmelitani, deſidera dar' in luce vn libro, il cui titolo è: *Hiſtorico-Theologicus liber bipartitus, Supremum Chriſti Sacerdotium, Inſtitutionem eius Vicarij, Poteſtatem ligandi, atq; ſoluendi eidem collatã, &c. Non interruptam hæreditariam permanentiam Succeſſorum eiuſdem amplectens.* Supplica per tanto la benignità di V. Eminenza commetterne la reuiſione, ſecondo reſtarà ſeruita, e lo riceuerà à gratia, vt Deus, &c.

Reuerendus P. Magiſter Fr. Ambroſius Saluius Ordinis Prædicatorum, Regens in Conuentu S. Dominici Maioris de Neapoli, videat, & in ſcriptis referat. Die 21. Iunij 1697.

IO: ANDREAS SILIQVINVS VIC. GEN.

D. Ianuarius de Auria Canon. Deput.

HIſtorico Theologicum librum bipartitum de Supremo Chriſti Sacerdotio, Inſtitutione eius Vicarij, ac Poteſtate collata, & non interrupta in Succeſſoribus tractantem, à R. P. Magiſtro Petro Thoma Pugliſio Coriolanenſi Carmelita, Artium, & Sac. Theol. Doctore, & Prouinciæ Calabriæ ſemel, & iterũ Ex-Prouinciali elaboratum, Em. Veſtræ iuſſu legi, & præli luce dignum exiſtimaui; etenim in eo ipſe omnigena eruditione armatus contra Eccleſiæ refractarios validè dimicat, & triumphat, eorumq; deliria, ac tenebricoſa figmenta, Catholicæ veritatis lumine eliminat, & diſpellit. Perutile Opus ſtudioſis, ac dignum, vt Sapientibus Viris offeratur. Hæc eſt mea ſententia, quam ſapientiſſimæ tuæ, Eminentiſſime Domine, deuotus, & ad pedes prouolutus, Sacram Purpuram deoſculans, ſubmitto. Neap. in Regali Conuentu S. Dominici die 30. Auguſti 1697.

Fr. Ambroſius Saluio Regens.

Attenta relatione ſupraſcripti Patris Reuiſoris, quod poteſt imprimi. Imprimatur. Die 13. Septembris 1697.

IO: ANDREAS SILIQVINVS VIC. GEN.

D. Ianuarius de Auria Canon. Deput.

EC-

Digitized by Google

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

CArlo Porsile Regio Stampatore, desidera stampare vn Libro intitolato: *Historico Theologicus liber bipartitus de Supremo Christi Sacerdotio, &c.* del P. Maestro Pier Tomaso Pugliesi; supplica però la bontà di V.E. restar seruita commetterne la reuisione à chi meglio le parerà, e l'hauerà à gratia, vt Deus, &c.

Reuerendus D. Siluester de Fusco videat, & in scriptis referat.

GASCON REG. ANDREAS REG. ANDREASSI REG. GVERRERO REG. MERCADO REG.

Prouisum per S. E. Neapoli di 30. Iulij 1698.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

LIbrum, cuius inscriptio: *Historico-Theologicus de Supremo Christi Sacerdotio, &c.* ab Reu. Adm. Patre Magistro Petro Thoma Puglisio ex illustri Carmelitarum Familia, doctè non minus, quam ingeniosè concinnatum, diligenti oculo, & alacri animo perlegi; ac in eo nihil prorsus, quod Regali Iurisdictioni, Maiestati, & decori aduersetur, inueni; quin omnia consona Reipublicæ bono, & communi vtilitati conferentia. Potest ergò typis dari, accedente tamen Excellentiæ Tuæ (cuius iussa libentissimè feci) sapienti beneplacito. Neap. Kal. Ianuarij 1699.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, & Obsequentissimus Seruus
Siluester de Fusco.

Visa suprascripta relatione, Imprimatur, & in publicatione seruetur Regia Prag.

GASCON REG. ANDREAS REG. ANDREASSI REG. GVERRERO REG. MERCADO REG.

Prouisum per S. Exc. Neap. die 28. Aprilis 1701.

Mastellonus.

Historico-

Digitized by Google

INDEX

Eorum Principalium Capitum, quæ tàm in Parte Dogmatica, quàm Polemica huius Libri continentur.

PARTIS DOGMATICÆ

QVÆST. I.

De Christo Mediatore, & Sacerdote.

CAP. I.

Quid sit Mediator? cum officium Mediatoris Dei, & hominum, sit proprium Christi in quantum homo, non verò in quantum Deus.

CAP. II.

Christo conuenit Mediatorem, siue Sacerdotem esse.

CAP. III.

Supradictum Sacerdotium conuenit Christo, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem.

CAP. IV.

Christus verè Sacerdos, & Hostia simul fuit.

CAP. V.

Effectus Sacerdotij Christi, siuè eius Sacrificij cruenti fuit expia-

Digitized by Google

piatio omnium nostrorum peccatorum.

CAP. VI.

Iesus Christus participauit fructum sui Sacerdotij, & cruenti Sacrificij, in quantum ipsum obtulit Deo in recognitionem dominij.

CAP. VII.

Christus virtute unionis hypostaticæ, recensitam potestatem sacerdotalem à Deo meruit.

CAP. VIII.

Tale munus Sacerdotij manet in Christo in æternum.

CAP. IX.

Supradictum Christi Sacerdotium cæteris antecellit.

CAP. VLTIMVM.

Sacerdotium Christi fuit secundum ordinem Melchisedech, & ipsi iure optimo assimilatum.

QVÆST. II.

De Christo Summo Pontifice, Rege Spirituali, & Capite Ecclesiæ.

CAP. I.

Christus fuit Summus Pontifex, & Caput Ecclesiæ.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Christus est Rex spiritualis Ecclesiæ.

CAP. III.

Christus tamquam Rex spiritualis, habuit talem potestatem in tota Ecclesia, vt nulli Creaturæ fuerit communicata.

CAP. IV.

Christus præter regiam potestatem, habuit etiam potestatem legislatiuam.

CAP. V.

Talis potestas legislatiua Christi, euacuatiua fuit legis Mosaicæ.

CAP. VI.

Christus cum potestate legislatiua, habuit etiam potestatem iudiciariam.

CAP. VII.

In Christo præter Iudiciariam, etiam redemptiua potestas fuit.

CAP. VIII.

Recensita potestates non conueniunt Christo ratione naturæ diuinæ, sed tantum secundum naturam humanam.

CAP. IX.

Christus iure paternæ donationis, fuit etiam Rex temporalis to-

Digitized by Google

tius mundi, secundum naturam humanam.

CAP. VLTIMVM.

Christus habuit dominium proprietatis super omnia Regna mundi, & eius res singulares.

QVÆSTIO III.

De Christo instituente in terris suum Vicarium, nempè Romanum Pontificem.

CAP. I.

Christus in terris reliquit suum Vicarium, vt esset Caput omnium suorum fidelium.

CAP. II.

Recensitus Christi Vicarius ab ipso Christo in terris institutus, fuit Apostolus Petrus.

CAP. III.

Solus Petrus, & non quilibet alius Apostolus, siue Paulus, fuit in terris Christi Vicarius constitutus.

CAP. IV.

Cælestis potestas ligandi, atque soluendi Apostolo Petro diuinitus à Christo impartita, ad eius Successores, nempè ad Pontifices Romanos transijt de iure diuino, saltem mediato.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

Electio Episcopi Romani in legitimum Petri Successorem, est de iure diuino mediato, & omnino pertinet ad Cardinales.

CAP. VI.

Episcopus Romanus à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem canonicè electus, est verus Summus Pontifex totius Vrbis, & Orbis.

CAP. VII.

Episcopum Romanum electum à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem, supremam potestatem Capitis in toto terrarum Orbe de iure diuino habere, probat auctoritas Conciliorum.

CAP. VIII.

Principatus Romani Pontificis super cunctas Orbis Ecclesias, testimonio Gracorum, & Latinorum Patrum comprobatur.

CAP. IX.

Principatum Romani Pontificis per successorum Chronotaxim, successiuè ab Apostolo Petro, vsque in præsentem Innocentium XII. relatam, non interruptum, sed potius idem esse, clarè ostenditur.

CAP. VLTIMVM.

Romani Pontificis Principatus Monarchicus est, & Monarchia ipsi soli competit, & hic numero Pontifex Innocentius XII. est verus eius Monarcha.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO VLTIMA.

De ſuprema Romani Pontificis ligandi, atque ſoluendi poteſtate.

CAP. I.

Chriſtus, poteſtatis temporalis plenitudinem ſuper omnia bona temporalia, ſaltem vbi cauſa ineſt, ſuo Vicario Romano Pontifici conceſſit.

CAP. II.

Chriſtus Vicario ſuo, etiam ſuper Imperatores, & Reges, ſupremam poteſtatem conceſſit.

CAP. III.

Papa non ſolum in cauſa peccati poteſt Imperatores, & Reges iudicare, verum etiam illos priuare.

CAP. IV.

Romanus Pontifex ratione inutilitatis, vel iniquitatis, poteſt deponere Imperatores, & Reges, necnon alteri eorum Regna deferre.

CAP. V.

Romanus Pontifex auctoritatem coactiuam habet, & quemlibet fidelem vbique exiſtentem poteſt Roma de iure citare.

CAP. VI.

Hæreticas falſitates confutare, & veritates catholicas definire;

Digitized by Google

uire, ad ſolum Romanum Pontificem ſpectat.

CAP. VII.

Romanus Pontifex in determinandis rebus fidei, & promulgandis decretis morum pro tota Eccleſia, habet veritatem infallibilem.

CAP. VIII.

Soli Romano Pontifici competit conuocatio Conciliorum Generalium: quæ ſi ab ipſo confirmata erunt, omnino inconcuſſæ auctoritatis redduntur.

CAP. IX.

Romanus Pontifex poteſt ſuper omni iure poſitiuo diſpenſare, Indulgentias Chriſti fidelibus elargiri, Sanctos canonizare, ac Regularium Ordines ſtabilire.

CAP. VLTIMVM.

Ea, quæ ſunt Romano Pontifici abſolutè reſeruata, & notæ dignæ vocantur, ſigillatim hic recenſentur.

PARTIS VERÒ POLEMICÆ.

QVÆS. I.

De his, quæ contra ſupremum Chriſti Sacerdotium, tàm à Scholaſticis, quàm ab Hæreticis obijciuntur.

CAP. I.

HÆretici non vno ore, ſed diuerſimodè autumant Chriſtum fuiſſe mediatorem.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

Ex Hæreticorum asserto, Christo mediatori, siue Sacerdoti esse minime conuenit.

CAP. III.

Aduersarij iterum conantur ostendere, dignitatem Sacerdotij minime Christo conuenire secundum humanitatem.

CAP. IV.

Falsa Aduersariorum opinio, Christum Sacerdotem, & hostiam simul fuisse negantium, apertè refellitur.

CAP. V.

Lutherus, & Caluinus de more insanientes, effectum Sacerdotij Christi, siue ipsius cruenti sacrificij, insufficientem omnium peccatorum nostrorum expiationem impiè sentiunt, extitisse; nisi etiam inferorum cruciatus, terrores, angores, & damnatorum dolores, quos Christus in Anima pro nobis passus est, accessissent.

CAP. VI.

Aduersariorum opinio, quod Christus sui Sacerdotij, & cruenti sacrificij fructum pro seipso obtulerit, & participauerit, non autem in supremi dominij recognitionem, refellitur.

CAP. VII.

Aduersariorum conatus, sentientium in Christo Sacerdotalem potestatem ex meritis, non autem virtute unionis hypostaticæ fuisse, irritus ostenditur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Fraſtra per Aduerſarios aſſeritur, Chriſti Sacerdotium iam terminatum eſſe, & minime in æternum manere.

CAP. IX.

Inſulſa Aduerſariorum opinio, quod Chriſti Sacerdotium minime omne aliud præcellat, irridetur.

CAP. VLTIMVM.

Hæretici negant, Sacerdotium Chriſti fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech, ideoque non rectè ei aſſimilatum.

QVÆS. II.

Quæ conuicia in Caput Eccleſiæ, & Summum Pontificem Chriſtum, Hæretici blateramur.

CAP. I.

Temerè nonnulli Aduerſariorum autumant, Chriſtum Summum Pontificem, & Caput Eccleſiæ, non extitiſſe.

CAP. II.

Altera Hæreticorum blaſphemia, quod Chriſtus Rex temporalis Eccleſiæ potius, quam ſpiritualis extiterit.

CAP. III.

Tertium effutiunt Aduerſarij, talem regiam ſpiritualem poteſtatem non videri ad Chriſtum ſingulariter ſpectaniſſe, eo quod alteri etiam Creaturæ cummunicata fuerit à Deo.

Digitized by Google

CAP. IV.

Aduersarij, Christum legislatorem esse non potuisse ostendentes, reijciuntur.

CAP. V.

Vrgent iterum Aduersarij, potestatem legislatiuam Christi, neutiquam fuisse Mosaicæ legis euacuatiuam.

CAP. VI.

Christum nequaquam iudiciariam potestatem habuisse, temerè iterum, & obstinatè veritatis inimici ostendere contendunt.

CAP. VII.

Redemptiuam potestatem à Christo infensissimi eius nominis hostes, impiè contendunt auertere.

CAP. VIII.

Memoratas potestates ratione naturæ diuinæ, non autem secundum humanam Christo conuenire, obloquuntur Aduersarij.

CAP. IX.

Negant Aduersarij, Christum secundum humanitatem, Regem totius Mundi temporalem extitisse.

CAP. VLTIMVM.

Aduersarij iterum conantur probare, Christum minimè habuisse

Digitized by Google

buisse dominium proprietatis in omnia regna mundi, eiusque res singulares.

QVÆST. III.

De his, quæ tam aduersus solius Petri in Christi Vicarium institutionem; quam in hæreditariam successorum eiusdem permanentiam, ab Hæreticis obijciuntur.

CAP. I.

Hæretici blasphemando asserunt, Christi Vicarium pro regula animata, & certa fidei, à Christo in terris institutum, tamquam Caput visibile omnium fidelium, non esse Romanum Pontificem.

CAP. II.

Alterum Hæreticorum deliramentum, quo asserunt, Christum in terris non Petrum dumtaxat in suum Vicarium, sed omnes Apostolos instituisse.

CAP. III.

Pontificiam potestatem æqualiter inter Petrum, & Paulum diuisam, non autem vni Petro traditam, insulsè autumant Catholicæ fidei Hostes.

CAP. IV.

Plereque Hæreticorum cauillationes, Romanum Pontificem legitimum Petri successorem non esse, aut eius cælestem potestatem de iure diuino, diluuntur.

Digitized by Google

CAP. V.

Iterum Hæretici fabulantur, electionem Romani Pontificis in legitimum Petri successorem, non esse de iure diuino, nec pertinere ad Cardinales.

CAP. VI.

Non admittunt Aduersarij Romanum Episcopum supremum totius Orbis Pastorem esse, ex eo quia ipsius Antecedanei, ipsammet auctoritatem in terris exercuerunt, cum ea non legitimè, sed imprudenter, & criminosi functi sint.

CAP. VII.

Denuò Hæretici delirant, Concilia generalia cum ex se sint fallibilia, numquam certò nobis supremam Romani Pontificis auctoritatem testare posse.

CAP. VIII.

Hæretici de more impiè blasphemant, Romani Pontificis principatum ex Sanctorum auctoritatibus probari non posse, cum Sancti ipsi recti homines minimè extiterint.

CAP. IX.

Effutiunt Hæretici, Romani Pontificis Principatum, per interruptam Successorum eiusdem Cronotaxim, interruptum fuisse.

CAP. VLTIMVM.

Vrgent iterum Hæretici, Romani Pontificis principatum Mo-

Digitized by Google

Monarchicum non esse, aut hunc numero Innocentium XII., eius verum Monarcham.

QVÆSTIO VLTIMA.

Hæreticorum obiectiones, quibus supremam Romani Pontificis ligandi, atque soluendi potestatem criminantur, luculenter diluuntur.

CAP. I.

Impiè sentiunt Hæretici, Christum in terris potestatem nullam Romano Pontifici contuliſſe.

CAP. II.

Effutiunt iterum Aduersarij, Romanum Pontificem super Imperatores, & Reges auctoritatem exercere posse nullam,

CAP. III.

Ecclesiæ perduellium sententia, non posse Imperatores, & Reges à Papa in causa peccati iudicari, & Regno priuari, refellitur.

CAP. IV.

Catholicæ fidei hostes, Romanum Pontificem in causa iniquitatis, vel inutilitatis Imperatores, & Reges deponere non posse contendentes, redarguntur.

CAP. V.

Romanum Pontificem à coactiua potestate excludi, sentiunt Hæretici, & Catholicos de iure sitandos Romæ non esse.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Hæreticas falsitates refellere, & Catholicas veritates decernere, ad Romanum Pontificem nequaquam pertinere, opinantur Hæretici.

CAP. VII.

Hæretici de more insanientes, affirmant Romanum Pontificem in confutandis Ecclesiæ perduellium erroribus, & rebus fidei definiendis, infallibili veritate carere.

CAP. VIII.

Insulsa Hæreticorum opinio, qua asserunt, Concilij conuocationem ad Romanum Pontificem non pertinere, nec deinde eius prænia confirmatione inconcussa fidei habere veritatem, rejicitur.

CAP. VLTIMVM.

Nouissimum Hæreticorum deliramentum, quo sentiunt, Papam non posse legitimè super omni iure positiuo dispensare, aut Christi fidelibus Indulgentias elargiri, siue Sanctos canonizare, aut Ordines stabilire, irridetur,

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc Opere reperiuntur, ordine alphabetico digestus.

A

AFrica Catholicam Fidem suscipit. parte 2. quæst. 2. c. 6. n. 2. 82.

America Iesu Christi Euangelium amplectitur. parte 2. quæst. 3. num. 290.

Anathemate Lutherus percutitur. Parergon. n. 10.

Anabaptistæ quot sint, numerantur. Parerg. n. 31.

Antilutherani describuntur. ibidem num. 50.

Anglo-Caluinistæ confutantur. p. 2. quæst. 3. c. 4. n. 237.

Anima in Purgatorio existentes, sub clave Petri manere dicuntur. par. 2. quæst. 4. cap. vlt. n. 465.

Antiochenam Ecclesiam Petrus Apostolus Deo iubente Romam transtulit. par. 1. q. 3. c. 4. num. 117., & 118.

Approbatio Ordinum Regularium, ad Romanum Pontificem spectat. par. 1. quæst. 4. c. 9.

Item, & approbatio Conciliorum generalium, qua præuia, omnia eorum acta postmodum de fide reddunturs. part. 1. quæst. 4. c. 8.

Apologia Iusti Caluini, ad Fidem Catholicam reuersi, describitur. Parergon, num. 36.

Apologetici Hæretici, ex Apologia Ecclesiæ Anglicanæ ita vocantur. ibidem num. 55.

Armenia, ad Fidem Christi conuertitur. par. 2. quæst. 3. c. 6. n. 287.

Asia, Fidem Catholicam amplectitur. ibidem num. 285.

Astutia Caluini describitur. Parergon. num. 43.

An-

Digitized by Google

Auctoritas conuocandi Concilia generalia, à Christo Romano Pontifici tribuitur. p. 1. quæst. 4. c. 8. num. 250.

B

Bachonius Resolutus Doctor, & Scholæ Carmelitarum Princeps, Papam tuetur. part. 1. per totum.
Bachonÿ doctrina de fallaciis ab Hæreticis commissis, explicatur. Parergon. num. 57.
Baptismus Hæreticorum Pauliſtarum, non erat verus Baptismus. par. 2. quæst. 3. c. 7. num. 299.
Beatos in Cælis existentes conuiciÿs non paucis Caluinus impetit. Parergon, num. 42., & 43.
Beati in Cælo hactenus Deum vident, & ab ipso glorificantur. part. 2. quæst. 4. c. 7. num. 435.
Bachonÿ doctrina circa hoc, contra Lutherum, & Caluinum refertur. ibidem num. 436.
Bezæ delirium exploditur. par. 2. quæst. 2. c. 7.
Brulleus propter Caluini astutiam à Deo morte punitur. Parergon num. 44.
Bucerani Hæretici, recensentur. ibidem num. 50.

C

Caluini delirium circa mortem Christi exufflatur. par. 2. quæst. 1. cap. 5. num. 31.
Caluini dorsum ob sodomiæ crimen ferro candenti obsignatur. Parergon num. 33.
Caluiniſtæ eius Sectatores, omnes recensentur. ibidem num. 49.
Caluinus iterum confutatur. part. 2 quæst. 3. c. 4. num. 214.
Cardinales in electione Papæ, huiusmodi tantum personam designant, nam auctoritatem ipse accipit à Deo. part. 2. quæst. 3. c. 4. num. 256.
Carmelitæ, omnibus Conciliÿs generalibus, incipiendo ab illo Petri Apostoli habito Hierosolymis, vsque ad Concilium Tri-

Digitized by Google

Tridentium; continuo adfuerunt. Parergon num. 76.
Carmelitæ una cum Apostolis, Iesu Christi Euangelium per orbem vniuersum disseminarunt. p. 2. quæst. 3. c. 6. num 280.
Christus mediator est Dei, & hominum, secundum humanitatem, p. 1. quæst. 1. c. 1. num. 4.
Christus verè Sacerdos fuit. p. 1. quæst. 1. c. 2. num. 8. non autem secundam Diuinitatem, sed secundum humanitatem. p. 1. quæst. 1. c. 3. num. 10.
Christus Sacerdos fuit, & hostia simul. p. 1. quæst. 1. c. 4. num. 12. fructum tamen sui Sacerdotij participauit p. 1. quæst. 1. c. 6. num. 21.
Christus fuit Summus Pontifex, & Caput Ecclesiæ. p. 1. q. 2. conf. 1.
Christus est Rex spiritualis Ecclesiæ p. 1. quæst. 2. c. 2. immo, & legislator noster. p. 1. quæst. 2. c. 4. lex verò eius euacuatiua legis Moysis. p. 1. quæst. 2. c. 5.
Christus Iudex p. 1. quæst. 2. c. 6. & Redemptor noster fuit p. 1. quæst. 2. c. 7. num. 68.
Christus est Rex temporalis totius mundi p. 1. quæst. 2. cap. 9. & tam super omnia eius regna, quam res singulares, dominium proprietatis habuit. p. 1. quæst. 2. c. vltim.
Christus ignarus non fuit, vt blaterant Hæretici, scil. omnino Sapiens fuit. p. 2. quæst. 2. c. 4. num. 108.
Christus potestatem coactiuam in terris exercuit. par. 2. quæst. 4. c. 5. num. 392.
Christus omnem potestatis plenitudinem Vicario suo Romano Pontifici contulit. p. 1. quæst. 4. c. 1. non autem ei delegauit omnem potestatem quam habebat. p. 2. quæst. 2. c. 9.
Chronotaxis Summarum Pontificum recensetur. p. 1. quæst. 3. c. 9.
Cyrillus Carmelita Patriarcha Alexandrinus, Concilij Ephesini Præses. p. 1. quæst. 3. c. 7. num. 155.
Clemens à S. Petro Apostolo eius successor ordinatur. p. 1. quæst. 3. c. 4. num. 118.

Digitized by Google

Concilia quatuor primæua ; nempe Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, referuntur. p. 1. quæst. 3. c. 7.
Concilium Generale nec Papam citare, nec ab officio priuare potest. p. 1. quæst. 3. cap. vltim. num. 343.
Concilium inuito Papa, nihil potest de fide definire. p. 2. quæst. 4. c. 6. num. 395.
Concilium Generale nisi à Papa confirmetur, nullum robur, aut authoritatem aliquam habet. p. 2. quæst. 3. cap. vltim. num. 343.
Constantini Imperatoris donatio facta Ecclesiæ. par. 2. quæst. vltim. cap. 6. num. 414.

D

Decretum latum ab Apostolo Petro, à D. Iacobo comprobatur. par. 2. quæst. 3. cap. 7. num. 297.
Deliria Marci-Antonÿ de Dominis, Archiapostatæ Spalatrensis confutantur. par. 2. quæst. 3. cap. 2.
Dialectica frucata Hæreticorum recensetur. Perergon num. 64.
Diabolus nocte docet Lutherum. ibidem num. 12.
Dogmata fidei sunt vera per se in actu primo; ità verò esse, à Papa tantum in actu secundo declarantur. par. 2. quæst. 4. cap. 6. num. 389.
Dolores atrocissimi Caluini Corpus torquentes, numerantur. Parergon num. 46.
Donatio Constantini Imperatoris facta Ecclesiæ. par. 2. quæst. vltim. cap. 6. num. 414.

E

Ecclesiæ Catholicæ definitio. parte 1. quæst. 2. c. 1. num. 45.
Ecclesia Dei, verè Vna, Sancta, Apostolica, Catholica, &

Re-

Digitized by Google

Romana dicitur. par. 1. quæst. 3. c. 5. num. 128.
Ecclesia Catholica duplici influxu à Christo gubernatur. part. 1. quæst. 3. c. 4. num. 114.
Ecclesia Catholica ad omnes Mundi partes deuenit. part. 2. quæst. 3. c. 6. num. 280.
Ecolampadiani Hæretici, à Ioanne Occolampadio Hæresiarcha trahunt originem. Parergon num. 52.
S. Elias Propheta, Carmelitarum Institutor, à conuicijs Calvini vendicatur. ibidem num. 42.
S. Elpidius Carmelita, primus Archiepiscopus Toletanus à S. Iacobo Apostolo ibi ordinatus. p. 2. quæst. 3. c. 6. num 280.
Electio Romani Pontificis est de iure diuino. p. 1. quæst. 3. c. 5. num. 123., cum reliquis.
Electio Papæ omnino pertinet ad Cardinales. ibidem num. 225.
Engolismam Caluinus proficiscitur, ibique ab sodomiæ crimen, à primario Collegij Rectore processatur. Parergon num. 33.
Episcopus Romanus, est verus totius Vrbis, & Orbis Summus Pontifex. p. 1. quæst. 3. c. 6.
S. Ephiphanij dictum declaratur. p. 2. quæst. 3. c. 3. num. 205.
Erasmiani, à Desiderio Erasmo Rotherodamo Hæresiarcha sic dicti. Parergon num. 56.
Error Francisci Stankari, confutatur. p. 2. quæst. 1. c. 1. num. 4.
Euerardus Bilicus Carmelita, Episcopus Cyrenensis, Lutheranorum maximus persecutor. Parergon num. 76.
Europa. Iesu Christi Euangelium amplectitur. p. 2. quæst. 3. c. 6. num. 288.

F

Fabella de Ioanna Papissa explodituer. p. 2. qua. 3. c. 9. num. 320. & 321.
Fallaciæ Hæreticorum quibus fideles decipiunt sigillatim narrantur, Parergon num. 59.
Farellistæ Hæretici, à Farellio sic dicti. ibidem num. 53.

Digitized by Google

Faſtuoſus, & iracundus Spiritus dominatur luthero. ibidem num 13.
Fraudes Hæreticorum detegunturr. ibidem num. 71.
Fridericus Dux Saxoniæ, maximus fautor lutheri, ibidem num. 9.
Funus lutheri à Dæmonibus celebratur. ibidem num. 22.

G

GErmaniam Caluinus deuenit, ibique plura à luthero ſuffuratur. Parergon num. 34., & 35. e Germania poſtmodum Genevam acceſſit. ibidem num. 38.
Granditates Apoſtoli Petri recenſentur. p. 1. quæſt. 2. c. 3. num. 101. 102. 103., & 104.
Gregorius Papa, his qui in Monaſterijs tacitum, vel expreſſam profeſſionem denouerint, nuptias interdixit. p. 2. quæſt. 4. c. 8. num. 427.
Gregorij Nanzianzeni excuſatio refertur. p. 2. quæſt. 3. c. 7. num. 304.

H

HEnricus Rex Angliæ, ignominia affieit Lutherum. Parergon num. 20.
S. Hieronymus ab Hæreticis comicijs impetitur: p. 2. quæſt. 3. c. 8. num. 317.
Hæretici Lutherani, Semilutherani, & Antilutherani, numeraniur. Parergon num. 24. 25., & 26. Item Hæretici Caluiniſtæ. ibidem num. 49. Hæretici Bucceriani. num. 50 Hæretici Martyriani. num. 51. Hæretici Oecolampadiani. num. 52. Hæretici Tigurini. num. 54. Hæretici Anglici. num. 55. Hæretici Eraſmiani. num. 56.
Hæretici in vnum conuenerunt contra Papam. part. 2. quæſt. 4. cap. 8. num. 437.
Hæretici ſæpeſepius dant in legem Cornelium. Parergon. num. 71.

Digitized by Google

Hæreticos falsitates confutare, ad solum Romanum Pontificem spectat. part. 1. quæst. 4. cap. 6.
Hunc numero Papam, Innocentium XII., esse verum, & legitimam Petri Successorem, de fide est. part. 1. quæst. 2. cap. ultim.

I

Delecta Burem Caluini Vxor. Parergon num. 48.
Ignorantia Papæ rebus fidei non officit, quia in ipsis decernendis virtute ex alto instruitur. part. 2. quæst. 4. cap. 6. num. 393.
Immoderata Caluini voluptas describitur. Parergon num. 46.
Imperatores potestati Papæ submittuntur, ab ipso quoque puniri, priuari possunt. part. 1. quæst. 4. cap. 3.
Imperatores nequeunt Concilia Generalia per se conuocare. par. 1. quæst. 4. cap. 9. num. 255.
Imperatores conuocandis Conciliis Generalibus habent tantam potestatem executorialem. ibidem num. 254. sine ministerialem. part. 2. quæst. 4. cap. 8. num. 441.
Indulgentiarum elargitio, ad Romanum Pontificem spectat. part. 1. quæst. 4. cap. 9.
Iniquitas maxima Caluini refertur. Parergon num. 38.
Islebij Oppidum in Saxonia, Patria Lutheri. ibidem num. 1.

L

Latrocinia Caluini, numerantur. Parergon num. 35. eius falsa logica detegitur. ibidem num. 64. 65. 66. 67. 68. &c.
Lutherus Erphordiam habitum Regularem suscipit. ibidem num. 3.
Lutherus contra Indulgentiarum virtutem prædicati. ibidem num. 9.
Lutherus publicè fatetur Magistrum suum Diabolum extitisse. ibidem num. 15.

La-

Digitized by Google

Luther delirium circa virtutem Christi sanguinis, explodi-
tur. par. 2. quæst. 1. c. 5.
Lutherus iterum confutatur. par. 2. quæst. 3. cap. 4.
Lutherus à Zuinglio vincitur. Parergon num. 22.
Lutheri Sectatores recensentur. ibidem num. 23.
Lutherani Molles, referuntur. ibidem num. 24. item Rigi-
di, & mixti etiam. ibidem num. 25. & num. 26.

M

Marcus Antonius de Dominis Archiapostata Spalatren-
sis describitur. par. 2. quæst. 2. cap. 1. num. 181.
S. Maria Magdalena de Pazzis, hereticorum cæcitates non
semel, sed sæpescepius fleuit. Parergon num. 78.
Melchisedech quisnam fuerit, describitur. par. 1. cap. ultim.
num. 41.
Moyses Princeps sæcularis non fuit. par. 2. quæst. 2. cap. 2.
Moyses ex divina institutione convocauit Concilium. par. 2.
quæst. 4. cap. 8. num. 447.
Miracula quædam de Indulgentijs recensentur. par. 2. quæst.
4. cap. ultim. num. 463.
Miraculum Caluini ridiculum, describitur. Parerg. num.
44.
Monasteria Carmelitarum, in omnibus Mundi partibus, re-
periuntur. par. 2. quæst. 3. cap. 6. per totum.
Moniales Conuentus Nimicensis in Germania, per Lutheri
scommata à proposito Virginitatis iam emisso recedunt;
Vnaque ipsarum Catharina Bore nomine, Vxor Lutheri,
efficitur. Parergon num. 19., & 20.
Morbi quibus Caluinus angustiabatur, numerantur. ibidem
num. 46.
Mors infausta Caluini, narratur. ibidem num. 47.
Mors Lutheri pessima, describitur. ibidem num. 22.

Digitized by Google

N

Nefarij Caluini Conatus, describuntur. Parergon num. 41.
Nicolaus de Egmunda Carmelita, Generalis Inquisitor Belgij contra hæreticam prauitatem. Parergon num. 56.
Nilus Thessalonicensis, confutatur. par. 2. *quæst.* 3. *cap.* 4. *num.* 225.
Nota Ecclesiæ recensentur. par. 1. *quæst.* 3. *cap.* 5. *num.* 128.
Nota digna Romani Pontificis, sigillatim referuntur. part. 1. *quæst.* 4. *cap. vltim.*
Nouio dunum Patria impij Caluini. Parergon num. 32.
Nomine Ecclesiæ eius Prælatus intelligitur. part. 2. *quæst.* 3. *cap. vltim. num.* 233.

O

Oratio vocalis potest esse in Cælo. part. 2. *quæst.* 1. *cap.* 8. *num.* 73.
Ordinum Regularium approbatio, ad Romanum Pontificem pertinet. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 9.
Ortus Lutheri narratur. Parergon num. 1.
Ortus Caluini describitur. ibidem num. 32.
Oues Iesu Christi curæ Petri commissæ, sunt omnes fideles cuiuscumque gradus sint, & conditionis. par. 2. *quæst.* 4. *cap.* 1. *num.* 352.

P

Palladius Carmelita Scotorum Apostolus, refertur. part. 2. *quæst.* 3. *cap.* 6. *num.* 289.
Papa à solo Christo, & non à Constantino Imperatore, potestatem qua vtitur, accepit. par. 2. *quæst.* 3. *cap.* 4.
Papa indefiniendis rebus fidei, errare non potest. par. 2. *quæst.* 4. *cap.* 7. *per totum.*

Papa

Digitized by Google

Papa non est Antichristus. par. 2. quæst. 4. cap. 6. num. 402.
Pastor non bonus, quandoque ex Dei permissione in Populi panam, eligitur. par. 2. quæst. 3. cap. 5. num. 266.
Paulus Apostolus, Doctor Orbis, & non Vrbis Romæ Episcopus - par. 1. quæst. 3. cap. 4. per totum.
Peccatorum nostrorum expiatio, fuit effectus Sacerdotij Christi. par. 1. quæst. 1. cap. 5. num. 14., 15., & 16.
Petrus Apostolus Romam venit. par. 1. quæst. 3. cap. 4. num. 111. ibique ex Christi præcepto Romanam Sedem erigit, & fundat. ibidem num. 117.
Petrus Apostolus à Christo fuit baptizatus. par. 1. quæst. 3. cap. 3. num. 101.
S. Petrus Thomas Patriarcha Constantinopolitanus, Imperatorem Græcorum ad vnionem Ecclesiæ Catholicæ reducit. par. 1. quæst. 4: cap. 2. num. 205.
Pipinus Rex Galliæ, à Caluini conuicijs vindicatur. par. 2. quæst. 4. cap. 4. num. 380.
Potestas indiciaria in Christo fuit, at ipsa in actu secundo minime usus est. par. 2. quæst. 2. cap. 6.
Prælatis pessimis, etiam obediendum est. par. 2. quæst. 4. cap. 6. num. 401.
Pretium nostræ Redemptionis, mors, & sanguis Christi fuit. par. 2. quæst. 1. cap. 5. num. 43.
Professores ordinis Eliani, in disseminandum Iesu Christi Euangelium, fuerunt simul cum Apostolis. par. 2, quæst. 3. cap. 6. num. 280.

Q

Quædam miracula de Indulgentijs lucrandis, referuntur. par. 2. quæst. 4. cap. vltim. num. 463.
Quænam sit Apologia Iusti Calui, refertur. Parengon num. 36.
Quod hic numerò Innocentius XII. sit legitimus Petri Apostoli successor, & verus Summus Pontifex, demostratur. par.

Digitized by Google

par. 2. quæst. 3. capit. vltim. num. 350.
Quarumdam Mulierum deceptio, per Caluinum facta, describitur. Parergon num. 43.

R

Reges, adeò Romano Pontifici subduntur, vt in causa inutilitatis, vel iniquitatis ab ipso priuari possint. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 4.
Reges à Romano Pontifice iam puniti, numerantur. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 3. *num.* 112.
Rimorsus conscientiæ plurimum Lutherum exagitat. Parergon num. 21. *Item, & Caluinum maximè affligit. ibidem num.* 45.
Ridiculum Caluini miraculum describitur. Parergon n. 44.
Romanus Pontifex Monarcha dicitur, & Monarchia ipsi soli competit. par. 1. *quæst.* 3. *cap. vltim.*
Romanus Pontifex institutus fuit à Christo in terris tamquam Caput visibile omnium fidelium, regula animata, & certa fidei. par. 2. *quæst.* 3. *cap.* 1.
Romanus Pontifex potestatem coactiuam habet. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 5.
Romanus Pontifex in promulgandis decretis morum pro tota Ecclesia, habet veritatem infallibilem. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 7. *num.* 241.
Romanus Pontifex, potest super omni Iure positiuo dispensare, Indulgentias Christi fidelibus elargire, Sanctos canonizare, & Regularium Ordines stabilire. par. 1. *quæst.* 4. *cap.* 9.
Romanus Pontifex non accepit à Christo totam illam potestatem, quam ipse Christus habet. par. 2. *quæst.* 2. *cap.* 9. *num.* 164.
Romanus Pontifex in casu publicæ hæresis à Deo deponitur, ab Ecclesia autem tantum denunciatur. par. 2. *quæst.* 3. *cap. vltim. n.* 344.

Digitized by Google

Romanus Pontifex in casu hæresis occultissimæ erit Summus Pontifex quo ad nos, quatenus est Caput visibile fidelium, non autem quo ad se. par. 2. quæst. 3. cap. ultim. num. 346.

S

Sacerdotium Christi in æternum manet. par. 1. quæst. 1. cap. 8. ratione autem unionis hypostaticæ à Deo ipsum obtinuit. ibidem cap. 7.

Sacerdotium Christi verè fuit secundum ordinem Melchisedech. par. 1. quæst. 1. cap. ultim. num. 41.

Sacerdotium Aaroniticum, umbra, & figura fuit Romani Pontificis. par. 2. quæst. 3. cap. 9. num. 323.

Scommata Marci Antonij de Deminis, confutantur. par. 2. quæst. 3. cap. 1. num. 182.

Semilutherani numerantur. Parergon num. 27.

Senes in Sacra Scriptura, Episcopi intelliguntur. par. 2. quæst. 4. cap. 8. num. 447.

Sedes Apostolica ex Christi præcepto à Petro Apostolo Romano Episcopatui unitur. par. 1. quæst. 3. cap. 4. num. 117.

Sodales Collegij Boncurtensis, Caluinum de vitio sodomiæ accusant. Parergon num. 33.

T

S. Theresia à Iesu pluries lacrymata est hæreticorum perfidias. Parergon num. 78.

Thomas Vualdensis, hæreticorum malleus. part. 2. quæst. 4. cap. 7. num. 78. in fine.

Thomas Beauxamis, hæreticorum destructor. par. 2. quæst. 4. cap. ultim. num. 477.

Thuriferatio, cur in lege gratiæ etiam reperitur, cum fuerit in lege Moysis. par. 2. quæst. 2. cap. 5. num. 127.

Tigu-

Digitized by Google

Tigurini hæretici, à Schola Tiguri exorti, recenſentur. Parergon num. 54.

V

V Valdenſis Doctor accerrimus. Parergon num. 70.
Varia Generalia Concilia recenſentur. par. 1. quæſt. 3. cap. 7. num. 157.
Veritates Catholicas definire, ad Romanum Pontificem pertinet.
Virgo Deipara, conuicijs non paucis à Caluino impetita, apertè vindicatur. Parergon num. 43.
Vnus ſemper Epiſcopus fuit, in quacumque Sede Epiſcopali, & non plures. parte 2. quæſt. 3. capit. 3. numero 208.
Vltimum diem Chriſtus ſciuit, ſed noluit nobis manifeſtare. par. 2. quæſt. 2. cap. 4. num. 117.
Vuitclephus propter ambitionem Epiſcopatus, à fide apoſtatauit. par. 2. quæſt. 4. cap. vltim. num. 477.

Z

Z Acchárias Papa multis iniurijs à Caluino impetitur, & vindicatur. par. 2. quæſt. 4. cap. 4. num. 380.
Zuuingli peſſima mors, narratur. Parergon num. 29. eius corpus tamquam hæretici Excommunicati, in cineres redactum fuit: ibidem.
Zuuingli impia interpetratio verborum conſecrationis. ibidem.
Zuuinglianiſtæ eius ſectatores recenſentur. ibidem num. 30.

LAVS DEO.

Digitized by Google



Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.
In Amico Lectori. Pemmatibus	Lemmatibus
fol. 3. Prouenientem	proueniente
fol. 9. & 14. Sacerdotis	Sacerdotij
fol. 16. actione	actionem
fol. 20. consumatio	consummatio
fol. 35. Quod sic probat	quam sic probat
col. 2. allegatione	alligatione
fol. 43. reddere	redditurum
fol. 61. quamplures	complures
fol. 68. in effectum.	ad effectum
col. 2. solidè, ac tutè	solida, ac tuta
fol. 77. Pontificij potestate	Pontificis potestatem
Item. Et hac	Et hanc
fol. 78. fuerunt	fuerint
fol. 90. contulerit	contulit
fol. 94. confines	confinia
fol. 97. Brutiæ Prouinciam	Brettiorum Brouinciam
fol. 99. refertis	relatis
fol. 108. alloquens	allocutus
fol. 111. vaticinauit.	vaticinatus est
fol. 112. & col. 2. sequentes	secuti
Ibid. col. 2. ascenderit	ascenderet
fol. 114. succeſſit	succeſſit
fol. 134. sequentes versus	sequentia verba
Item. descripti	descripta
fol. 135. habetur	habeatur
Item. testatus	testatur
fol. 137. reddere renuit	redderet, renuit
fol. 138. vaticinauit	vaticinatus est

IN 2. PARTE POLEMICA.

fol. 117. sequentes	secuti
Ibidem. appareant	appareat
fol. 181. auocabant	vocabant
fol. 182. posquillos	pasquillos
Ibid. scarcasmisque	sarcasmisque
Item. currupto	corrupto
fol. 183. senserunt	sentierunt

Ibid.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
Ibid. criminare	criminari
fol. 184. oſtinatus	obſtinatus
fol. 194. Aurifebro	Aurifabro
fol. 195. forciuntur	farciuntur
fol. 196. moriens morſéro	moriens ero mors
fol. 197. effanijs	affanijs
fol. 200. & iuſtitia	ex iuſtitia
fol. 206. permiſcuê	promiſcuè
fol. 209. Nouioduno	Noviodvni
Ibid. col. 2. opera exercens	operam exercens
fol. 219. col. 2. Ephe ſyro	Ephrem ſyro
fol. 223. continuò	perpetuò
Ibid. cæſum	caſum
fol. 234. neget	negat
fol. 254. denundantes	denudantes
fol. 266. commentati	commentor
fol. 268. prophanas	prophanus
fol. 185. excellentior	excellentius
fol. 289. erubeſcant	erubeſcunt
fol. 294. Reges conſtituente	& in Regem conſtituente
fol. 296. allegatione	alligatione
col. 2. exigi	exigit
fol. 304. rectum factum	rectè factum
col. 2. fuerint reiecti	fuerunt reiecti
fol. 206. ſed eſſe dominum	ſed dominium
fol. 307. redimare	redimere
fol. 309. quia omnibus.	qui omnibus
fol. 310. ſtatutum	ſtat, tum
fol. 312. inneſtuant	inæſtuant
fol. 318. committerere ſpectu	committere reſpectu
fol. 319. etiam nunc	& iàm nunc
fol. 320. nec infidelitas	nec infidelitati
fol. 321. aggrediatur	aggreditur
Item. ſæuiat	ſæuit
fol. 330. Cauponia	Caupona
fol. 332. monſtruoſam	monſtroſam
fol. 334. inſurrat	inſuſurrat
fol. 335. iuxta antiquam	iuxta antiquum
fol. 339. Romæ mittentis	Romam mittentis

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE
fol. 350. ſine externa	ſiuè externa
fol. 353. referretis	referetis
Ibid. num. 255. ſmaliadica	ſmalcadica
fol. 366. & meliorem euangelizationis, & dictionis, &c.	& meliorem euangelizatione, & dictione
fol. 367. ſubſecutam Spiritus Sancti miſſionem extitiſſe	Spiritus Sancti miſſionem fuiſſe
fol. 369. inforas ſedeat	Ad fores ſedeat
In cap. 6. Ardelliorum	Ardelionum
fol 376. Etiops Candacis	Æthiops
fol. 379. Canonis Papæ	Cononis Papæ
fol. 380. Cuſco	Cutzeo
Item. Mendacium	Mendicantium
fol. 386. iniungit	iniunxit
fol. 387. Eetibus	Cætibus
fol. 391. ſicut Hęretici ſe iactant	ſicut Hæretici iactant
fol. 396. Eccleſiæ Paput	Eccleſiæ caput
fol. 396. Summi Pontificij	Summi Pontificis
fol. 400. Baſilienſe Poncilium	Baſilienſe Concilium
fol. 401. Contificatu	Pontificatu
Ibid. Amodeo	Amadeo
col. 2. tranſtulentes	transferentes
fol. 412. iracumdiæ	iracundiæ
fol. 417. incepta eſt	incepit
fol. 418 corporis	corpori
fol. 421. Plaſmi	Pſalmi
fol. 422. qui Zacchariam	quem Zacchariam
fol. 431. anxiu	anxius

Hucuſque Errata patienter correximus ; reliqua verò, & ea præſertim, quæ ex Impreſſoris incuria pluribus in locis deſunt, Lectoris prudentiæ, & pietati commendamus.

Opera

Digitized by Google

Opera ab Auctore Typis edita.

Vita S. Annæ, Matris Deiparæ.
Prælatorum Regularium, Quæsita promptuaria.
Scapularis Carmelitici Gazophylacium.
Prouinciæ Carmelitarum Calabriæ exordia, & progressus.
De auctoritate Summi Pontificis Romani, liber bipartitus.
Aduersum Dominicum Sorrento, Panoplia.
Lapis angularis ad confringendam perfidiam Iudæorum.
Ioannis Bachonij Scholæ Carmelitarum Principis, vniuersa Dialectica.
Epistola grauis, &c. siuè Capis heraclius, & Rispostа Apologetica, &c. anagrammatico nomine.

Typis verò danda.

Ioannis Bachonij in libros Aristotelis de physico auditu, ortu, interitu, & de Anima, Philosophia.
Ad Quæsita promptuaria, de Commissarijs, & Visitatoribus generalibus, Appendix.
Historico-Ascetica, & moralis explanatio in Regulam Carmelitarum.
Homiliæ morales, in Euangelia Quatragesimæ.
Guida degl'Erranti à conoscere la verità dello Scapolare Carmelitano.

Digitized by Google

HISTORICO-THEOLOGICVS

LIBER BIPARTITVS.

PARS I. THEOLOGICA:

PROLOQVIVM.

VErbum diuinum, humanam carnem assumpsisse pro redemptione totius generis humani, non modo Sancta Romana Ecclesia in Symbolo Niceno fatetur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*; verum & Sacra Scriptura etiam apertè hoc nos docet (a) *Venit enim Iesus quærere, & saluum facere, quod perierat. Christus Iesus venit in Mundum, vt peccatores saluos faceret*, inquit Paulus: (b) Cui adstipulantur omnes primarij Sancti Patres, præsertim Gregorius: (c) *Nisi Adam peccaret, Redemptorem nostrũ carnem susciperè non oporteret.* Ambrosius (d) *Neq; erat causa Incarnationis, nisi vt Caro, quę peccauerat per se redimeretur* Augustinus. (e) *Si Homo non perijsset, Filius hominis nõ. venisset.* Ex Græcis verò Athanasius sic. (f) *Necessitas quippe hominum anterior est, quàm Verbi Natiuitas, qua sublata, carne non induisset.* Et Irenæus. *Si enim non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei Caro factum esset.* Ex quibus auctoritatibus Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas,

A hanc

(a) *Luc c.19.* (b) *Ad Timoth.1.* (c) *lib.1 Reg. lib.4. cap.1.* (d) *lib. de Inc arn. c.6.* (e) *Serm.8. de Verb. Domini.* (f) *Serm.5. Con. Arian.*

Digitized by Google

hanc conclusionē deducit.(a) *Cum in Sacra Scriptura Incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur, conuenientius dicitur Incarnationis opus ordinatum esse à Deo in remedium contra peccatum.* Cui doctrinæ Resolutus Bachonius (b) etiam adhęret, ita inquiens. *Sicut Homo offenderat Deum, ita conuenientius fuit, vt Homo ipse satisfaceret; At purus Homo non poterat satisfacere ad equiualens; Ergo conuenientius erat, vt Persona diuina in natura humana assumpta satisfaceret.* Et cum in tali satisfactione Deo exhibita pro redemptione generis humani, Christus tamquam Mediator Dei, & hominum se gesserit: *Vnus est Mediator Dei, & Hominum,* inquit Apostolus, (c) *Homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro nobis;* Procul dubio de Christo Mediatore, siue Sacerdote primò agendum erit. Vnde fit.

QVÆST. PRIMA.

De Christo Mediatore, & Sacerdote.

CAPVT I.

Quid sit Mediator? cum Officium Mediatoris Dei, & hominum, sit proprium Christi in quantum homo, non verò in quantum Deus.

1 NOta, quod tam Mediator, quam Mediatoris officium, quatrupliciter sumitur, & exercetur. Primò, per modum Iudicis arbitri ad componenda diffidia, & decidendas controuersias vtriusque partis: & hoc Christus habuit; sed non in rigore, & propriè, cum nō fuerit Iudex Dei. Secundò, qui defert pacta, & conuentiones ex vna parte ad alteram partem, sicut fecit Moyses.(d) *Ego sequester vester, & medius fui inter Deum, & vos, vt*

(a) 3.p.q.1.art.3. (b) In 3.dist.20.artic.2. in resp.ad 3.instant. (c) Timoth.1.c.2. (d) Deuteron.c.5.

Digitized by Google

vt annunciarem vobis verba eius, & hoc munus etiam habuit Christus, deferens mandata Dei, & eius voluntatem ad nos. Tertio, Mediator etiam dicitur, qui intercedit pro altero apud alterũ, prout facere possunt Sancti in Cœlo, orando, & supplicando Deum pro nobis. Et hoc etiam fecit Christus cum auctoritate, & efficacia propter infinitum valorem suarum precum ex vnione hypostatica proueniẽtem. Quartò, qui nõ solum precatur, sed etiam de condigno soluit, & satisfacit alteri pro altero. Et hoc fuit potissimum Christi munus, quia condignè satisfecit pro nobis apud Deum; & hoc pacto potuit nos Deo reconciliare. Ex quibus dictis.

2 Patet primo: officium Mediatoris Dei, & hominum hoc vltimò assignato modo, esse solius Christi: *Quia ipse solus*, inquit Bachonius (a) *nos redimere iustè potuit, & debuit*; sicut iuxta dictum Apostoli: *Mediator Dei, & Hominum, Homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro nobis*; Sanguine suo nos Deo reconciliauit. Nam licet alij potuerint intercedere, & satisfacere pro nobis, non tamen de condigno, & cum sufficienti virtute ad ponendum effectum.

3 Propterea, quamuis cæteri dicantur Mediatores tertio modo supra relato, videlicet, quatenus precuijs eorum intercessionibus varias gratias à Deo nobis impetrant, & eius iram erga nos iustè directam, orando, & intercedendo placant, vt dicitur de Sanctis in Cœlo, & de aliquibus Iustis existentibus in Terra; (in qua etiam Sacerdotes, quatenus vt Ministri Christi veri Mediatoris, Sacramenta vice ipsius, & alia iustificationis media nobis exhibent, dici possunt Mediatores) Nemo autem loquendo de pura Creatura mediatione redemptionis, facit, aut esse potest Mediator inter Deum, & hominem, quarto assignato modo: licet aliqui potuerint, aut esse possint Mediatores per

(a) *In 4. dist. 1. q. 6. art. 2. ex Anselm.*

Digitized by Google

intercessionē, aut ministerium aliquod; hoc tamen, vt iam diximus, in meritis Christi, tanquam in Mediatore optimo esset fundatum; testatur S. Ambrosius his verbis: (a) *Foris eramus à Deo, vt sicut qui sunt extra regales aulas in vinculis colligati, & qui habent apud Regem pro culpis offensam, huiusmodi quippe regali aula foris exclusi sunt. Qui voluerit enim istis veniam impetrare, non primum istos in aulam Regis introducit, sed ipse foras egreditur; Ibique in eis miscet sermocinandi negotium, vsque dum eos correctos reddat, & dignos efficiat, qui Regis vultui repræsentari mereātur. Sic ergo Christus effecit. Egressus quippe ad nos, hoc est carnem sumens, & colloquutus nobiscum, præcepta nobis intonuit, & sic nos à peccatis emundans, & ad Deum conuertens, in aulam regalem, velut Aduocatus optimus introduxit.* Eadem ferè verba habet etiam Chrisostomus (b) ita inquiens *Ecce quantumcunque clames de assistentia Dei, & de præsentia eius paratissima Creaturis, tamen ante Aduentum Christi, nos foris stetimus, extra Dei præsentiam, extra Regis aulam, quousque aduenies Christus, factus Aduocatus noster, & Mediator per carnem, in eam nos introduxit.* Ex quibus ly *Mediator per carnem*, attentè perpende, & videbis quod nihil aliud sonat, vel significat, nisi Mediatorem secundum humanitatem. Propterea.

4 Patet secundo: Christum in quantum Deus, non esse Mediatorem, sed solum in quantum homo, siue secundum humanitatem. Ita Resolutus Bachonius, & Zagaglia eius Discipulus. Tom. 6. disp. 11. sec. 2. n. 48.

5 Ratio primæ partis est: quia siue accipiatur Mediator pro intercessore, siue pro satisfaciente ad reconciliandum debitorem creditoribus: Deus pro nobis non intercedit, neque satisfacit, eo quod ipse est creditor, & offensus; Ergo Christus non est Mediator in quantum Deus.

6 Ra-

(a) *tom. 5.* (b) *In 3. Hæbreor.*

Digitized by Google

6 Ratio vero secundæ partis, patet ex supradictis verbis Apostoli, videlicet: *Vnus Mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus*, vbi particula, *Homo*, addita est, vt constaret secundum quam naturam Christus esset Mediator, sicut benè notat Augustinus, (a) his verbis. *Vnus, ait Apostolus, Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum, Homo Christus Iesus: Vt illud, quod dixerat, omnes homines vult saluos fieri, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem non Deum, quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Dominum. Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis.* Hinc noster Vualdensis (b) contra Vuitclephum ita ait: *Perpende, amabo, quid dicat Augustinus in prædictis verbis, videlicet sensisse Apostolum de Mediatore, non solum sub ratione Deitatis suæ concepto, quia semper erat Verbum: sed quod per eum omnis nostra salus præstatur, quod & ipse compræstat, quod Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, hominem Iesum, & Christum Iesum secundum hominem.* Siquidem secundum hominem, & non secundum Deum solum passurus Christus aduenerat, subiungit Cyrillus noster Alexandrinus. (c) *Ea quæ sunt carnis suæ propria sibi necessario faciens, passus dicitur, quæ secundum carnem acciderunt, quamuis patiendi expers esset, quatenus intelligitur, vt Deus.*

7 Christus ergo Mediator, vt Deus simul, & homo, non vti Deus, quia vt sic æqualis est Patri; & quantum Pater distat à nobis, & ipse etiam distat, & mediatio quomodo erit, vbi eadem distantia est? *Per hoc ergo Mediator*, prosequitur Augustinus (d) *per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior: quod apertius ita dicitur, inferior Patre, quia in forma serui, superior nobis, quia sine labe peccati.* Per humanam igitur naturam Christus Mediatoris officia exercuit, satisfecit Patri, sacrificium obtulit, rogauit, passus, & mortuus est. Licet

(a) *Tom. 2.* (b) *Tom. 3. tit. 12. de Sanct. Oran. num. 3.* (c) *Epist. ad Valer.* (d) *Lib. de pecc. orig. c. 28.*

Digitized by Google

Licet tamen actiones illæ, & efficia, quibus functus est, dignationem, & æstimationem infinitam, non ex humanæ cõditionis modulo, sed ex adiuncta diuinitate consecuta sint, vti refert S. Leo Papa in serm. primo de Natiuitate: *Nisi esset verus Deus, non offerret remedium, nisi esset verus Homo, non præberet exemplum.* Cæterum, ipsam Mediatoris Personam ex duabus naturis constare oportuit, Deum simul esse, & hominẽ, vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus: ne in vtroque similis hominibus longè esset à Deo; vel in vtroque similis Deo, longe esset ab hominibus, & ita Mediator non esset. *Mediatorem ergo inter nos, & Deum*, concludo cum Augustino, (a) *& mortalitatem oportuit habere transeuntem, & beatitudinem permanentem; vt per id, quod transit, congrueret morituris, et ad id quod permanet, transferret ex mortuis.* Confirmatur, quia non solus Pater fuit offensus, sed etiam ipsemet Filius, & Spiritus Sanctus; sicque omnes tres Personæ, quatenus sunt vnus Deus, fuerunt offensæ; Ergo omnes debebant placari per Mediatorem, qui secundum naturam satisfacientẽ, vt quo, & elicitiuè, debebat esse distinctus à Deo, & ita mortalis; nempè Deus, & homo, non autem solus Deus.

CAPVT II.

Christo conuenit Mediatorem, siue Sacerdotem esse.

8 SIquidem maximè conuenire docet Angelicus Doctor. (b) *Quia officium Sacerdotis*, inquit, *propriè est, esse Mediatorem inter Deum, et Populum, in quantum Populo diuina tradit, & preces pro eo Deo offert, ac pro illius peccatis Deo aliqualiter satisfacit. Hoc autem maximè conuenit Christo, quia per ipsum diuina dona sunt hominibus collata: ipse enim humanũ genus Deo reconciliauit.* hactenus Sanctus Thomas. Cui adhæ-

(a) *Lib. 9. de Ciuit. Dei cap. 15.* (b) *3. par. q. 22. art. 1.*

Digitized by Google

adhæret Resolutus Bachonius à Zagaglia suo Discipulo relatus.(a) Si ergo Christus tãquam Mediator reconciliauit Deo genus humanum,& ófficium Sacerdotis propriè est, esse Mediatorem; proculdubio in tali reconciliatione, vti verè, & propriè Sacerdos Christus se gessit.

9 Patet hæc veritas non solum ex Sacra Scriptura, Psalm.79. *Tues Sacerdos in aternum secundum ordinem Melchisedech*. Hæbreorum 5. *Appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech.* Et cap.7. *Iesus autem, eo quod manet in aternum, sempiternum habet Sacerdotium*. Vetũ,& ex Sacris Concilijs Oecumenicis; Alexandrino, in Epistola ad Nestorium, quæ est decima apud Cyrillũ nostrum. Ephesino, lib.1.cap.4. & Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi sic. *Oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinãte, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Iesum Christum*. Quibus etiam hæc ratio adstipulatur: Quia Sacerdos per Ordinem, non ob aliam rationem in statu Sacerdotali cõstituitur, nisi vt Deo offerat Sacrificia. Christus autem duplex obtulit Sacrificium, incruentum vnum, nempè Eucharisticum in vltima cœna, in qua trãsubstantiando panem in carnem suam, & vinum in suum sanguinem, sub illis speciebus panis, & vini, se ipsum incruenter Deo sacrificauit; sub quibus etiam [illegible] inducandum, & bi[illegible] totum tradidit Disc[illegible] suis, vt habetur, tum ex Euangelijs, tum Corinthiorum 1.cap.decimo. Alterum vero cruentum, quando in Ara Crucis effundendo proprium sanguinem, seipsum tanquam hostiam pro Genere humano obtulit Æterno Patri. Ergo Christus fuit propriè,& verè Sacerdos. Quomodo autem Christo conueniat tale suum Sacerdotium, sit.

(a) *Tom.6.disp.12.sect.1.§.1.n.3.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

Supradictum Sacerdotium conuenit Christo non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem.

10 CONuenire tantum Christo secundum humanitatem, & non secundum diuinitatem, hac potissima ratione eruitur ex *Resoluto Bachonio*, (a) quia si Mediator idē est, ac Sacerdos; & Mediatoris munus conuenit Christo tantum secundum humanitatem, ita etiam Sacerdotium, & eo maximè, cū ipso secundum humanitatem functus fuerit, videlicet; vt inquit Apostolus. (b) *In diebus Carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Quando in Cruce, velut Altare (c) *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.*

11 Propterea, nunquam admittenda est illa propositio: *Christus in quantum Deus est Sacerdos*; quia actio sacrificandi elicitur immediatè à natura humana, non autem à diuina. Ergo munus Sacerdotis conuenit Christo secundum humanitatem, non verò secundum diuinitatem. Quod autem actio sacrificandi proueniat à natura humana, manifestè ex hoc patet: quia actio sacrificandi est actio inferioris ad Superiorem: Christus autem secundum naturam diuinam non habet superiorem, cui Sacrificium offerat, quia non est inferior Deo, sed solum secundum naturam humanam, iuxta illud Athanasij, *Minor Patre secundum humanitatem*: Ergo actio sacrificandi elicitur à natura humana, vt inferior Deo, cum sacrificatio sit exhibitio cultus, in recognitionem Auctoris vitæ, & mortis. Et ideo Augustinus ait: (d) *Christus Iesus orat pro nobis, & orat in nobis, & oratur à nobis. Orat pro*

(a) *Sup. disp. 11 sect. 2. n. 48.* (b) *Hebræor. 5.* (c) *Ephes. 5.* (d) *Enarrat. in Psalm 85.*

Digitized by Google

pro nobis, *vt Sacerdos noſter*; *Orat in nobis*, *vt Caput noſtrum*; *Oratur à nobis*, *vt Deus noſter*. *Agnoſcamus ergo in illo voces noſtras*, *& voces eius in nobis*. Et ſub hac ratione Tertullianus vocat Chriſtum, (a) *Catholicũ Patris Sacerdotem*, nempè Sacerdotem Generalem; vel quia ſolus oblationum, donorum, & Sacrificiorum omnia genera Deo Patri offert, vel quia vnus omnibus ſufficit, vt, & pro vniuerſis hominibus illa offerat, & omnes per illum offerant ſacrificia, & orationes ſuas, cuius vnius interuẽtu, ac merito Deo placent, & probantur. Oramus ergo *ad illum*, *per illum*, *in illo*, vt loquitur Auguſtinus; quia Sacerdotis ſui officium in hoc nunc etiam exequitur, videlicet quod per Vicarios Sacerdotes in Catholica Eccleſia, incruentum Sacrificium Corporis, & Sanguinis ſui, toto Orbe Terrarum offerre non deſinit. Etenim, proſequitur idem Auguſtinus. (b) *Non aliam ob cauſam in carne venit, ac forma ſerui accepta factus eſt obediens vſque ad mortem Crucis, niſi vt hac diſpenſatione miſericordioſiſſimæ gratiæ, omnes, quibus tanquam membris in ſuo capite conſtitutis Caput eſt, ad capeſſendum Regnum Cœlorum viuificaret, ſaluos faceret, liberaret, redimeret, illuminaret, qui prius fuiſſent in peccatorum morte, languoribus, ſeruitute, captiuitate, tenebris conſtituti, ſub poteſtate Diaboli Principis tenebrarum; Ac ſi fieret mediator Dei, & hominum, per quem poſt inimicitias impietatis noſtræ, illius gratia pace finitas, reconciliaremur Deo in æternam vitam ab æterna morte, qua talibus impendebat, erepti.*

CAPVT IV.

Chriſtus verè Sacerdos, & Hoſtia ſimul fuit.

12 VTrumque ſimul Chriſtum extitiſſe probat (c) *Reſolutus Doctor*

(a) *Lib. 4. cont. Marc. c. 9.* (b) *Lib. 1. de pecc. merit. & remiſ. c. 26.* (c) *Supra diſp. 12. ſent. 1. ſ. 1. n. 9.*

Digitized by Google

ctor, & ex multis locis Sacræ Scripturæ etiam patet: præsertim ex illo Isaiæ. (a) *Oblatus est quia ipse voluit.* Ex illo Pauli. (b) *Tradidit semetipsũ pro nobis oblationem, & hostiã Deo, in odorem suauitatis.* Et ex illo Ioannis. (c) *Ego pono animam meam: nemo eam tollit à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponẽdi eam, & potestatẽ habeo iterum sumendi eam.* Quibus adstipulatur tum S. Gregorius Nanzianzenus, his verbis: *Christum ideo dici ouem, quia victima fuit; & Pontificem, quia fuit oblator.* (Propterea in carmine nono ait. *Mortalisque, Deusque, & victima pura, Sacerdos.*) Tum Sanctus Augustinus, ita inquiens (d) *Ipse Christus secundum Apostolicã doctrinam obtulit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiã Deo in odorem suauitatis. Ipse verus Deus, et verus Pontifex, qui pro nobis non in sanguine taurorum, & hircorum, sed in sanguine suo semel introiuit in Sancta, quæ tunc Pontifex ille significabat, qui cum sanguine in Sancta Sanctorum per annos singulos introibat. Iste igitur est, qui in se vno totum exhibuit, quod esse necessarium ad redemptionis nostræ sciebat effectum. Idem scilicet Sacerdos, & Sacrificium Deus: Sacerdos, per quem reconciliati sumus; Sacrificium, quo reconciliati, & Deus, cui reconciliati. Solus tamen Sacerdos, & Sacrificium, quia hæc omnia Deus, secundum formam Serui.* Tandem definitum est, tam in Concilio Alexandrino, vt in Epistola decima Cyrilli nostri, & confirmata in Concilio Ephesino: quàm in Concilio Tridentino, dum sess. 22. cap. 2. statuit, *quod in Sacrificio Missæ, idem Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit. Vna enim eademque est Hostia, idem nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerẽdi ratione diuersa.* Cuius oblationis *cruentæ, inquam, fructus per hanc*

(a) c. 55. (b) Ephes. c. 5. (c) cap. 10. (d) Ora t. 36. 4. de Theol. (e) De fid. ad Petr. tom. 3. c. 2. in fin.

Digitized by Google

hanc incruentam vberrimè percipiuntur: tantum abest, vt illi per hanc quouis modo derogetur.

13 Ara vero, siue Altare, in quo Christus ob protestationem suprema excellentiæ paternæ, pro nobis obtulit seipsum Deo, tanquam hostiam, siuè immaculatum Agnum, Crux fuit; iuxta illud Hymni, *cuius Corpus Sanctissimum, in ara Crucis torridum, cruore eius roseo, gustando viuimus Deo.*

CAPVT V.

Effectus Sacerdotij Christi, siue eius sacrificij cruenti, fuit expiatio omnium nostrorum peccatorum.

14 VEritas hæc, non modo à Resoluto Bachonio, eiusque Discipulo (a) *Zagaglia* per paragrahum integrum diffusè tractatur; verum etiam certa est de fide; Sacrificium cruentum Christi fuisse propitiatorium ad expianda omnia peccata, tam præterita, quàm futura, etiam si multiplicarentur in infinitum; nec non sufficientissimum ad æquiualens, imo superabundans ad placãdam iram Diuinam, satisfaciendũque diuinæ iustitiæ, de toto rigore, pro genere humano. Ita decreuit Sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. supracitato, his verbis. *Docet Sancta Synodus, Sacrificiũ istud verè propitiatorium esse; per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia, contriti, & pœnitentes ad Deũ accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

15 Hoc autem dogma fidei, contra hæresim Caluinianam, & Ianſenianam, præcipuis Sacræ Scripturæ testimonijs firmatum reperitur. Præsertim illo Isaiæ: (b) *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi Oues errauimus, vnus-*

(a) *Tomo 6. disp. 12. sect. 1. §. 1. n. 9.* (b) *cap. 13.*

Digitized by Google

quisque in viam suam declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Item ex illo Ioannis (a) *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata Mundi*. Non dixit Sãctus Præcursor, Christum tollere peccatũ aliquorum de Mundo, sed *Mundi*, videlicet indefinitè, vt omniũ hominum designet ab ipso redemptam Vniuersitatem. Veritatem hanc sic corroborat Paulus Apostolus (b) *Charitas enim Christi vrget nos: æstimantes hoc, quoniã si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus; vt & qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*. Ex qua auctoritate, hoc consequens deducitur, nempè, Christum pro omnibus & singulis mortuum esse, qui in Adamo mortui sunt; & ex hoc testimonio Augustinus inuictè probat contra Pelagianos, paruulos omnes originali peccato adstrictos esse, quia pro ipsis omnibus, & singulis mortuus est Christus. Fauet huic doctrinæ Euangelista Ioannes, (c) ita inquiens in sua Epistola: *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi.*

16 Adstipulãtur huic maximæ auctoritati, præter Auctorum millia, ex Doctoribus Græcis, Ioannes Chrysostomus (d) ita scribens: *Christus licet non esset lutrisacturus omnes, nihilominus tamen pro omnibus mortuus est, quod suum erat adimplens*. Noster Cyrillus Alexandrinus (e) de Iuda proditore sic loquens: *Ostendat aliquis nõ licuisse proditori perinde, ac alijs discipulis diuina frui gratia, & nos victos fatebimur. Sin autẽ perinde ac alij diuina septus gratia, nutu suo in perditionis barathrum decidit: quomodo eum non seruauit Christus, qui bonitatis suæ opem ei impertijt, & quantum spectat ad rationem*

(a) *Cap.* 1. (b) *Ad Corinth. c.* 5. (c) *Lib.* 1. *c. Iulian. c.* 4. (d) *Epist.* 1. *c.* 11. (e) *Homil.* 24. *Epist. ad Rom.* (f) *Lib.* 11. *in Ioan.*

Digitized by Google

nem auxilij, cum seruasset, nisi voluntate sua ipse malam sibi vltrò accersisset. Et Diuus Hilarius. *Qui enim non manebit in Christo*, ait, *Regni Christi Incola non erit. Non erit autẽ, non quod sibi non patuerit incolatus (Vniuersis enim patet, vt consortes sint Corporis Dei, atque Regni, quia Verbum Caro factum est, & habitauit in nobis, naturã scilicet in se totius humani generis assumens) sed vnusquisq; pro merito, & euellẽdũ se de tabernaculo, & eradicandum de terra viuentium præbet, non probibitis vnquam inesse, qui per naturæ assumptionem incola sit receptus, sed eradicatur ob infidelitatis crimen naturæ consortio indignus existens.* hactenus Hilarius.

17 Ex latinis verò, Sanctus Ambrosius (a) *Mala Euæ successio, totum hominem deuorabat: Præclara Christi hæreditas totum hominem liberauit. Non ad vnum quidem, non ad paucos, sed ad omnes Testamentũ suum scripsit Iesus, omnes scripti hæredes sumus, non pro portione, sed pro vniuersitate. Testamentum commune est, & ius omnium, hæreditas vniuersorum, & soliditas singulorum.* S. Augustinus (b) *Non est facturus Angelum ex homine, qui fecit hominem ex nihilo? aut vero pro minimo habet Deus hominem, propter quem mori voluit Vnicum suum? attendamus ad iudicium dilectionis. Promissionis Dei tales arras accepimus: Tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi: Quis mortuus est? Vnicus. Pro quibus mortuus est? Vtinam pro bonis, pro iustis. Sed quid? Etenim Christus, ait Apostolus, pro Impijs mortuus est.* Et venerabilis Beda (c) *Vitulus saginatus ipse Dominus est, sed secundum carnem. Et bene saginatus, quia caro eius adeo spiritali est opima virtute, vt pro totius Mundi salute sufficiat in odorem suauitatis, in nidorem scilicet immolationis ad Deum mittere, & pro omnibus exorare.*

18 Tandem probatur ratio-

(a) *Lib. de Ioseph. Patriarc. 17.* (b) *Enarr. Psalm. 148.* (c) *Lib 4. in Luc. c. vlt.*

Digitized by Google

tione, ex illo Hebræorum nono; *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostrã ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Sed opera mortua, vt docet S. Thomas (a) sunt peccata; Ergo effectus Sacerdotis Christi fuit plena expiatio omnium peccatorum, nempè culpæ, & pœnæ, cum vtraque reperiatur in peccato. Macula autem culpæ deletur per gratiam, quã cor peccatoris conuertitur ad Deum; Pœna verò tollitur per hoc, quod Homo satisfacit Deo: Sed oblatio Christi vtrumque efficit: Ergo oblatio Christi est expiatio peccatorum, vti diximus totius Mundi; quia teste Sancto Leone Papa, (b) *Sicut nullum à reatu Dominus liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

19 Sed quid moror in comprobatione huius maximæ veritatis, si Sancta Mater Ecclesia hoc dogma fidei in Symbolo Niceno ita profitetur: *Qui propter nos homines*, inquit, *& propter nostram salutem descendit de Cœlis, crucifixus, passus, &c.* & non dicit *propter nos Christianos, Catholicos, vel Electos*, sed *propter nos homines*, nempè posteros Adæ, vt significet Christum ad singulos homines redimendos, passum esse. Propterea inquit Theophilatus; *Sicut sexta die homo conditus est, & sexta die de ligno comedit; ita sexta die, & sexta hora Christus Cruci affixus est.* Et propriè illo die (videlicet 25. Martij) testatur Herebertus Roluueyd, (c) quo memoratur, *& fuit immolatio Isaac, transitus filiorum Isdrael per mare rubrum, & victoria Michaelis Archangeli contra Dragonem, Hierosolymæ Dominus noster Iesus Christus Cruci affixus est.* In qua subiungit Sylueira Carmelita (d) *Manus suas ab ortu vsque ad occasum, ita extendit, vt omnes gen-*

(a) 3. *par. quæst.* 22. *art.* 3. *in corp.* (b) *Serm.* 1. *de Natiuit. Christi* (c) *In appendic. ad Martyrol. Adonis ad* 25 *Martij* (d) *Tom.* 7. *addit. in Matth. c.* 27. *q.* 2. *n.* 9.

Digitized by Google

gentes ad se conuocaret, ac congregaret, vt eos suo pretiosissimo sanguine ibi fuso mundaret, ac purificaret, & suis manibus extensis, tanquam sub alas congregaret, ac protegeret, vt dicitur Ioannis 52. Quod Iesus moriturus erat, & non tantum pro gente, sed & vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Et hanc doctrinam fortè ex Sacrosancto Concilio Tridentino ipse desumpsit, quia ibi sess. 6. de Iustificatione, cap. 2. decernitur, & ordinatur, videl. *Quod Cœlestis Pater, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Iesum filium suum, ante legem promissum, cum venit illa beata plenitudo temporis, ad homines miserit, vt & Iudæos, qui sub lege erant, redimeret, & gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorũ reciperẽt. Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi.* Immediatè autem c. 3. sequẽti, sic subiungit. *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ij dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur.*

20 Iure optimo ergo Sũmi Pontifices, Ecclesiæ Catholicæ Oracula, *Innocentius X.* & *Alexander VII.* illam quintam propositionem Iansenij *Semipelagianum est dicere, Christũ pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: tanquam falsam, scandalosam, temerariam, & hæreticam damnarunt.

CAPVT VI.

Iesus Christus participauit fructum sui Sacerdotij, & cruenti sacrificij, in quantum ipsum obtulit Deo, in recognitionem dominij.

21 NOta, quod oblatio sacrificij incruenti dupliciter consideratur: vel quod ipsum Christus Deo obtulit in recognitio-

Digitized by Google

tionem dominij, quod in vitam, & mortem cuiuslibet, Deus ipse habet, & in gratiarũ actione pro beneficijs collatis generi humano: vel quod Christus simpliciter, & absolutè, pro se, ipsum Deo obtulit. Primo modo, cum non solum Deus, sed etiam homo Christus esset, obtulit Deo ex iam assignatis sacrificium cruentum; quia homo Deum, vt Auctorem vitæ, & mortis recognoscere debet, & ei pro collatis beneficijs, gratias plurimas referre, & hac via Christus participauit fructũ sui Sacerdotij, docet Resolutissimus Bachonius, à *Zagaglia* suo Discipulo relatus. Secũdo autem assignato modo, non participauit Christus fructum sui Sacerdotij, quia est contra Concilium Ephesinum. Nam offerre pro se simpliciter, & absolutè Sacrificium, importat aliquam indigentiam, quam Christus pro seipso non habuit, &

22 Patet, quia quando Christus vt Sacerdos offerebat Sacrificium, illud offerebat pro alijs, interuentu Sacerdotis indigentibus, non enim vt Sacerdos pro se agebat; ergo dici nõ potest, quod obtulit Sacrificium Deo pro se, sed pro alijs ipso egentibus, pro quibus erat Sacerdos. Quod enim Christus offerebat Sacrificium pro alijs, patet; quia Sacerdos idem est, ac Pontifex: sed Pontifex ex illo Hebræorum quinto, *pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*; Ergo Christus, vti Sacerdos obtulit Sacrificium pro alijs, nempè pro hominibus, qui Sacerdotis interuentu indigebant, & pro quibus talis Sacerdos constitutus erat, & nõ pro se; etenim offerre Sacrificiũ pro se, importat quãdam indigẽtiam, quam Christus nullam habuit, & ita Sacrificium pro se minimè obtulit.

23 Confirmatur hac alia ratione: quia qui eget Sacerdote, siue Mediatore, & munere eiusdem, vt talis denotat imperfectionem, quia indiget in-

(a) *Ibid. sup. s. 1. n. 12.*

Digitized by Google

interuentu Mediatoris apud Deum; sed Christus non habuit hanc imperfectionem indigentiæ Sacerdotis, siuè Mediatoris, qui interueniret, vt talis pro ipso apud Deum. Ergo agendo, vt Sacerdos apud Deum, non agebat pro se; & ideo pro se Sacrificium minimè obtulit.

24 Et licet cæteri Sacerdotes, Christi tamen Ministri, offerant Sacrificium pro seipsis; hoc tamen faciunt, nõ vt Personæ publicæ, inquit, *Zagaglia* (a) quatenus Sacerdotes sunt pro hominibus publica auctoritate cõstituti, sed pro semet ipsis, vt personæ priuatę. In Christo autẽ hanc distinctionẽ personæ publicæ, & priuatæ, admittere non possumus, quia quouis modo ipse consideretur, auctoritas Summi Sacerdotis ab eo præscindi non potest. Cũ ergo Christus considerari non possit vt Persona publica, & priuata; neque considerari potest, vt indigens se ipso, ad hoc, vt apud Deum pro se secundum Superiorem auctoritatem intercedat. Et ideo neque dici potest, quod fuerit respectu sui ipsius Sacerdos, nempè quod fructum sui Sacerdotij, siue cruenti sacrificij pro se participauerit.

25 Magis hæc nostra veritas ex illo Matthæi cap. vndecimo num. 25. *Confiteor tibi Pater Domine Cœli, & Terræ, &c.* confirmatur; nam D. Fulgentius in Epist. prima, & Vatablus sic vertunt. *Gratias ago tibi Pater Domine Cœli, & Terræ.* Per quæ verba Sylueira inquit: (b) *Denotatur eius Supremum dominium super omnem Creaturam.* Christus ergo gratificatur Patri, in recognitionem supremi dominij, quod habet super omnem Creaturam, & ob beneficia collata generi humano, videlicet quia Mysteria sua paruulis, nempè humilibus reuelauit, & gratificatur ipsi, non vt Deus, sed vt Homo, quia, vt prosequitur supradictus Sylueira. (c) *Christus Dominus vna Persona ex duplici natura, diuina scilicet, & humana constans, vt se vtramque naturam habere ostendat, eadem-*

C

(a) *Ibidem.* (b) *Tom. 3. lib. 5. c. 20. in expos.* (c) *Sup. q. 1.*

Digitized by Google

demque sententia quoddam verbum, vt Deus, quoddam vt Homo profert, vt sicut vna Persona Deus, & Homo erat, ita vnica sententia Verbum Dei, & Verbum hominis habeat. Patrem appellat, vt Deus: gratias agit, seu confiteri dicit, vt Homo. Cui sententiæ Toletus etiam sic fauet: Christus, inquit, gratias agit, vt Homo pro hoc beneficio; beneficium homini collatum, gratiarum est actione dignum. Etenim testatur Seneca, collatum beneficium, gratitudinem, tanquam pensionis debitum annexum in recipiente exposulat. Qui grate, inquit, beneficium accipit, primam eius pensionem soluit. Christus enim tanquam Homo Æterno Patri, vti Domino omnium Creaturarum supremo, assumpta ipsarum Creaturarum ad se gratitudinis pensione, gratias innumeras refert; & hoc modo fructum sui Sacerdotij, & cruenti sacrificij percipere potuit. Est autem, inquit Cyrillus noster Alexandrinus (a) nobis Dei filius corporaliter quidem, vt Homo nobiscum commixtus, & vnitus per Eulogiam mysticam: vt Homo debet suæ vitę, & mortis, recognoscere Deum tanquam Supremum Auctorem.

CAPVT VII.

Christus virtute vnionis hypostatica, recensitam potestatem Sacerdotalem à Deo meruit.

26 SAcerdotale munus Christo virtute vnionis hypostaticæ collatum fuisse, probat Resolutus (b) Doctor in 3. tum ex illo ad Hebræos nono. *Si sanguis hircorum, & taurorum sanctificat ad emundationem, quanto magis sanguis Christi, qui semetipsum obtulit Agnum immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti.* Tum ex cap. 10. sequenti, de Christo intrante in Mundum, & cum Prophetа dicente, *Corpus autem optasti mihi, holocausta non tibi pla-*

(a) *Lib. 11. in Ioan.* (b) *Dist. 20. q. 1. art. 2.*

Digitized by Google

placuerunt, tunc dixi ecce venio. Siquidem ex istis verbis apertè colligitur, Christum ab instanti suæ Incarnationis se paratum obtulisse ad exequendum munus Sacerdotis, seipsum videlicet tanquam hostiam offerendo Deo in holocaustum.

27 Item, & in 4. discurrendo(a) ipsemet Scholę Carmelitarum Princeps per omnes species Iustitiæ, per quas Christus satisfecit, & hominem saluauit; agens postmodum de retributiua, sic hanc nostram veritatem proprio marte confirmat. *Sed pro peccato parentum non habuit Homo sacrificium Deo gratum, nec Sacerdotem Deo acceptum ad offerendum pro eo: Deus vero naturam humanam accepit, quam Deo in sacrificium pro nobis offerret, tanquam verus Sacerdos Dei summi.* Ex quo clarè patet, quod in decreto vnionis hypostaticæ Christus prædestinatus fuit Summus Sacerdos, ergo ipsius virtute Sacerdotalem potestatem meruit.

28 Patet iterū ex Sacra Scriptura, videlicet, Apocalypsis c. 13. n. 8. vbi sic. *Agnus, qui occisus est ab origine mundi*, videlicet, à primęuo mundi exordio, Christus tanquam hostia, siue agnus mactandus designatus, & per consequens etiam Sacerdos in ipsomet decretus, cum respectu Christi, hostia, & Sacerdos ad inuicem se habeāt; testatur noster doctissimus Sylueira in præcitato loco. (b) *Ab origine mundi*, inquit, *ideſt ab initio, & ante omnia, ab omni ęuo, scilicet ab æterno, Agnus occisus, ideſt occidi decretus.* Intellige, præuia vnione hypostatica, qua carnem, quæ mactanda foret, debebat assumere, & num. 139. sic prosequitur. *Occisus ergo refertur, quia ex promptissimo affectu mortē subeundi, voluntas proditur: tempus retardabat studium, sed in voluntate consumabatur tormentum: tempus expectabatur, vt impleretur decretum: sed ipsam mortem tempore retardatam, quodammodo consumauerat votum: nisi tem-*

C 2 *pus*

(a) *Dist. 1. q. 6.* (b) *Tom. 2. Apocal. c. 13. q. 18. n. 136.*

Digitized by Google

pus obstaret, Agnus ab origine mundi mortem subiret; Et ideò de firmissimo animi proposito, prædicatur occisus, licet tempore retardaretur. Ergo Christus in illo initio mundi, in quo decretum fuit, Agnum pro redemptione generis humani debere occidi, ad exequendum munus Sacerdotis, se obtulit paratum. Ergo virtute vnionis hypostaticæ, qua Deus pro redemptione generis humani Agnus debebat fieri, Sacerdotalis potestas fuit illi deriuata.

CAPVT VIII.

Tale munus Sacerdotij manet in Christo in æternum.

29 ÆTernum dupliciter sumitur à Theologis. Primo, pro duratione perpetua, vsque in finē mundi; & hoc sensu loquitur Sacra Scriptura in Exodo c. 8. sequentibus verbis. *Legitimum sempiternum erit Aaron, & semen eius post eum.* Item, de obseruātia Sabbati c. 31. sic. *Pactum est sempiternum inter me, & filios Israel, signūque perpetuum.* Qui quidem loquendi modus, tum in Leuitico, tum in libro Numeri, reperitur. Secundo, sumitur æternum in sensu proprio, nēpè pro tota æternitate, etiam post diem Iudicij duratura.

Christi autem Sacerdotiū, ex perpetuitate vnionis hypostaticæ, manet in æternum, secundo assignato modo, docet Resolutus Doctor, à suo Discipulo (a) *Zagaglia* relatus.

30 Patet primo, ex Sacra Scriptura, Hebræorum cap. 7. *Iesus autē eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.*

31 Patet secundo, ex doctrina *Angelici Doctoris*, (b) ita scribentis; videlicet, quod in officio Sacerdotis duo possūt considerari, nempè, & oblatio Sacrificij, & ipsa Sacrificij consumatio, quæ in hoc consistit, quod illi pro quibus Sacrificium offertur, finem Sacrificij consequantur. Sed finis Sacrificij, quod Christus pro

(a) *Ibid. disp. 12. sect. 1. §. 1. n. 21.* (b) *3. p. q. 22. art. 5.*

Digitized by Google

pro nobis obtulit, & per eius mortem adipiscimur, sunt bona æterna; Ergo & Sacerdotium erit æternum. Et eo magis, quia Christus non est Sacerdos per consecrationem, aut per qualitatem aliquam accidentalem, sed per vnionē substantialē humanitatis, immediatè cum Personalitate Verbi, & mediatè cum natura Diuina, per quam vnionem substātialem humanitatis, dicitur Christus vnctus in Regem, & Sacerdotem. Sed talis vnio durat in æternum, etiam post diem Iudicij. Ergo & eius Sacerdotium duraturum in æternum erit, & post diem Iudicij, sicut & eius vnctio.

32 Nec tantum mansurum erit Christi Sacerdotium in æternum, & post diem iudicij, via durationis vnionis hypostaticæ præcisè, sed etiam ex hoc videlicet, quod teste Cardinali de Lugo, adhuc post diem Iudicij manebit in Christo potestas in ordine ad aliquos effectus Sacerdotales, nempè ad orandum in Cœlo, vel denuò applicando fructū sui sacrificij cruenti, iam à se oblati in Ara Crucis. Siquidē poterit Christus tanquam publicus Minister aliquid à Deo pro suis Beatis expostulare, spectans ad gloriam accidentalem eorum: v3. nouam reuelationem, & manifestationem alicuius mysterij; & ad hunc finem obtinendum vulnera sua ei ostendere, & oblationem Corporis sui factam in Cruce applicare. Sed talis applicatio non potest fieri vt sic, sed decenti ordine, videlicet præuia potestate Sacerdotali, adhuc in Christo perseuerante. Ergo Sacerdotium Christi, saltem quo ad actiones Sacerdotales possibiles, manebit in ipso in æternum, & post diem Iudicij. Vel, vt ad tuēdam Resolutissimi Doctoris doctrinam, scribit (a) *Lumberius* noster, videlicet, quod ly in æternum accipi potest pro hoc, quousque Mundus duret, aut accipi potest strictè, quia licet Christus post finem Mundi non sit sacrificaturus, tamen orabit, mediabit obtinēdo noua beneficia Beatis, ad eorum beatitu-

(a) *Qu.* 36. *s.* 1. *n.* 2924.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA
Digitized by Google

titudinem accidentalem ſpectantia, nempe nouas reuelationes, quæ non ſpectant ad beatitudinem eſſentialem.

CAPVT IX.

Supradictum Chriſti Sacerdotium cætera antecellit.

33 REfert S. Anacletus Papa, quod olim in lege naturę fuit quoddam Sacrificiorũ genus, quo Deus, ritu publico, & ſolemni colebatur; & præuia hac ratione, aliquod etiam genus Sacerdotij fuit, non tamen à Deo, mediante aliqua conſecratione, inſtitutum, ſed ex deputatione, & arbitrio hominum deſignatum. Item nec Sacramenta, aut Sacrificia erant determinata à Deo, ſed potius ad libitum ſupradictorum hominũ deputata; prout ex verbis ipſius(a) clarius intelligi poteſt. *Quia*, inquit, *licet aliqui prius legantur obtuliſſe, vt Melchiſedech, & Abraham: Hi autem ſpontanea voluntate, nec tamen auctoritate Sacerdotali fecerunt.* Etenim proprium, & verum Sacerdotium, non ab hominibus, ſed tantum à Deo cum ſpeciali cęremonia inſtitutum, in Aaron procul dubio ſumpſit exordium, & Sacerdotium legis ſcriptæ vocatum fuit.

34 Chriſti autem Sacerdotium, nec origine, nec ſucceſſione fuit ſecundum ordinem Aaron, eo quod ad tale Aaron Sacerdotium, tantũ illi eligebantur, qui erant ex Tribu Leui: Et Chriſtus neque ſecundum lineam paternam ex Tribu Leui deſcendit, neque ſecundum rem, quia temporalem Patrem non habuit; neque ex parte Matris, quia Beatiſſima Virgo per lineam paternam ex Tribu Iuda deſcendit. Nec excogitari poteſt, vt bene notat Suarez, quod Chriſtus ad tale munus Sacerdotij veteris legis à Deo electus fuerit, cum de hac re nulla ſcriptura, aut traditio reperiatur. Propterea dicendũ erit, Sacerdotium Chriſti non ſolum à Sacerdotio legis naturæ

(a) *Epiſt. 7. Decr.*

Digitized by Google

turæ,& legis scriptę diuersum esse, cum ipsemet Christus non fuerit Sacerdos ex hominum constitutione.

35 Verum cum Resolutissimo Bachonio (a) à suo discipulo *Zagaglia* relato, asserendum; Sacerdotium ipsum altioris, & perfectioris rationis extitisse, quam vllum aliud Sacerdotium, siue legis naturæ, siuè legis scriptæ, aut legis Euangelicæ; quod idem est, excellentius omnibus alijs Sacerdotijs extitit, tum propter infinitatem Personæ offerentis; tum propter ampliorem Christi potestatem, tum denique propter nobiliorem finem, ad quem Sacerdotium ipsius se extendebat, nempè ad Redemptionem totius generis humani.

36 Et quidem præcellere propter Personę offerentis infinitatem, patet apertè hac ratione; quia Sacerdotium Christi ob Personam Verbi dignificantis infinitè, dignitatem quandam infinitam in se habuit, sed est impossibile æquale, & adeò perfectum, & nobile Sacerdotium alicui puræ Creaturæ communicari; Ergo Sacerdotium Christi propter infinitatem Personæ offerentis, cæterorum Sacerdotium antecelluit.

37 Et ita philosophandum est, propter eius ampliorem potestatem. Nam potestas Sacerdotalis Christi fundatur immediatè in vnione humanitatis cũ Personalitate Verbi, & mediatè in vnione cum natura diuina; sed quælibet alia Sacerdotalis potestas, vel fundatur in sola Populi eligentis deputatione, vel in extrinseca determinatione Dei, aut in aliquo charactere spirituali, sicut est potestas Sacerdotalis legis gratiæ, siuè Euangelicæ. Ergo Sacerdotium Christi, ob eius ampliorem potestatem, quodcunque veterum, aut Recentium Sacerdotium antecelluit.

38 Confirmatur; quia Sacerdotes legis gratiæ habent talem potestatem alligatam Sacramentis, & quatenus ipsis est alligàta, in operando est infallibilis. Christus autem talem potestatem ex se habet

(a) *Ibidem dis.* 12 *sec.* 1. §. 1 *n.* 20.

Digitized by Google

habet infallibilem, & non vt alligatam Sacramentis. Ergo Christi Sacerdotium propter hanc ampliorem potestatem, cæteris aliorum Sacerdotijs præferendum. Patet etiam, quia potestas Sacerdotalis Christi in genere potestatis Sacerdotalis, est suprema, & à nullo alio dependens, licet dependeat à Deo, ab ipso tamen dependet, non vti à Sacerdote, sed vt à supremo omnium largitore. Potestas verò Sacerdotum nouæ legis, dependet à Sacerdotio Christi, quia est participatio eiusdem. Ergo Sacerdotium Christi habet in se ampliorem potestatem, per quam cæteris aliorum Sacerdotijs antefertur.

39 Quo ad nobiliorem tandem, Christi Sacerdotium pariter præcelluisse, palam omnibus innotescit, cum nullum Sacerdotium, siuè legis naturæ, siuè legis scriptæ, aut legis gratiæ se extendat, vel extendere possit, aut potuerit ad huiusmodi finem, nempè, ad Redemptionem totius generis humani, pro qua redemptione Incarnatio Verbi diuini necessaria fuit. Ergo ratione talis finis nobilioris, Christi Sacerdotium, cæteris alijs Sacerdotijs præponitur.

40 Ratione autem, cur nullum Sacerdotium siuè legis naturæ, siuè legis scriptę, siuè legis gratiæ ad attingendum supradictum finem redemptionis totius generis humani, minimè se extenderit, aut aliquando se extendere possit, ita assignat Incognitus noster, Michael Ayguanus. (a) *Christi passio, & sanguinis effusio*, inquit, *ideò a Deo præordinata fuerunt, vt pro peccatis nostris condigna Deo fieret satisfactio. Quia cum satisfactio sit æquiualentis alias indebiti redditio; Et humanum genus peccando Dei honorem abstulerat, pro cuius satisfactione nihil æquiualens, atque indebitum poterat reddere, quia quidquid poterat ad honorem Dei facere, iam totum debitum erat ratione creationis. Ideo disposuit Deus, quod vnus Homo fieret, qui pro pecca-*

(a) *tom. 1. sup. psalm. 29 num. 431.*

Digitized by Google

peccato illo debitor non esset, quam omnium aliorum hominum, cuius vita pro honore Dei exponeretur in mortem, vt pretio sui sanguinis Deo plenè esset satisfactum. Hæc ille.

CAPVT VLTIMVM.

Sacerdotium Christi fuit secundum ordinem Melchisedech, & ipsi iure optimo assimilatum.

41 MElchisedech fuisse verum, & purum hominem, in lege naturę Sacerdotem Dei Altissimi, ac Regem Salem, quæ erat quoddam oppidum in Terra Canaan, quod nunc vocatur Ierusalem, vocari in dubium non potest. An vero ipse fuerit Sem, Noè filius, ex Hebræorum traditione, sic refert noster Incognitus, Michael Ayguanus. (a) *Notandum*, inquit, *quod secundum Glossam ad Hebræos 7. tradunt Hebræi ipsum Melchisedech fuisse Sem filium Noè. Et quando Abraham natus est, ipsum trecentos, & nonaginta annos habuisse, hic Abrahæ, nepoti suo obuiauit, cum reuertebatur de cęde quatuor Regum, de quibus dictum est in principio istius psalmi, & panem, & vinum Abrahæ obtulit in refectionem eius, & suorum. Salem vero dicunt fuisse Hierusalem, non quod Hierusalem tunc esset, sed ibi erat quoddam oppidum, vbi post Hierusalem fuit ædificata.* Extitisse tandem verum Sacerdotem, præ cæteris scribit (b) *Vasquez.*

42 Et secundum ordinẽ illius Christi Sacerdotium fuisse, docet *Sanctus Thomas* in 3. p. q. 22. art. 6. cui etiam adhæret noster Resolutissimus Doctor, à (c) *Zagaglia* suo Discipulo relatus. Et est in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. his verbis definitum: *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, se in æternum declarans, Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis,*

D

(a) *tom. 5. sup. psalm. 109. n. 1972.* (b) *disp. 86. c. 2. n. 9.* (c) *sup. disp. 12 sec. 1. §. 1. n. 24.*

Digitized by Google

panis, & vini, Deo Patri obtulit, &c.

43 Quod autem Christi Sacerdotium iure optimo, à Melchisedech Sacerdotio nõ differat, hinc rationem supracitatus Incognitus (a) nonnullam adducit: *Ex multis deducit Apostolus, quod Melchisedech erat Christi figura. Primo quia Melchisedech interpretatur Rex Iustitiæ, & hic est Christus, qui suos iustos facit, & regit. Deinde dicitur Rex Salem, id est Rex pacis, quod verè Christo competit, qui pacificauit, quæ in Cœlo, & quæ in Terra sunt. Etiam dicit, Apostolus, ipsum Melchisedech fuisse sine Patre, & sine Matre: non quidem esse intelligendum, quod ille non habuerit Patrem, & Matrem, sicut ideo sine illis dicitur fuisse, quia Scriptura de Patre, vel Matre eius nullam facit mentionem. Sic & Christus fuit sine Patre quoad humanitatem, & sine Matre quoad Diuinitatem, quia in Cœlis natus sine Matre, & in Terris sine Patre. Ille etiam non animalia bruta in Sacrificium obtulit, sed panem, & vinum, quæ figurabant Sacrificium Christi, quod sub speciebus panis, & vini conficitur. Quibus omnibus concludit Apostolus: Christum verè Sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech.* hactenus incognitus. Atque hæc de Christo Mediatore, & Sacerdote satis sint: nunc autem de Christo Summo Pontifice, & Capite Ecclesiæ dicamus.

(a) *Ibid. sup.*

QVÆST. SECVNDA.

De Christo Summo Pontifice, Rege Spirituali, & Capite Ecclesiæ.

PROLOQVIVM.

SAtis ex Incognito in præcedenti Capite, omni iure Christi, & Melchisedech Sacerdotij similimam rationem esse perspeximus. Sed quia Melchisedech non modo Summus Sacerdos extitit, sed etiam Rex: quærendum nunc est, an Christus, cuius cum Melchise-

Digitized by Google

sedech nulla est dissimilitudo, non modo Summus Pontifex, sed Rex spiritualis, & Caput Ecclesiæ itidem fuerit. Deinde videndum, an etiam legifer noster fuerit, eiusq; Euangelica lex, euacuatiua legis Mosaicæ. Item an Iudex, & Redemptor noster; & tandem an secundum humanitatem fuerit etiam Rex temporalis totius Mundi; & tàm super omnia eius Regna, quàm super res singulares ipsius, dominium proprietatis habuerit. Siquidem cum in præcedenti quæstione sermo fuerit, tum de Christi Sacerdotio secundum se, tum comparatiuè ad omnia alia sacerdotia, tum in ordine ad Deum: nunc de Sacerdotio ip so in ordine ad Dei Ecclesiam, omninò agendum erit. De quo sit.

CAPVT I.

Christus fuit Summus Pontifex, & Caput Ecclesiæ.

44 CAput dupliciter sumitur: primo pro capite corporis humani, cuius officium est membra corporis gubernare. Secundo, metaphoricè, pro morali aliquo capite, videlicet, pro Principe alicuius Reipublicæ, officium cuius, est mẽbra talis Communitatis regere, & gubernare.

45 Ecclesia verò, à S. Cypriano sic definitur: *(a) Est Plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.* A Sancto Augustino autem, ita. *(b) Populus Dei, toto orbe terrarum diffusus.* Quam definitionem approbat Catechismus Concilij Tridentini. Secundum S. Thomam Aquinatem, pluribus in locis: *Ecclesia est Congregatio fidelium.* Secundum Resolutissimum Doctorẽ Bachonium; (c) *Est*

D 2 *vnum*

(a) *Epistol. 69. ad Florentium Pupianum.* (b) *Lib. de Cathechiz. Rudibus.* (c) *Zagagl. sup. §. 2. n. 27.*

Digitized by Google

vnum Corpus, & vnum Regnũ mysticum, & spirituale, cuius Caput visibile, est Summus Põtifex, & eius vltimus finis est æterna beatitudo. Tandem à Doctissimo Viro, Cardinali Bellarmino, (licet eius natura, & essentia minimè explicetur, sed status potius, quem ipsa Ecclesia in nouo testamento à Christo accepit) sic etiam definitur apud recentiores. *Est cœtus hominum eiusdem Christianæ fidei professione, & eorundem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum Pastorũ, & præcipuè vnius Christi in Terris Vicarij Romani Pontificis.*

46 Dicitur primo *Cœtus hominum*, & non *Angelorum*: vt Ecclesia nostra militans, à Triumphante Ecclesia distinguatur. Cœtus namque est Sancta Ecclesia, siue Regnum mysticũ, aut sacra Respublica à cęteris Rebusp̃licis maximè diuersa. Illæ enim humana ratione, & prudentia nituntur; hæc autem Dei sapientia, & consilio est constituta. Illæ diuersas Prouincias in se habent: & Ecclesia Catholica, generales Ecclesias, nempè, Græcam, Gallicanam, Germanam, Hispanam, Anglicanam, &c. in se conglomerat. In ipsis Prouincijs adsunt Principes, Duces, & Marchiones; Et in eiusdem Ecclesijs Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi reperiuntur; Capitalis eius tamen Ciuitas, siue Regia, est Ecclesia Romana, & Caput visibile totius huius Regni mystici, siuè Reipublicæ, est Summus Pontifex. Regnum mysticum, siue Respublica namque est, non homines auctores habens, sed Deum immortalem, qui eam supra firmissimam petram ędificauit, agnoscens. *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* Hinc Propheta ait: *Ipse fundauit eam Altissimus.*

47 Dicitur secundo, *Eiusdẽ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus*; Vt ab ipsa Ecclesia excludantur tam Infideles, qui nomina sua Christo per baptismũ minimè dederunt, vt sunt Iudęi, Turcæ, Ethni-

Digitized by Google

Ethnici; quam illi, qui prius fuerunt eius mẽbra, & modo ab ea defecerunt, vt Apostatæ, Hæretici, & Excommunicati, de quibus Ecclesia, vti Rex de subditis perduellibus, & militiæ desertoribus, potest iudicare. Item & Cathecumeni: nam licet in eius vtero quodammodo sint concepti, nondum tamen in viros Christianos nati, & per baptismum ad cõmunionem Sacramentorum sunt admissi.

48 Dicitur vltimo: *Sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipuè vnius Christi in Terris Vicarij Romani Pontificis.* Vt ab ipsa, tam Schismatici, qui Catholicam fidem simul cum Catholicis profitentur, & legitimo Pastori non subduntur, excludantur, quam vt cæteris apertè ostendatur, Romanum Pontificem, supremam potestatem à Christo accepisse, tanquam verum eius in Terris Vicarium.

49 *Christum vero,* (a) inquit noster Resolutissimus Doctor, *immediatè à Deo omnem potestatis, & iurisdictionis plenitudinem sibi collatam in instãti suæ conceptionis assumpsisse. Propterea Summum Pontificem à nullo dependentem, præter quam à Deo extitisse.* Quod etiam probat Paulus Apostolus (b) his verbis, *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c.* & alibi: *Habemus ergo Pontificem magnum, qui penetrauit Cœlos, Iesum filium Dei.* Et hanc veritatem noster Thomas Vualdensis (c) etiam testatur sequẽti ratione. *Christus vt Pontifex,* inquit, *instituit Apostolos Sacerdotes perfectos; sed in tali institutione Sacerdotii in communi, instituit etiam quodlibet speciale, nempe Sacerdotium Curatorum Episcopale; quod absolute, vt Pontifex minimè instituit, quia inter institutionem Sacerdotũ, & Episcoporum nulla daretur distinctio. Ergo ipsum instituit tanquam Summus Pontifex.*

50 Quod etiam Christus fuerit Caput morale tam militan-

(a) *Apud Zagagl. disp. 12. sec. 1. §. 2. n. 27.* (b) *Ad Hebr. c. 9. & cap. 4.*
(c) *To m. 1. lib. 3. art. 3. c. 29. n. 3.*

Digitized by Google

litantis, quam triumphantis Ecclesiæ, & vtraque corpus ipsius, docet hoc indubiè, tum ad Ephesios, tum ad Colossenses, Doctor gentium, (a) his verbis: *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius.* Cap. vero 4. sic prosequitur. *Crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus.* Ad Colossenses verò (b) *Ipse est Caput Corporis Ecclesiæ.* Cui veritati fauet hęc potissima ratio; quia cum Ecclesia sit vnum Corpus morale, cuius membra sunt omnes Christifideles, nè sit anacephala, necessario ipsius caput est Christus. Quod autem Ecclesia sit vnum corpus mysticum, siue morale, patet: quia ideo corpus naturale est vnũ, & non aggregatum per accidens, quia in ipso sunt diuersa membra adinuicem connexa, vnita, & ordinata; sed Christifideles in Ecclesia, tanquam moralia membra sunt interius inter se vniti per vnionem Fidei, & exterius per vnionem Sacramentorum, & ceremoniarum; Ergo constituunt vnum corpus mysticum, quod est Ecclesia, cuius caput est Christus. Patet etiam hoc aperte; quia ideo caput corporis, dicitur caput, quatenus supereminet cæteris partibus, quas per influxum interius, & exterius per directionem regit; sed Christus superexcessit in dignitate omnibus hominibus, quos vtroque modo etiam nunc gubernat, videlicet per influxum internum gratiarum, & externum per directionem, mediante eius Vicario in Terris. Ergo Christus est caput morale totius Ecclesiæ. Quod etiam sentit noster Resolutissimus Doctor, relatus à Zagaglia, dum sic ait. *Remanet ergo, vt videamus, in quo consistat hæc spiritualis potestas, & iurisdictio, quam habet Christus, vt Summus Pontifex, & Caput Ecclesiæ.* De qua fusius per totam hanc secundam quæstionem differitur; nunc autem sit.

CA-

(a) *Ad Ephes.* 1. (b) *Cap.* 1.

Digitized by Google

CAPVT II.

Christus est Rex spiritualis Ecclesiæ.

51 *CHristum autem esse Regem spiritualem, satis ex scripturis patefieri*, testatur Resolutissimus Bachonius (a) in loco supra citato: Vbi inquit, *Christus vocatur Caput Ecclesiæ, Pontifex, Summus Sacerdos. Visum enim, & explicatũ est, quod in Christo esse Sacerdotem, Pontificem, Caput Ecclesiæ & Regem Spiritualem pro eodem habẽtur.* Hæc Bachonius, quod etiam sic probat S. Augustinus (b) *Rex pugnauit pro nobis: Sacerdos obtulit se pro nobis.* Scripturæ vero sacræ, sequentes esse possunt, nempè Isaias c. 9. *Factus est Principatus super humerum eius*, Psalmus 2. *Ego autem cõstitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum eius prædicans præceptũ eius.* Item, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, ac possessionem tuam terminos terræ.* Psalm. 71. *Deus iudicium tuum Regi da.* Ieremias cap. 23. *Et regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in Terra.* Zacharias cap. 9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator.* & Gabriel ad Mariam; *Regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.*

52 Patet etiam ratione: Quia Christo Domino minimè sunt deneganda quæcunque honorifica, & gloriosa, diuinam eius Maiestatem non dedecent, sed potius humanam illius dignitatem ornant, & illustrant. Sed Regnum spirituale est quid maximum honorificum, & glorioſum, ad dignitatem Redemptoris exercendam, imo planè necessarium; Ergo Regnum ipsum spirituale, Christo non est denegandum: Et eo maximè, cum ipsum Vualdensis (c) sic probet: *Scias, inquit, Vnum Christi Regnum Cæleste, et æternum*

(a) *Sup. s. 2. n. 27.* (b) *Enarr. in Psalm. 149.* (c) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. quæst. 76 n. 5.*

Digitized by Google

num esse iure Patris; Aliud autem collatum ipsi ex tempore, quo debuit regnare ex tempore per fidem, Regno tamen sempiterno futuro. Sed tale Regnum est Ecclesia, nempè fideles, teste Augustino. (a) *Quod est enim eius Regnum, nisi credentes in eum?* Ergo Christus est Rex spiritualis Ecclesiæ.

53 Regnũ Christi igitur in Terris inchoatur, & in Cœlo perficitur; Veri tamen Regis officia, admirabili prouidentia præstat Ecclesiæ. Ipse Rex eam regit, ipse ab insidijs & impetu inimicorum tuetur. Ipse leges, obseruatione facillimas, & suauissimas ei præscribit. *Lex Domini immaculata, præceptum eius lucidũ.* Ipse non solum sanctitatem, & iustitiam largitur; verum & ad perseuerandum vires, & facultatem præbet. Quamuis autem huius Regni finibus, tam boni, quam mali contineantur; & propterea omnes homines ad ipsum pertineant: ij tamen præcæteris, regiam eius bonitatem, & beneficentiam percipiunt, qui eius præcepta adamussim obseruant, & innocentem vitam agunt. A Christo enim dicimur Christiani, id est vncti, siue missi, videlicet Messiam sequentes; per eius doctrinam illuminati, & edocti, & per Sacerdotium, & Sacrificium ipsius à peccatis expiati; & per regiam potestatẽ contra omnes tentationes victores. *Quãuis illi data fuerit omnis potestas in Cœlo, et in Terra;* Nos autem charitate magis, quam authoritate regit, nostris consulit vtilitatibus, non suis; *quia bonus Pastor animam suã dat pro ouibus suis;* & licet legem immaculatam conuertentem animas, nobis tradat; ad ipsam adimplendam, efficaciissima adiutoria tamen nobis præbet; & illam implet, qui Cœlestem ipsum Regem toto corde amat; Siquidem nullum aliud tributum exigit, nisi amoris. Rex sapientissimus est, & faciens iudicium, & iustitiam in Terris. Vitam pro omnibus eum professentibus, & si perduellibus expo-

(a) *Tract. 115. in Ioan.*

Digitized by Google

exponit, quia pro omnibus venit, & pro omnibus Crucē sustinuit. Inimicos ipsorum profligat, & Satanam sub eorum pedibus cōterit: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Subditos incomparabili mansuetudine regit, Pastorem illis potius exhibendo, quam Regem, facilem omnibus præber auditum, pulsantibus aperit: omnes inuitat, omnes sine personarum, & cōditionum acceptione complectitur, fouet, & tuetur: *Omnibus æqualis,* inquit Tertullianus, *omnibus Rex.* Pro nobis natus, totus nobis datus, totus expensus in nostros vsus: nos amicos, non seruos suos vocare dignatur, ad mēsam suam admittit, in consortium sui Regni nos vocat, quin immo, *Reges, & Sacerdotes Deo nos facit.* Regi, ac Deo nostro igitur in omnibus obediamus, quia Rex noster est iure natiuitatis, iure victoriæ, & iure electionis: Siquidem in baptismo illum eligimus, & nos imperio, ac dominationi illius in perpetuum addiximus. Illi ergo fideliter seruiamus, cui seruire, regnare est. Amen.

CAPVT III.

Christus tamquam Rex spiritualis habuit talem potestatem in tota Ecclesia, vt nulli Creaturæ fuerit communicata.

54 ET quidem tanquam Regem spiritualem Christum obtinuisse à Deo supremam potestatem in tota Ecclesia, probat primo noster Resolutissimus Bachonius (a) sæpesæpius citatus, dum ipsam *potestatem totius perfectionis, & excellentiæ vocat.* Secundo etiam id Sacra Scriptura testatur, præsertim apud Matthæum in illo; *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Et apud Ioannem: (b) *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus suas,* nempè exponunt Cyrillus (c)

E no-

(a) *Ibidem s. 2. num. 29.* (b) *Cap. 13.* (c) *Lib. 9. in Ioan. cap. 3.*

Digitized by Google

noſter, & Auguſtinus (a) *Salutem omnium, redemptionem, inſtructionem, & gubernationem*. Ergo Chriſtus vti Rex ſpiritualis, habuit in tota Eccleſia eam poteſtatem, quæ potentia excellentiæ dicitur.

55 Patet etiam clarè ab effectu, ſcilicet ab exercitio talis poteſtatis, quam Chriſtus in tota vniuerſali Eccleſia, pro ſalute omnium exercuit. Primo namque Eccleſiam ipſam, ſiue Regnum ſpirituale, *proprio ſanguine ſuo*, teſte Apoſtolo (b) *acquiſiuit*, & ideo eam non ſolum vſque in finem Mundi protegit, & defendit. *Et Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi*; (c) Verum, & modum, quo regenda, & gubernanda erat, etiam tradidit. Secũdo ad beneficium, & ſalutem omnium Animarum, præuia tali poteſtate excellentiæ, ſacramẽta inſtituit, quibus gratia, vel confertur, vel augetur; & proficiunt ad ingreſſum, & aggregationem in Regnum Cœleſte, & triumphãtẽ Eccleſiam. Itẽ pro regimine ſuæ Eccleſiæ Superiores elegit, videlicet Apoſtolos, quos & Epiſcopos in vltima Cœna conſecrauit, eiſque vti membris ſupradictæ Eccleſiæ, tum amplam poteſtatem, & iuriſdictionem tradidit: (d) *Quorum peccata remiſeritis, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Tum caput viſibile in Terris, & ſuum Vicarium Petrum Apoſtolum cõſtituit: (e) *Paſce oues meas, paſce agnos meos.*, cui è viuis deceſſo, per inſpirationem Spiritus Sancti ſucceſſorem elegit, & quod Petro præſtitit, etiam vſque in finem Mundi ſuis ſucceſſoribus præſtabit. Suo deinde electo Vicario, non modo poteſtatem eligendi Paſtorem ſingularum Eccleſiarum, vel immediatè per ſeipſum, vel per Clerum ex ſui conceſſione, ipſo tamen approbante, Chriſtus tribuit; verum, & modum, ſiuè ritum adminiſtrandi Sacramenta, & alia ad ſalutem ſtatuere, legeſque ſuas interpretare, ac declara-

(a) *Tract. 55. in Joan.* (b) *Act. Apoſtol. c. 20.* (c) *Matth. c. vlt.* (d) *Joan. c. 20.* (e) *Joan. c. 21.*

Digitized by Google

clarare, nec non si opus fuerit, noua præcepta condere, etiam impartiuit.

Ex quibus omnibus, supra citatus noster Resolutissimus Doctor (a) hanc veritatem deducit. *Dicendum ergo est, quod hæc suprema potestas excellentiæ est propria Christi, nec vlli Creaturæ comunicata est.*

56 Quod sic probat: quia actus, & effectus talis potestatis excellentiæ, à nulla Creatura, nisi à Christo effici possunt; Ergo nulli Creaturæ talis potestas fuit communicata. Quod autem tales effectus à nulla Creatura, sed à solo Christo effici possint, hoc apertè patet, quia solus Christus ob passionem, & mortem suam potuit Ecclesiam, siue Regnum suum spirituale stabilire: iuxta illud Isaiæ 9. *Cuius principatus super humerum eius.* Et ipse solus etiam Sacramenta instituere, peccata remittere, & hanc potestatem suis Ministris conferre. Item Tribunal erigere, vt peccata in foro interno, & Animæ dijudicẽtur; ac eo modo, quo ipse vult, Animas sine allegatione ad Sacramenta sanctificare, & peccata remittere, sicut pluries factum fuisse, in Euangelijs legitur. Sed hæc omnia ad supradictam potestatem excellentiæ spectant: Ergo ipsa fuit propria Christi, vti Regis Spiritualis Ecclesiæ, & nulli Creaturæ vnquam cõmunicata. Nam licet Sũmi Pontifices, Episcopi, & Sacerdotes ipsam habeant, minime tamen eam habent amplitudine, quo ad omnia, sed limitatiuè, dependenter à Christo, & Sacramentis alligata: & ideo quando operantur, in nomine Christi operantur.

CAPVT IV.

Christus præter Regiam potestatem, habuit etiam potestatem legislatiuam.

57 REsolutiss. Doctor Bachonius (b) ex concordantia Prophetarum, qui prædixerunt Messiam legislatorem, sic hanc veri-

(a) *Sup. §. 2. n. 29.* (b) *In 4. q. 6. Prolog. art. 2.*

Digitized by Google

veritatem probat: *Christum legislatorem venisse*, inquit, *ostendo per factum, & Prophetias pertinentes ad legis institutionem. Prædixerat enim Ezechiel. cap. 36. quod daturus erat legem spiritualis vnctionis in Messia; scilicet per baptismum in aqua, & Spiritu Sancto, dicens: Congregabo vos & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum. Sed hoc refert cap. 3. Matthæus de Christo, referens quomodo Christus fuit baptizatus à Ioanne, &c. Ergo sequitur ex prophetica vnctione de facto Christum venisse. Item hoc etiam sequitur ex legis iustificatione: Oseæ 10. dicitur: Seminate vobis in iustitia; tempus autem requirendi Dominum, qui docebit, cum venerit, vos iustitiam. Sed cap. 8. Matthæi, docuit Christus legem iustitiæ, dicens: Primum querite Regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, &c. Item sequitur ex legis, & iudicij moderatione: Hieremiæ 33. dicitur: In diebus illis germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium, & iustitiam in Terra. Sed Matthæi 7. cap. docet Christus moderamen in iudicio seruandum, dicens: Nolite iudicare & non iudicabimini, in quo enim iudicio, &c. Ergo, &c.* Hactenus Resolutissimus Doctor, (a) & etiam Marasca eius Discipulus; cui adstipulatur, tam Sacra Scriptura ex c. 33. Isaiæ. *Dominus noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster saluabit nos.* Ex illo Ioannis 14. *Mandata mea seruate.* Ex cap. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Ex Matth. cap. 18. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis;* Quàm Sacrum Concilium Tridentinũ, sequentibus verbis: (b) *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse, vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt legislatorem, cui obediant, anathema sit.* Ex quibus auctoritatibus non solum manifestè colligitur Christum legislatorem extitisse,

ve-

(a) Tom. 2. p. 1g. 235. (b) Sess. 6. can. 21.

Digitized by Google

verum, & quasdã leges obligatorias suis Discipulis exhibuisse.

58 Patet etiam ratione. Quia suprema, & regia dignitas habet tam potestatem cõdẽdi leges, quàm ad ipsarum obseruãtiam obligãdi subditos. Sed dignitas Christi spiritualis fuit suprema, & regia; Ergo habuit potestatem tam cõdẽdi leges, quam ad ipsarũ obseruantiam obligandi subditos, nempè homines. Ergo Christus cum potestate regia, legislatiuam etiam habuit.

59 Et ea singulari amplitudine, & excellentia ipsam potestatem habuit, vt nulli Creaturæ vnquam communicata fuerit, prosequitur Resolutissimus Bachonius (a) quod sic probat. *Potestas*, inquit, *legislatiua Christi, fuit necessario coniuncta cum potestate instituendi Sacramenta, eo quod Sacramenta instituere, nihil aliud est, quam leges condere, obligando homines ad ipsa suscipienda cum quadam dispositione, & ritu, pro eorum salute, sicut Christus instituit pro tota Ecclesia. Sed hac potestas soli Christo tanta amplitudine, & excellentia, ratione vnionis hypostaticæ, & dignitatis Personæ Verbi, fuit communicata; Ergo nunquam alicui Creaturæ.*

60 Præcepta tandem legis à Christo legislatore emanata, triplicia sunt, videlicet moralia, Sacramentalia, & fidei. Præcepta moralia sunt illa, quibus Christus explicat præcepta Decalogi, & perficit, vt in *cap. 5. 6. & 7.* Matthęi habetur; ac etiam prohibitio diuortij, & libelli repudij, ad hoc, vt vinculum matrimonij non dissoluatur, nisi post mortẽ. Præcepta vero (b) Sacramentalia sunt: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnũ Dei.* (c) Item *nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Præcepta tandem Fidei sunt. (d) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero*

(a) *In 4. dist. 2. quæst. 1. art. 2.* (b) *Ioan. cap. 3.* (c) *Ioan. cap. 6.* (d) *Marc. cap. 6.*

Digitized by Google

vero non crediderit, condemnabitur. Et alibi. (a) *Si non creditis, quia Ego sum, moriemini in peccato vestro.* In quibus omnibus hoc discrimen est, quod præcepta Sacramẽtalia sunt verè, & propriè à Christo instituta; reliqua verò ab ipso aucta, vel perfectionata. Nam præcepta moralia cum sint naturalis iuris, non indigebant institutione, sed tantum perfectione. Præceptum vero Fidei, est aliquo modo actum, quia Natalis, Passio, Mors, Resurrectio, & cætera alia mysteria, quæ à Iudæis implicitè, & obscurè credebantur, nunc expressè, & distinctè ab omnibus Christi fidelibus creduntur. Consule Beecanum p. 3. tract. 1. c. 25.

(a) Ioan. cap. 8.

CAPVT V.

Talis potestas legislatiua Christi euacuatiua fuit legis Mosaicæ.

61 LEgem Christi Euangelicam euacuatiũ legis Moysis extitisse, habetur ex Sacra Scriptura manifestè, præsertim ex illo Matthæi cap. 1. *Omnes Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem perduraruni*. Videlicet vsque ad Ioannem, explicat Maldonatus, *viguisse, vim habuisse, perdurasse, officioque suo functos fuisse*. Siquidẽ post Ioannem Baptistam, lex gratiæ, nempè Euangelium incæpit: Propterea lex Euangelica euacuatiua fuit legis Moysis. Patet etiam ex illo Pauli ad Romanos 10. *Finis enim legis, Christus, ad iustitiam omni credenti*. Ergo lex Moysis postquam impleta fuit per Christum, statim euanuit; quod habetur itidem ex ipsomet Paulo Apostolo ad Hebræos cap. 7. sic testante: *Translato Sa-*

Digitized by Google

Sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. Sed legale Sacerdotium fuit translatum per Christum; Ergo etiam & lex ipsa Moysis per legem Euangelicam.

62 Resolutissimus vero Doctor Ioannes Bachonius, (a) hanc tantam veritatem sequenti hac ratione solidè probat: *Arguebant*, inquit, *Iudæi legem Moysi esse firmã, & stabilẽ; quia fuit Dei promissio introndi in requiem suam, iuxta illud psalmi 94. Hodiè si vocem eius audieritis, nolite obdurare, &c. Et infra, Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam; sed illa requies promissa, fuit figuralis tantum, & non vera, quia tantum figurans veram requiem, in quam Christus in lege promissus est nos introducturus: Veritas autem figura est euacuatiua; Ergo &c. Quod fuerit tantum figura, notat hoc Apostolus, quia cum Dauid in persona Christi dicit de incredulis quod non intrarent in requiem Dei; hoc non potest intelligi de requie terrena in terra promissionis, cum Dauid hoc dicat diu post tempus, in quo Iosue, , & Caleph, & alij introierunt in terram promissionis. Ergo cum Dauid dicit: Nolite obdurare corda vestra, quia si sic, nõ intrabitis in requiẽ Dei, oportet, quod de alia requie loquatur, quã de illa requie terrena: Ergo oportet intelligi de alia requie spirituali, quam requies terræ promissionis significabat. Sed nulla alia requies spiritualis Dei exprimitur in Sacra Scriptura, nisi illa vera requies, quæ est beatitudo Dei æterna; Ergo requies terræ promissionis fuit tantum figuratiua veræ requiei, quam lex Christi promittit Matthæi 25. Venite benedicti Patris mei percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi.* Hactenus Resolutus Doctor.

63 Qui ad magis firmandam hanc veritatem, sic denuo eam ab effectu producit. Præcepta contenta in lege Moysis (prosequitur) alia erãt cæremonialia, alia moralia, & alia iudiciaria. Sed omnia ista euacuata fuerunt per legem

(a) In 4. q. 5. Prolog. art. 2.

Digitized by Google

legem Euangelicam ; Ergo lex Euangelica fuit euacuatiua legis Moysis . Probatur minor, quia præcepta cæremonialia , qualia erant Circumcisio, & Sacrificia legalia, totaliter euacuata fuerunt per legem Euangelicam , videlicet , Circumcisio per Baptismum , & Sacrificia legalia per Sacrificium cruentum à Christo in Ara Crucis pro redemptione totius generis humani Deo oblatum . Præcepta vero moralia , quia fundata erant in lege naturæ, videlicet in illis præceptis: *Quod tibi non vis , alteri ne feceris*, non fuerunt euacuata totaliter , sed tantum secundum eorum imperfectionem , eo quod tantum malas operationes, siue manus prohibebant, non vero animum , & malam voluntatem confutabant , sicut Christus apud Matthæum cap. 5. prohibuit sic : *Dixerat enim lex vetus: nõ occides Ego autem dico vobis, omnino non irasci , qui enim irascitur fratri suo, reus est . Dixit enim lex , non mœchaberis ; Ego autem dico vobis, omnis , qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo . Lex dicit , quicunque dimiserit vxorem suam , det ei libellum repudij ; Ego autem dico vobis : Omnis , qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis , facit eam mœchari , & qui dimissam duxerit , adulterat . Item lex dicit, non periurabis; Ego autem dico vobis, non periurare omninò, neque per Cœlum , quia Thronus Dei est. Dicit tandem lex, diliges amicum tuum , & odio habebis inimicum ; Ego autem dico vobis, diligite etiam Inimicos vestros .* Ergo præcepta moralia admixtionem imperfecti in seipsis admittebant ; eo quod prauus animus ; siue mala voluntas poterant stare cum tali malarum operationum prohibitione , & ipsam Christus prohibuit. Ergo præcepta moralia, quo ad eorum imperfectionem, per legem Euangelicam euacuata fuerunt . Præcepta tandem iudicialia, quia erant ordinata ad seruandum in populo Iudaico ordinem iustitiæ, non fuerunt

Digitized by Google

runt euacuata secundum speciem; sed tantum secundum numerum, alias eadem numero legali numerositate, scù obligatoria adhuc reperirentur. Sed aduenientè lege gratiæ, qua Christus suos fideles liberauit à legis Moysis iugo, cessauit obligatio, & etiam cessauit talis numerus. Quia tamen in lege gratiæ seruanda est iustitia, ideo præcepta ipsa secundum speciem non erant delenda, sed tantum secundum numerum, ne aliquis diceret, quod status ille adhuc perduraret, quod etroneum est, & absurdum; licet iam nunc perduret legis scriptæ thuriferatio: hoc ideo est, quia nullum Christi venturi mysterium ipsa significabat, sed tantum extrinsecam quandam deuotionem Populi, quæ minor non debet esse ad ipsum venturum, quàm nunc præsentialiter.

64 Huic autem potestati legislatiuę Christi, non modo homines tãtum; verum & iuxta illud Matthæi cap. vltim. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra.* Et illud Psalmi 8. *Omnia subiecit sub pedibus eius*, etiam omnes Angeli subijciuntur, hac tamen distinctione: quod Angeli mali potestati eius coercitiuę; Angeli vero boni, potestati directiuæ, non quo ad internam directionem circa vltimum finem; sed quo ad externam gubernationem, & ministeria exercenda, tam circa seipsum Christum, quàm circa homines subijciuntur; & in hoc sensu potestas ipsa cõprehendit homines, Angelos bonos, & malos.

65 Nec tantum legem Mosaicam, sed etiam leges omnes sẽsuales Christus propter salutem hominum euacuauit, vt sanctorum præceptorum simul, & morum nostrorum legifer se ostenderet, scribit Augustinus: (a) *Satellites*, inquit, *voluptatis diuitias perniciosè populi appetebant: Christus autem pauper esse voluit. Honoribus, & imperijs inhiabant: Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant; Tale Coniu-*

F *gium,*

(a) *Lib. de ver. Relig. c.* 16.

Digitized by Google

gium, prolemque contempſit. Contumelias ſuperbiſſimè horrebant: omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Iniurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: Quæ maior iniuria, quàm Iuſtum, innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur: flagellatus, atque cruciatus eſt. Mori metuebant: Morte mulctatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus, Crucem putabant: Crucifixus eſt. Omnia, quæ habere cupientes, non rectè viuebamus, carendo vilefecit. Omnia, quæ vitare cupientes, à ſtudio deuiabamus veritatis, perpetiendo deiecit. Non enim vllum peccatum committi poteſt, niſi aut dum appetuntur ea, quæ ille contempſit, aut fugiuntur, quæ ille ſuſtinuit. Hæc Auguſtinus.

CAPVT VI.

Chriſtus cum poteſtate legislatiua, habuit etiam poteſtatem iudiciariam.

66 POteſtas legislatiua, cum poteſtate iudiciaria neceſſariò conjungitur, cum ad illum, qui leges condidit, vel qui in iure condendi leges ſuccedit, de obſeruantia, vel inobſeruantia legum iudicare pertineat; pro meritis præmiando, & pro demeritis puniendo. Cum igitur Chriſtus (teſtatur Reſolutiſſimus Bachonius) poteſtatem legislatiuã obtinuerit; proculdubio cum ipſa, etiam poteſtatem iudiciariam à Deo habuit, quod ex operatione rerum humanarum ad finem humanæ ſalutis, ſic probat. (a) *Cui enim committitur principale*, inquit, *committitur & acceſſorium; ſed res humanæ ordinantur, vt per debitum vſum earum aſſequatur homo vitam æternam, & vitæ æternę Iudex eſt Chriſtus,*

(a) *In 4. q. 11 prol art. 1.*

Digitized by Google

stus, vt patet Matthæi 25. quia ipse proferet sententiam dicens: Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum, &c. Ergo Christus habet potestatem iudiciariam.

67 Solidius tamen, & clarius probatur ex S. Scriptura, præsertim ex cap. 16. Matthæi, vbi Christus palam ait, se in extremo Iudicij die fore præmiatorum, vel puniturum, secundum opera singulorum, & tunc reddere vnicuique iuxta opera sua. Item patet ex illo Actor. Apostolorum c. 10. *Hic est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum, & mortuorum.* Ex Symbolo Athanasij, *Inde venturus est iudicare vivos, & mortuos, ad cuius aduentum omnes homines reddituri sunt de factis propriis rationem, & qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.* Ex Symbolo Niceno: *Inde vēturus est iudicare viuos, & mortuos.* Tādem ex illo Ioannis cap. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Et licet hæc omnia intelligantur de secundo aduentu, in die iudicij, quando omnes homines in vnum erūt congregati; de ipsis autem singulis ex hac vita decedentibus, etiam intelligi potest; sicut Anna his verbis prophetauit: *Dominus iudicabit fines Terræ, dabit Imperium Regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.* Et ratio est, quia iudicium duplex est, inquit *Zagaglia* (a) Bachonij Discipulus: alterum legis, alterum Iudicij. Lex enim dicitur iudicare, quia qui peccat in legem, per ipsam legem, quoad reatū iam morti iudicatus est, quāquā minimè prolata sit sentētia Iudicis. Christus hanc legē promulgauit. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Similiter in cap. 5. Matthæi sic ait: *Qui occiderit, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Qui ergo huiusmodi leges transgrediuntur, absque eo, quod Iudex ferat sententiam;

(a) *Ibid. sup. sec. 1. n. 53.*

tiam; ab ipsis legibus iudicati sunt. Et ideo Augustinus ait: *Iam iudicatus est: non dum apparuit iudicium, sed iam factum est.* Et explicans hoc pertinere ad Saluatorem Mundi, subiungit: *Saluari non vis ab ipso? ex te iudicaberis.* Modo ergo præuaricatores legis, per legem iudicantur. In die vero Iudicij, Iudicis officium Christus exercebit; quia licet legis trãsgressores iam ex ipsa lege ad mortem iudicati sint; vnusquisque tamen rationem suorum operum reddet, & tunc quo ad executionem, in transgressores sententiam mortis proferet, iuxta illud relatum Matthæi: *Ite maledicti in ignem æternum, &c.*

CAPVT VII.

In Christo præter Iudiciariam, etiam redemptiua potestas fuit.

68 CHristum Dominum præter potestatem regiam, legislatiuam, & iudiciariam, habuisse etiam à Deo potestatem redemptiuam, probat satis Resolutissimus Doctor Bachonius à suo Discipulo Zagaglia sæpè sæpius relatus, (a) sic: *Quia potissimus finis Incarnationis fuit, vt homines à captiuitate liberaret, & ad finem supernaturalis beatitudinis perduceret.* Quæ quidem veritas, tum ex Prophetis Euangelistis, tum denique ex Doctoribus Græcis, ac Latinis, apertè firmatur. Quantum autem ad Prophetas, de Christo Zacharias cap. 9. ita ait: *Tu autem in sanguine testamenti tui, eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo nõ erat aqua.* Quam scripturam pertinere ad Christum, apertè explicant hæc verba præcedẽtia, cum ibidem dicatur. *Dicite Filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi, &c.* quibus verbis docet Propheta, Messiam in sanguine suo redemisse genus humanum, & priscos Patres è lacu Limbi eduxisse, vbi non erat aqua saliens in vitam æternam. Ita interpretantur Hieronymus, Remi-

(a) *Ibid. disp. 12. s. 1. n. 56.*

Digitized by Google

migius, & Theodoretus.

69 Circa verò Euangelistas, Matthæus sic in Persona Christi cap. 26. scripsit: *Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ioannes(a) autem ita ait: *Sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.* Quibus adiungitur Paulus(b) Apostolus, sic inquiens: *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Item ad Galatas etiam cap. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum.* Et Sãcti de Cælo pariter ita adstipulãtur(c) *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo.* Ecclesiam autem triumphantem, sic in quadam præfatione Sabbati Sãcti, Ecclesia militãs prosequitur. *Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum soluit, & veteris piaculi cautionem proprio cruore detersit.*

70 Tandem quo ad Doctores; Græci ita etiam testantur, & in primis noster Cyrillus Alexandrinus: (d) *Quod si Verbum*, inquit, *secundum humanam carnem passum proprie carnis perpessiones, quasi proprias in se transtulit, ibique vendicauit, tunc demum vnius mortem secundum carnem omnium hominum vitæ præponderasse rectissimè asserimus.* Cyrillum Alexandrinum sequitur alter Cyrillus Hierosolymitanus: (e) *Christus secundum diuinam Scripturam*, inquiens, *Hierosolymis in medio Mundi operatus est salutem, qui mortem quidem hic perpessus est, proprioque, ac pretioso sanguine suo hominum peccata deleuit; vitam vero, & incorruptibilitatem spiritalem, cœlestemque gratiam credentibus omnibus præbuit.* Immo Basilius Magnus: (f) *Quid*, ait, *vsque tanti momenti est, quod poterat homo dare pro redemptione Animæ suæ? Inuentum tamen est vnum pro omnibus simul hominibus dignum pretium,*

(a) *In epist. 1 c. 1.* (b) *Epist ad Galat. c. 4.* (c) *Apoc. c. 5.* (d) *Exegesi ad Valerian.* (e) *Ad Constantin. Imper. de signo Crucis in Cœlo apparente.* (f) *In Psal. 48.*

Digitized by Google

tium, sanguis Domini nostri Iesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit. Quamobrem pretio sumus empti. Gregorius Nyssenus. (a) *Porrò cum Redemptionem esse Christum dicimus, qui seipsum, vt nos redimeret, pretium dedit, ea voce intelligimus, eum tanquam mercedem cuiuscumque animi, præbendo nobis immortalitatẽ, nos è morte à se vitã coemptos, propriam sibi possessionẽ effecit.* Et Theodoretus: (b) *Ipse fuit pacis Arbiter, scribens, & Conciliator. Ipse effecit, vt qui ex illis, & ex nobis credebant, in vnum corpus redigerentur: & fecit, vt lex cessaret, quę instar cuiusdam muri nos à nobis inuicem arcebat, prius autem inimicitias, quæ nobis cum Deo intercedebant sustulit, cum suam carnem pro nobis dedisset pretium redemptionis.*

71 Latini vero sic, Ambrosius: (c) *Nullius sanguis proficit, sicut sanguis Christi, neque enim redimere potuit sãguis Prophetarum, neque redemit nos Petrus, aut Paulus, solus ille redimere morte sua nos potuit, qui & Deus est, & Homo: Quod qui purus Homo fuisset, nunquam valuisset.* Augustinus: (d) *Tenebantur homines captiui sub Diabolo, & Dæmonibus seruiebant: sed redempti sunt à captiuitate. Vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit Orbem Terrarum.* Sãctus Hieronymus: (e) *Quod pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, perficiens per sanguinem Crucis suę.* Sanctus Cyprianus: (f) *Hanc gratiam Christus impertit, hoc manus misericordiæ suæ tribuit subigendo mortem trophęo Crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione Cœlesti.* Et Sanctus Hilarius: (g) *Dominus solus passurus omnia, omnium peccata soluebat. Et ex his patet* (concludit

(a) *Ad Olimpiador. Monach. de perfecti hominis forma.* (b) *Epist. ad Ephes. ad c. 2.* (c) *In c. 7. Luc.* (d) *Enarr. in Psal. 35.* (e) *Lib. 14. in Isai.* (f) *Contra Demetrianum.* (g) *In c. 14. D. Matth.*

Digitized by Google

dit Resolutissimus Doctor)(a) *Quod habuit Christus potestatem redemptiuam naturæ humanæ.*

CAPVT VIII.

Recensitæ potestates non conueniunt Christo ratione naturæ diuinæ, sed tantum secundum naturam humanam.

72 RESolutissimus Doctor Bachonius supracitatus, agēs fusiùs de hac veritate, decernit (b) *Munus potestatis Regiæ, Legislatiuæ, iudiciariæ, & redemptiuæ non conuenire Christo ratione naturæ Diuinæ, vt principio elicitiuo, vt quo, sed solum ratione naturæ humanæ.* Quæ quidem veritas habetur etiam ex Chrysologo, ita testante. (c) *Christo datum fuisse imperium secundum humanitatem, non secundum Diuinitatem.* Et patet sigillatim ex S. Scriptura.

73 Primò quo ad potestatem Regiam, ita ait Isaias c. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, cuius Principatus super humerum eius, & multiplicabitur eius imperium.* Lucas vero sic c. 1. scribit. *Dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in æternum.* Ioannes ita c. 12. testatur. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* Matthęus c. vlt. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Et Paulus ad Hebræos c. 1. *Diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit Hæredem vniuersorum.* Quæ omnia loca loquūtur de Christo, vt Homo, & ideo ratione naturæ humanæ habuit potestatē Regiā à Deo.

74 Pari modo de potestate Legislatiua philosophatur Sacrum Concilium Tridentinum, sess. 6. can. 21. vbi definit: *Christum Iesum datum fuisse à Deo hominibus, vt Redemptorem, cui fidant, vt Legislatorē, cui obediant.*

75 De potestate iudiciaria,

(a) *Sup. Ibid.* (b) *Sup. disp. 12. sect. 2. n. 57. & 19.* (c) *Serm. 144. apud Mendoc. lib. 1. Reg. c. 11. n. 10.*

Digitized by Google

tia, Ioannes expresse testatur c.5. *Quod Pater dedit omne iudicium filio, & potestatem etiã iudicium facere* non quia Deus, *sed quia filius Hominis est.* Quod idem est, nempe ratione naturæ humanæ, non autem Diuinæ.

76 Tandem quo ad potestatem redemptiuam, iam testatum est Concilium Tridentinum: *Christum datum fuisse à Deo hominibus, vt Redemptorem, cui fidant.* Redemptor autem fuit secundum humanitatem, quia actio redimendi, à natura humana, & nõ à Diuina elicitur, eo quod actio redimendi, est actio inferioris ad Superiorem, & Christus secundum naturam Diuinam, non est minor Patre, siue Deo, sed secundum naturam humanam. Quod autem actio redimendi, sit actio inferioris ad Superiorem, patet; quia actio redimendi est actio merendi, quæ est obsequiosa, exhibitiua ad impetrandum aliquid pro altero, & non potest competere Christo vti Deo secundum naturam Diuinam, sed tãtum secundum naturam humanã; *Agit tamen*, scribit S. Leo, (a) *vtraque forma diuina, & humana, cum alterius communione, quod proprium est: Verbo scilicet operãte, quod Verbi est: & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniurijs.* Nempè natura humana, secũdũ quam passus est Christus, testatur S. Cyrillus Alexandrinus. (b) *Ea quę sũt carnis suę propria sibi necessario faciens, passus dicitur, quæ secundum carnem acciderunt.* Secundum quam, languores nostros tulit, & dolores nostros portauit. Secundum quam, peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit. Alias, inquit Paulus Apostolus, (c) *Si Iudęi cognouissent, nunquam Dominum glorię crucifixissent.* Et propterea potestatem redemptiuam habuit Christus, ratione solius naturę humanæ.

CA-

(a) *Epist. ad Flauianum.* (b) *Epist. ad Valer.* (c) *Epist. ad Corinth*

Digitized by Google

CAPVT IX.

Christus iure paternæ donationis, fuit etiam Rex temporalis totius Mundi, secundum humanitatem.

77 PRæter potestatem regiam spiritualem ad finem supernaturalem: nempè ad redemptionem totius Mundi directam, de qua cap. 3. præcedenti actũ est: habuisse etiam Christum secundum humanitatem, potestatem regiam temporalem super omnia regna Mundi, adeo ut de omnibus ipsius rebus absque vllius iniuria disponere potuisset, probat sic Resolutissimus Doctor Bachonius: (a) *Quia nato Christo Deo forti de Virgine, dedit ei Deus solium Dauid in æternum, sed habere solium in æternum, seu sceptrum, est à Deo esse hæredem à iure diuino. Ergo nec fuit Christus solum Rex Iuda, sed & totius vniuersi Orbis, iure donationis paternæ. In Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et in Psalm. 71. Dominabitur à mare vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, & adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Nec obstat, quod dicit Christus, Regnum meum non est de hoc Mundo; hoc enim non dicit abnegando ius dominij, sed ostendendo se non curare de iure vsusfructus, id est non curauit exequi ius suum in perceptione rerum, seu fructuum Mundi; Et ideo cum agebatur coram Pilato contra eum super vsurpatione Regni Iudæorum, concessit se esse Regem: sed negauit se curare de temporali vtili commodo eius, addens; Non est hinc; sicque intellexit responsionem Pilatus: nam replicauit; Ergo Rex es tu? Et Christus concessit sic: Tu dicis, quia Rex sum Ego: Et addidit Christus causam, quare concessit se esse Regem. Quia ad hoc veni in hunc Mũdum, vt testimonium perhibeam veritati. Pilatus igitur*

(a) *In 4. q. 1. Prolar. 2 §. 2. lit. B. lit. C.*

Digitized by Google

hanc veritatem concipiens, scripsit verum titulũ eius, dicẽs: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum: nec propter clamorẽ Populi voluit delere. Hactenus Bachon.

78 Quæ quidem veritas, patet etiam sequenti hac ratione: Quia si Christus haberet solum Regnum, & potestatem spiritualem, non posset nobis præcipere per voluntatem humanam, nisi ea tantum, quæ pertinent ad regimen spirituale animarum; quia si præciperet nobis aliquid merè temporale, possemus opponere, quod terminos suæ potestatis excederet. Sed hoc videtur absurdum contra illud psal. 8. *Omnia subiecit, &c.* Ergo dicendũ est, quod Christus præter potestatẽ spiritualem Regiam, habuit etiam Regiam potestatem temporalem in toto orbe terrarum, & super omnes eius Reges.

79 Patet secundo ex Sacra Scriptura, præsertim ex Psalmo 8. assignato: *Omnia subiecit sub pedibus eius.* ly *omnia*, comprehendit tam cœlestia, quam terrestria, vt colligitur ex illo Matthæi cap. vlt. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Ergo Christus fuit etiam Rex temporalis; quod apertè manifestant loca sequentia Sacræ Scripturæ: (a) *Dominabitur à mare vsque ad Mare. Possessionem tuam terminos terræ. Princeps Regum terræ. Rex Regum, & Dominus dominantium.* Siquidem intelligi non possunt de dominio spirituali, quia vti scribit Cabrera, (b) Christus esset Rex impropriè, æquiuocè, & abusiuè, sicut dicitur, *Sponsus, Pastor, Petra, Leo, Agnus, &c.* Contra doctrinam Sancti Augustini, (c) & aliorum Doctorum asserẽtium, quod ea verba solum in Sacra Scriptura, impropriè accipienda sunt; ex quibus falsus oriretur sensus, si propriè intelligerentur. Sed si verba prolata Sacræ Scripturæ intelligãtur de dominio temporali Christi, non solum cessat omne absurdum, sed etiam maximè dignificatur eius natu-

(a) *Psal.* 31. & 2. & *Apocalyps. c.* 2. & *c.* 10. (b) *In* 3. *par. q.* 22. *art.* 2. *n.* 62. (c) *Tom.* 3. *de doctrin. Christiana c.* 5.

Digitized by Google

tura humana. Ergo Christus secundum ipsam fuit Rex tẽporalis totius Mundi, & habuit dominium rectum in omnes Reges, & Imperatores. Quod etiam docet S. Thomas, in cuius 3. parte Gamachæus q. 22. agens de Regno temporali Christi, asserit, quod potuit ipse leges sæculares promulgare, & tàm Reges, quàm omnes homines tanquam sibi subditos, ad illarum obseruãtiam obligare. Quod etiam tenet Molina tom. 1. de iustitia, & iure, disp. 58. conclus. 4. sed diù ante eos talem veritatẽ docuit Resolutissimus Doctor, quam ex text. Matthæi (a) 27. littera C. sic probat: *Christo homini conuenit iudiciaria potestas, quò ad omnes personas, & earum res, ex quo omnia sunt ei subiecta secundum potentiam, quam accepit à Patre.* Ergo Christus, vt Iudex omnium, habuit iurisdictionem directiuam temporalem in omnes Reges, ac Imperatores, &c. Quod autem Christo conueniat Iudiciaria potestas, quoad omnes Personas, & res earum, patet ex text. 5. Politicorum, vbi Aristoteles ait: *Quod aliqui, etiam mulieres sunt serui, quia debiles sunt ratione: & ex opposito illi, qui summa vigent ratione, sunt aliorum Reges, & Domini.* Sed Christus secundum Animam habuit super omnes homines plenitudinẽ scientię per gratiam vnionis. Ergo per talem gratiam debebat esse omnium Rex, & Iudex; Ergo tales poterat leges super omnia Regna Mundi, Reges, & Imperatores præscribere, & ad illorum obseruantiam illos obligare.

80 Verum tamen est, quod Christus habuit talem potestatem regiam tẽporalem super omnia Regna Mundi, Reges, Imperatores, &c. in actu primo, non verò in actu secundo, nempè quo ad exercitium; quia, vt asserit Resolutissimus Doctor, (b) *Christus non curauit de iure vsufructus.* Nec venit ad exercendam potestatem regiam temporalem, sed venit principaliter propter finem dirigendi animas ad eter-

(a) *Disp. 13. apud Zagagl. ibid. sup. sect. 2. n. 39* (b) *Supra.*

Digitized by Google

nam beatitudinem, ac proinde ad exercendam potestatem regiam spiritualem. *Non veni ministrari, sed ministrare*, inquit Christus apud Matthęū; quam exercuit in terris, & non constat exercuisse potestatem regiam temporalem, esto illam potuerit exequi; immo constat ex illo Luc. 12. potius ipsam respuisse. *Homo quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Nec ex hoc infertur, quod talis potestas frustratoria sit, cum nō reducatur ad actum: quia hoc verum esset, si ad actum ex aliquo potentiæ defectu, vel impedimento reduci non posset, non autem si eius vsus subsit voluntati, & voluntas nolit, quod prorumpat in actum, prout cōtigit in Christo, & licet non deseruiat ipsa ad actum, deseruit tamen ad ornatum, & perfectionem habentis illam.

81 An etiam Christus fuerit Rex Israel, vt homo iure hæreditario? affirmat Resolutissimus Doctor, eiusque Discipuli Marasca, & Zagaglia; quam rem Syueira noster etiam eruditè tangit, referens Sanctos Athanasium, Epiphanium, Hieronymum, & Bernardinum Senensem, nec non cæteros alios, pro sua sententia; eo quod ex parte matris, & familia Dauid Christus descenderit; in qua, deficiente viro, fœmina succedere poterat, vt patet ex cap. 27. Num. 8. Nec obstat, quod secūdum lineam paternam Beatissima Virgo non descenderit a Dauide per Salomonem, sed per Nathan, etiam Dauidis filium: quia sufficit, vt ex parte aliqua ipsa gloriosissima Virgo à Salomone habuerit originem, nempè per eius fratrem, vt bene docet S. Thomas 3. parte quæst. 31. art. 3. ad 2. Sanctus Hieronymus in cap. 21. Hieremiæ, & Damascenus lib. 4. cap. 15. de fide orthodoxa; sed in his omnibus semper intelligendum est, Christum potestatem regiam temporalem, solum in actu primo, non in actu secundo habuisse. Et hęc de Christo secundum humanitatem: secundum quam remanet videndū,

an

Digitized by Google

an etiam super Regna Mundi habuerit dominium proprietatis.

CAPVT VLTIMVM.

Christus habuit dominium proprietatis super omnia Regna mundi, & eius res singulares.

82 HOc enim à Resolutissimo *Bachonio* (a) primò in 4. sentent. deinde sequenti hac ratione sic probatur. Quia Adam creatus in statu Innocentiæ originalis, fuit à Deo, Dominus totius Vniuersi constitutus: (b) *Subijcite terram, & dominamini illi.* Sed Christus sine virili semine, in iustitia originali fuit conceptus; Ergo Dominus totius Vniuersi fuit; alias fuisset deterioris conditionis, quàm Adam.

83 Patet etiam & hac alia ratione. Christus tanquã Rex noster, talem potestatem habet in nobis, qualem quilibet Dominus habet in mancipijs suis, quia ab eo recedere nequaquam possumus. Ergo maiorem potestatem habet in rebus nostris, eas disponẽdi, distribuendi, transferendi, &c. Quod ita sit, manifestè ostenditur; quia plus est esse Dominum Creaturarum, quã ipsorum bonorum: Hinc si Christus est verus Rex, & Dominus omnium Creaturarum, multo magis dominium proprietatis super ipsarum res, videlicet Regna Mundi, habet, & ideo de illis pro suo libito disponere potest, iuxta illud Patientissimi Iob, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.*

84 Sed ex manifestis verbis supracitati Bachonij, (c) tandem expressius hæc veritas munitur. *Christus*, inquit Resolutissimus Doctor, *habuit potestatem dispositiuam, distributiuam, & translatiuam, de Persona in Personam, quantum ad omnes res huius Mundi.* Ergo, & dominium proprietatis super ipsas etiam habuit; alias

(a) *Quæst.* 11. *Prolog.* (b) *Genes. cap.* 1. (c) *In 4. quæst.* 11. *Prolog. art.* 2.

Digitized by Google

alias de ipsis minimè potuisset disponere, aut cæteris distribuere, vel donare. Quod autem Christus talem potestatem dispositiuam, distributiuam, & translatiuam verè habuerit, apertè patet: quia talis potestas, iuxta illud Psal. 23. *Domini est terra, & plenitudo eius*, Deo minimè denegatur. Sed Christus, vt Homo, est eadem Persona cum Verbo Dei. Ergo neque ipsi talis potestas dispositiua, distributiua, & translatiua debet denegari; quia ea, quæ conueniunt Deo, etiam conueniunt Personæ Christi, & cõtrarium asserere, hæreticum est, cum in Symbolo Apostolico Niceno, reperiatur stabilitum, quod filius Dei Iesus Christus resurrexit, & ad Cœlos ascendit. Et Doctores multi concedunt, quod verum est dicere, quod Christus creauit stellas, & huiusmodi. Quæ omnia vera sunt de Christo propter communicationem idiomatum, ideſt, quia Deus, & Homo, sunt vna Persona, quæ Christus est. Secundum ergo illam rationem, qua conceditur Christo potestas resurgendi, ad Cœlos ascendendi, omnia creandi; secundum ipsam etiam concedi debet dominium super omnia Regna, & res Mundi singulares: Quod quidem dominium proprietatis est, vt exponunt Innocentius, & Ostiensis *in titulo de voto, & voti redemptione cap. Quod de his.*

85 Item. Quia Noè fuit perfectus coram Deo, Dominus non modo præuia Arca ab aquâ eum saluauit; verum & omnem terram concessit illi in possessionem, dicens. (a) *Egredere super terram*; Sed Christus, vt Homo, fuit Homo coram Deo perfectus, & aqua baptismatis saluauit mũdum, quinimmo passione sui corporis eum redemit; Ergo merito illi fuit à Deo concessum dominium proprietatis super omnia Regna Mundi, & res singulares ipsius, alias esset inferior Noè.

86 Item, quia Abraham obediuit Deo, egrediens de terra, & cognatione sua, Domi-

(a) *Genes.* 8.

Digitized by Google

minus ei ait: (a) *Leua oculos tuos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo in ſempiternum.* Sed Chriſtus factus eſt obediens Deo vſque ad mortem; Ergo habuit dominium proprietatis ſuper omnia Regna Mundi, & omnes eius res ſingulares, itidem vt Abraham; imo plenius.

87 Item Dauid, vt habetur in Pſal. 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo*: Fuit Deo propter miſericordiam, acceptiſſimus, & excelſus Primogenitus Dei præ Regibus Terræ. Sed Dauid non loquebatur de propria perſona, ſed de Chriſto homine, quia fuit Rex miſericordiæ, & eius ſemen, vnde dicitur ibi. *Et ponam in ſæculum ſæculi, ſemen eius.* Ergo Chriſtus fuit Rex Regum ſuper omnes Reges terræ, ſuper quorum Regna, & res ſingulares, dominium proprietatis habuit; *Aliàs*, vti ſcribit Mendoha, (b) *eius Regnum temporale, ſuper omnes Creaturas excellens, & ſuperioris ordinis minimè eſſet.* Sed fuit Rex Regum, & Dominus dominantium, & vti Incognitus noſter ſcribit; (c) *Poteſtas Chriſti Regis, poteſtatem omnium hominum generaliter exceſſit.* Ergo dominium proprietatis ſuper omnia Regna Mundi, eiuſque res ſingulares habuit.

Benè verum eſt, inhærendo ſuperius dictis, quod tale dominium proprietatis habuit in actu primo, non in actu ſecundo; Et ob hinc non habuit dominium vtile, neque vſumfructum, vti ſcribit Bachonius.

QVÆST. TERTIA.

De Chriſto inſtituente in terris ſuum Vicarium, nempe Romanum Pontificem.

PROLOQVIVM.

88 HVcuſque, ea methodo, & breuitate, qua potuimus, egimus de Chriſti Sacerdotio, in ordi-

(a) *Geneſ. cap.* 13. (b) 1. *lib. Reg. c.* 2. *num.* 10. (c) *Tom.* 2. *in Pſal.* 96. *num.* 1664.

Digitized by Google

ordine ad eius Ecclesiam, quam tanquam Sponsam dilectissimam, non modo per influxum internum donorum gratiæ iam nunc moderatur; verum & quando in terris cum Hominibus conuersatus est, etiam per externam gubernationem, præsentialiter Christus rexit. Vnde post eius Ascensionem in Cœlum, eam derelinquere Anacephalam, indecens erat; propterea in sui locum caput visibile cum potestate clauium subrogauit, nempè Petrum Apostolum; cuius suprema potestas, & iurisdictio iure hæreditario diuino, in suos Successores, videlicet Pontifices Romanos, trãsijt: quorum electio, etiam de iure diuino mediato, ad Cardinales spectat; electumque ab ipsis in Pontificem, verum deinde, ac legitimum in toto Terrarum Orbe, Petri successorem esse, probat tum auctoritas Conciliorum, tum antiqua Ecclesiæ traditio, tum communis Græcorum, & Latinorum Patrum auctoritas, tum denique non interrupta à Petro, vsque in hodiernum Papam, Romanorum Pontificum Chronotaxis. De quibus omnibus sigillatim in hac tertia quæstione, Deo fauente, tractabimus. Propterea sit.

CAPVT I.

Christus in terris reliquit suum Vicarium, vt esset Caput omnium suorum fidelium.

89 RESolutiss. Doctor Bachonius probans hanc veritatem, inquit; (a) *Quod negare auctoritatem capitis Ecclesiæ Christi committentis, est hæreticum, cum sit definitum in cap. omnes.* Pro huius rei tamen veritate, adferte, quod Christi Sacerdotium dupliciter consideratur, & pro primo statu, qui fuit in diebus carnis, quando Christus mortale corpus assumpsit, cum hominibus conuersatus est, & pro eis preces, supplicationesque ad Deum effudit, & pro secundo statu, qui dicitur consummatus in Re-

(a) *In 4. q. 10. Prol. art. 1.*

Digitized by Google

Regno, de quo Paulus Apostolus:(a)*Consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ*, appellatus à Deo *Pontifex secundum ordinem Melchisedech*. Nè igitur Sacerdotium consideratum secundùm vtrumque statum, primum, & secundum, totaliter periret: Christus, Sacerdotium secundi status in se retinuit; illud verò primi status, suo Vicario committere decens fuit, ad hoc vt ipsum tamdiù successiuè continuetur, quandiù supereſt causa talis Sacerdotij, nempè mortalis status hominum in hac carne viuentium; pro quibus ab initio Sacerdotem carnis cum ipsis esse oportuit, ad hoc, vt caro sensibiliter carnem de spiritu informare possit, cum inter symbola facilior sit actio. Et hoc est adeo certum, *Vt quisquis*, teste Sancto Leone Papa, (b) *Sanctæ Sedi eum existimes denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem: Sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.*

90 Patet hoc, euidenti ratione: quia cum nemo sit, qui res fidei suo ingenio assequi possit, necessaria est illi aliqua regula, per quam res ipsæ, vt credendæ proponantur: alias nec Deus suæ Ecclesiæ sufficienter prouidisset, nec hominibus infidelitas imputari posset: sed talis regula non solum debet esse nota, & certissima, sed etiam visibilis, & caput omnium. Ergo Christus, pro directione, & gubernatione suarum ouium, tanquam regulam visibilem, reliquit in terris suum Vicarium. Maior est certa; minor verò sic à Bellarmino (c) probatur: *Si nota non sit, nec regula nobis erit; si certa non sit, nec quidem regula erit*. Quod autem debeat esse visibilis, per se patet, quia dubia, & falsa dogmata, quæ circa fidē oriri possunt, à certa regula visibili, ideſt à Iudice declarari, & extirpari debent: alias Christifideles essent semper

(a) *Ad Hebræos c.4.* (b) *Epist. ad Episc. Vienn. Prouinciæ.* (c) *Tom.1 lib.1 de Verb. Dei c.2.§.2.*

Digitized by Google

dubij, incerti, & circa media necessaria ad æternam salutem, continuò nutantes. Propterea Suarez(a) inter numerum regularum fidei, Christi Vicarium iure optimo posuit, dū asserit regulas ipsas quinque esse, videlicet; *Sacram*, *Scripturam*, *Traditionem*, *Ecclesiam*, *Summum Pontificem*, & *Concilia*.

91 Item & hac alia irrefragabili ratione: quia Ecclesia Dei, non solum per influxum internum donorum gratiæ gubernatur, sed etiam per externam gubernationem, & manutenentiam, sicut Christus cum adhuc esset in terris, vtrumque munus pro ipsa gessit, videlicet, fidelibus internam gratiam largiens; externis autem, actionibus, quæ ad Ecclesiæ statum pertinebant, ipsam moderans; *Sed necesse fuit*, inquit Augustinus (b) *Ecclesiam Christo corporaliter carere, quia alias non esset meritum grande credentium*, & *beatitudo gloriosa, si semper Dominus in resuscitato corpore humanis oculis appareret. Spiritus ergo Sanctus hoc magnum munus attulit crediturus, vt ad eum, quem carnalibus oculis non viderent, à carnalibus cupiditatibus mente sobria, & spiritualibus desiderijs ebria suspirarent*. Et infra. *Semper quidem Diuinitate nobiscum est, sed nisi corporaliter abiret à nobis semper eius corpus carnaliter videremus*. Ne ergo Ecclesia ob corporalem Christi absentiam externa gubernatione careret, opus fuit, vt talem extrinsecam gubernationem in ipsa Christi Vicarius exerceret. Cui veritati noster Doctissimus Vualdensis (c) sic adstipulatur: *Christo expediens fuit ad fidem credentium, subtrahere corporalem suam præsentiam Mundo, & collocare carnem suam passam ad dexteram Dei Patris, vt per spem illuc trahere posset corda fidelium. Ita etiam iudicauit expediens, vt ipso sic subtracto, substitueret Vicarium suum Petrum, qui corporali præsentia pasceret oues Christi, & con-*

(a) *Tract. de fide disp. 5. sec. 2.* (b) *Tom. 1. Serm. 10. de Verb. Domin.* (c) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 53 n. 2.*

Digitized by Google

& confirmaret fratres suos, qui tamen non æquiparauit Christum in virtutibus, & ipso subtracto alius substitueretur ipsi, qui nec par ipsi esset in virtutibus, vt discerent homines per abundantiorem humilitatem, non soli Christo obedire, & credere propter se, sed etiam puris hominibus propter Christum. Et ideo huiusmodi tutela Pastorum in Ecclesia est continua: ex successione perpetua, & vno subtracto Ministro, vel Pontifice, alius in locum ipsius subrogatur.

92 Hanc tandem veritatem sic perorat Illustrissimus Barbosa: (a) Christus ad Patrem, & ad triumphantem Ecclesiam, ex militanti reuersurus, ex multis necessarium reputauit aliquem Ecclesiæ à se in Terris constitutæ Præsidem relinquere, qui eius vicariam potestatem retineret, & ad quē tanquam Iudicem, & Pastorem, omnes Christi ouiculæ in terrena Ecclesia commorantes confluerent. Primò, quia sicut Rex à regno discedens, si diù abfuturus sit, alium in suum locum sufficere, & subrogare solet; ita par fuit, vt Christus Cœlum conscendens, alius substitueret. Secundo, quia regimen Ecclesiæ sub ea forma manere debet, qua institutum fuerat à Christo; sed ante Christi Ascensionem institutum fuerat sub capite visibili; Ergo post Christi ascensionem remanere debebat sub aliquo capite visibili; alioquin regimen Ecclesiæ, & consequenter ipsamet Ecclesia mutata esset, quod dici non potest. Remansit igitur in Terris caput visibile Ecclesiæ Christi Vicarius, & Christus in Cœlis existens etiam remansit caput, non quidem visibile, sed visibili modo, quia non est amplius visibiliter præsens, sicut erat ante Ascensionem, sed inuisibile, & ibi permansurum est vsque ad mundi finem, quia dirigit, & gubernat Ecclesiam per internum gratiæ influxum. Et ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationē seculi Matth. cap. 28. id est per directionem, & influxum gratiæ, & donorum Spiritus Sancti.

(a) Lib. de iure Eccles. c. 1. de Summ. Pontif. n. 11.

Digitized by Google

CAPVT II.

Recenſitus Chriſti Vicarius ab ipſo Chriſto in Terris inſtitutus, fuit Apoſtolus Petrus.

93 BEatiſſimum Apoſtolorũ Principem Petrum Apoſtolũ fuiſſe à Chriſto Redemptore noſtro ob ſui in terris corporalẽ abſentiam, conſtitutum ſuum Vicarium, eſt adeò certiſſimum, vt contrarium aſſerere, inquit Reſolutiſſimus Doctor Bachonius, videatur hæreticum; prout contra Marſilium de Padua, & Ioannem de Gãdauo, ſanxit Ioannes XXII. in ſua Conſtitutione, quæ incipit. (a) *Licet ſecundum Apoſtolum, &c.* In qua oſtendit Pontifex, Petrum eſſe Caput omnium, Petram, & fundamentum Eccleſiæ. Et ita his verbis teſtatur ſupra relatus Bachonius, *Chriſtus ſolus*, proſequitur, *Romanam fundauit Eccleſiam, ac Beato vitæ æternæ clauigero Petro, terreni ſimul, & cæleſtis Imperij iura commiſit, qui Chriſti priuilegio fungitur, & illius auctoritate fundatur.* Pari modo alter Carmelita, nempè (b) *Guido de Terrena*, Epiſcopus Maioricenſis fatetur, &

94 Patet indubiè ex Sacra Scriptura, præſertim ex illo Matthæi cap. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Etenim clauium nomine nihil aliud, niſi poteſtas, Iuriſdictio Eccleſiaſtica, Pontificia, ac vniuerſalis ligandi, & ſoluendi facultas venit: vt ex illo Apocalypſis 3. habetur, vbi clauis pro poteſtate vſurpatur. *Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid*, & teſtatur Sylueira, (c) quod, *communis Recentiorum ſententia, videlicet Cornelij, Sà, Menochij, Eſtij, Tirini, la Haye,* per

(a) *In 4. qu. 10. Prol. art. 1. in fine.* (b) *In ſumm. de hæreſib. c. 3.* (c) *Tom. 1. Apoc. c. 3. verſ. 7. q. 17. n. 155.*

Digitized by Google

per Clauem Dauid intelligit ſupremam, & altam Chriſti poteſtatem ad regendam, & gubernandam Eccleſiam ſuam, frequenter enim per claues poteſtas denotatur, & in huius rei ſignum Principibus, & Regibus dantur Vrbium claues, & loquitur Chriſtus de Eccleſia: quaſi de vna Domo, ſiuè Templo, cuius claues habet. Talem autem poteſtatem Petrum clauium nomine à Chriſto accepiſſe, docent, & tenent S. Cyprianus in Epiſt. 73. ad Iubaianum, S. Hilarius in cap. 16. Matthęi, S. Efreſyrus in Panoplia, S. Petrus Chryſologus in ſerm. 155. alijque quamplures.

95 Item ex illo Ioannis cap. 1. *Tu es Simon filius Iona; Tu vocáberis Cephas*: nempè (lingua Syriaca, qua tunc loquebatur Chriſtus) *petra*, & ſuper hanc ædificabo Eccleſiam meam. *Verè Cephas dictus eſt Petrus*, inquit S. Iſidorus (a) *eo quod in capite conſtitutus ſit Apoſtolorũ. Cephalim enim græcè Caput dicitur, & ipſam nomẽ in Petro Syrum eſt.* Ecce quod Petrus Cephas eſt, ſubiungit Vualdenſis, (b) *quia caput eſt, & Principatus omnis Eccleſiæ militantis*. Sed nè declinemus à Ioanne Euangeliſta, in ipſo quoque etiam c. 21. ſic habetur. *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* Et quidem non ſine myſterio vſus eſt Chriſtus his verbis, *Agnorum*, ſcilicet Populi Iudaici, & Gẽtilis: & *Ouium*, nempè Apoſtolorum curam Petro commiſit; vt is eſſet eorum Paſtor, & Rector poteſtate, & iuriſdictione ſuper omnes, vt præ cæteris Eucherius (c) teſtatur. *Dicit ei paſce oues meas: prius Agnos: deinde oues ei commiſit, quia non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus Agnos, paſcit & oues; paſcit filios, paſcit & matres ouium, igitur Paſtor eſt, quia præter Agnos, et Oues, in Eccleſia Dei nihil eſt.*

96 Sanctis autem Euangeliſtis Sacra Oecumenica Concilia (d) adſtipulantur, & pri-

(a) *Lib. 7. Ethimol. c. 9.* (b) *Tom. 1. lib. 2. n. 8.* (c) *Sermon. in Vigil. S. Petri.* (d) *Act. 3. tom. 3.*

Digitized by Google

primo, Concilium Chalcedonense, ita inquiens: *Petrum, Petram esse, ac crepidinem Ecclesiæ Catholicæ.* Concilium verò Ephesinum (a) sic ait: *Nulli dubium est, imo seculis omnibus notum, Beatissimum Petrum Apostolum, Principem, & Caput fidei, columnam, & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum, à Domino Iesu Christo Saluatore nostro humani generis Redemptore, Cœlestis Regni claues accepisse, soluendique, atque ligandi potestate, quam acceperat, vsum fuisse.* Concilium tandem Tridentinum (b) testatur ita, *Princeps Apostolorum Petrus, peccatoribus baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat, &c. Et* Canon. 15. *Si quis dixerit Claues Ecclesiæ Petro datas tantum ad soluendum, non etiam ligandum, &c. anathema, &c.*

97 Sacra denique Oecumenica Cõcilia, sequuntur tũ Græci, tum Latini Sãcti Patres. Ex Græcis, Cyrillus noster Patriarcha Alexandrinus: (c) *Cum Saluator à Discipulis quæreret: Vos autem quem me esse dicitis? Petrus, vt Princeps, caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus filius Dei viui.* Cui adiungitur alter noster Cyrillus Patriarcha (d) Hierosolymitanus, ita inquiens: *Omnibus Apostolis reticentibus, Petrus Princeps Apostolorum, & Supremus Ecclesiæ Præco, dicit ad Iesum, Tu es Christus filius Dei viui.* Eusebius autem Cæsariensis, (e) vocat *Diuum Petrum, Probatissimum omnium; Apostolorum maximum, fidei magnificentia & virtutis merito primum, & principem.* Origenes vero: (f) *Magnum Ecclesiæ fundamentum, & petram solidissimam, super quam Christus fundauit Ecclesiam.* Basilius (g) Diaconus, Archimandrita. *Haustimus*, inquit, *hanc fidei notitiam, primo quidem ab Apostolorum Principe Petro, secundum cognitionem, quam diuinitus acceperat.* Iuuenalis Episcopus Hierosolymorum (h)

Cum

(a) *Act.* 3. (b) *Sess.* 14 *c.* 1. (c) *Lib.* 12. *in Ioan. c.* 64. (d) *Catechis.* 11. (e) *Histor. Eccles. lib.* 2. *c.* 14. (f) *Tom.* 1. *Homil* 5. *sup. Exod.* (g) *Epist. ad Theodos. & Valent.* (h) *Epist. ad Episc. Palestina.*

Digitized by Google

Cum Summus, & Princeps Petrus Apostolorum dixisset: Tu es Christus filius Dei viui. Et ab istis non differt D. Chrisostomus, dum sic vltro ait: (a) *Eximius erat Apostolorum Petrus: Os Apostolorum, & Vertex Collegij.*

98 Ex Latinis vero Sanctus Gregorius Papa: (b) *Cunctis Euangelium scribentibus liquet, quod voce Dominica, Sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Etenim ipsi dicitur, pasce oues meas.* Sanctus Ambrosius (c) *Petra erat Christus, & iam Discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipse sit Petrus, & de Petra habeat soliditatem constantiæ, & fidei firmitatem.* Sanctus Augustinus: (d) *Saluator, cum pro se, & Petro dare iubet didragam, pro omnibus soluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij; ita & post Saluatorem, in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt Pastor esset Gregis dominici.* Sanctus Hieronymus. (e) *Sicut Christus lumen Apostolis donauit, vt lux mundi appellentur; ita & Simoni, Petri largitus est nomen, & secundum metaphoram Petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.* S. Hilarius: (f) ita de Petri fide scribens. *Super eminentem beatæ fidei tuæ, confessionem locum promeruit. Hinc Regni Cœlorum habet claues; hinc terrena eius iudicia, cœlestia sunt.* Sanctus Damasus Papa: (g) *Princeps Apostolorum Petrus solus, & præ omnibus creditus est, atque percipere meruit à Rege Regum Christo Deo claues Regni Cœlorum ad aperiendum fidelibus, & benevolis hominibus.* Et Rabanus: (h) *In nouo testamento, Ordo Sacerdotalis à Petro cœpit: ipsi enim Primo datus est Pontificatus in Ecclesia Christi.* Concludamus ergo, quod prius incæpi-

(a) *Homil. vlt. sup. Ioan. tom. 3.* (b) *Tom. 2. lib. 4. Epist. 32. ad Maurit. Augusti.* (c) *Lib. 6 sup. Luc. cap. 11.* (d) *Tom. 4. lib. de qui nouit, & vet. testam. q. 76.* (e) *Tom. 7. Comment. in Matth.* (f) *Sup. cap. 15. Matth.* (g) *Epist. 2.* (h) *Lib. de Constit. Cler. c. 14.*

Digitized by Google

pimus, asserentes Beatum Petrum Apostolum, omniumq; Apostolorum Principem, fuisse à Christo constitutum in terris suum Vicarium, & vbi aliquem Apostolorum super quasdam particulares Ecclesias incumbere cura fuit, ad ipsum Vniuersalis Ecclesiæ, idest Vniuersarum Ecclesiarum localium præsidentia pertinebat, sicut melius in sequenti capite demonstrabitur.

CAPVT III.

Solus Petrus, & non quilibet alius Apostolus, siue Paulus, fuit in Terris Christi Vicarius constitutus.

99 VNitas Corporis, capitis postulat vnitatem. Cum igitur Ecclesia sit vnum Corpus, vnum caput habere necesse est, vnúque Rectorem; præcipuum quidem, supremum, & inuisibilem Christum Dominum; Visibilem vero, sub Christo Domino, solum Petrum eius Vicarium, & non alios: & ita etiam vnicum eius successorem, docet Resolutissimus Doctor *Ioannes Bachonius* (a) asserens contrarium esse hæreticum, vtpotè abiuratum in Concilio Lugdunensi à Nũcijs Græcorum, tãquam quartus error, inter quadraginta eorum errores numeratus; *Quia conuenit*, prosequitur Resolutissimus Doctor, *cum hæresi, quam asseruerunt Marsilius, & Ioannes de Gandauo, videlicet, quod Beatus Petrus, nec plus fuit caput Ecclesiæ, quam quilibet aliorum Apostolorum, & hoc condemnatur, tanquam hæreticum per Dominum Ioannem XXII. in Constitutione, quæ incipit: Licet secundum Apostolum, &c.* Et hanc veritatem sic ipse probat sequenti ratione.

Primò: (b) *Quia cui committitur causa fidei, & baptismatis, illi soli committitur vnitas dominij, iuxta illud: vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*; Sed hæc soli Petro committitur; ergo solus Petrus est Christi Vicarius.

Se-

(a) *In 4. quæst. 10. Prolog. art. 1.* (b) *Sup. quæst. 11. Prolog. art. 4.*

Digitized by Google

Secundò; in singulari enim, prosequitur Bachonius, (a) Principi Apostolorum dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram.* Item singulariter ei adiungitur: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum.* Et iterum: (b) *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Atque iterum: *Tu es Cephas, quod interpretatur Caput.* Et Luc. cap. 5. Soli Petro etiam dicitur: *Duc in altum, & ipse dixit alijs, qui cum eo erant, laxate retia vestra in capturam.* Ergo singulariter Petrus fuit à Christo in terris eius Vicarius constitutus, & non alius, vel alij Apostoli. Antecedens probatur; quia, cui in speciali & singulari cõmissa est facultas, cum clausula generali subsequente, is habet plenam commissionem Vicarialem, tanquam caput omnium, quibus omnibus nõ in speciali, sed tantum in generali committitur. Sed soli Petro speciali & singulariter facta est commissio cum clausula generali: *Quodcunque ligaueris super terram, &c. Quodcunque solueris, &c.* Et cæteris Apostolis tãtum in generali dicitur: (c) *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Et alibi *Euntes docete, &c Vos estis sal terræ, &c.* Ergo solus Petrus, cui singulariter dictum fuit: *Pasce agnos meos, pasce oues meas*, institutus fuit à Christo suus Vicarius. Et eo magis, cum ipsi soli commissa fuerit à Christo cæterorum Apostolorum cura. (d) *Simon, Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua; & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Vnde Augustinus ait: (e) *Dicit Christus Petro; Ego rogaui pro te: quid ambigitur? pro Petro rogabat; pro Iacobo et Ioanne non rogabat, vt de cæteris taceam. Manifestum est, in Petro omnes contineri, cum alio in loco dicat: Ego pro his rogo, quos dedisti mihi.* Ergo solus Petrus est Apostolorum Caput, & in terris Christi Vicarius. Huic veritati noster Cyrillus Patriarcha Alexandrinus se adstipulatur: *Sicut Chri-*

(a) *Matth. c. 16.* (b) *Ioan. c. 1.* (c) *Ioan. c. 20.* (d) *Luc. c. 22.* (e) *Tom. 4. de qu. nou. & antiq. test. q. 79.*

Digitized by Google

Christus accepit à Patre sicut ipse Ecclesiæ gentium, ex Israel egrediens, super omnem principatum, & potestatem; sic Petro plenissimè commisit, & nulli alij, quam Petro, Christus quod suum est plenus, sed ipsi soli dedit.

101 Firmatur hæc veritas iterum ex S. Scriptura, quæ varijs in locis, semper principatum, & primatum soli Petro tribuit. Et primo ex illo Matthei 10. *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Deinde ex illo Marci 5. *Et prosequutus est eum Simon, & qui cum eo erant.* Ex illo Lucæ 8. *Dixit Petrus, & qui cum illo erant.* Iterum ex illo Marci 16. *Dicite Discipulis eius, & Petro.* Iterum ex illo Matt. 16. *Vos autem quem me esse dicitis? Et respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi.* Ex Actibus Apostolorum 2. *Stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam.* Et paulo post c. 15. *Dixerunt ad Petrum, & reliquos Apostolos.* Ac tandem: *Surgens Petrus dixit ad eos, &c.* Ex quibus testimonijs, omnes Sancti Patres Græci, & Latini, sine vlla differentia, Petri primatum colligũt; præsertim noster Cyrillus Alexãdrinus, (a) ita inquiens. *Per vnum, qui præerat, omnes respondent.* Ratio est, inquit Chrysostomus, (b) *quia Petrus os Apostolorum, & vertex Collegij erat.* Quod etiam testatur ad Cornelium S. Cyprianus (c) *Petrus*, ait, *super quem ædificata à Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesia voce respondens, ait: Domine ad quẽ ibimus?* Propterea tũ solus Petrus à Christo fuit baptizatus, cæteros verò Apostolos baptizauit Petrus: scribunt Nicephorus lib. 2. histor. c. 3. & Euthymius in cap. 3. Ioannis; tum solus ordinatus Episcopus, reliqui autem Apostoli ab ipso Petro, refert Cardinalis Turrecremata, quæ prima, & maxima granditas primatus Petri est: sicut repetendo singula verba Sacræ Scripturæ superius allata.

102 Secunda granditas pri-

(a) *Lib. 4. in Ioan. c. 18.* (b) *Homil. in Ioan.* (c) *Lib. 1. Epist. 3.*

Digitized by Google

primatus Petri, collatio clauium, siue Cœlestis, & terrestris potestatis est: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum*, ipsi soli Petro collata: (a) *pasce agnos meos, pasce oues meas*, & non alijs Apostolis, quamuis in vocatione Petrum præcesserint. Vnde Ambrosius ait. (b) *Prior sequutus Andreas Saluatorem, quam Petrus, & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus.*

103 Tertia granditas est, Confirmatio, siue roboratio fratrum, nulli Apostolorum, sed soli Petro commissa: (c) *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Acsi Christus ei diceret: Ego caput principale rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, sed potius confirmeris in ea; & tu loco mei Vicarius, siue caput omnium, similiter fac, & confirmando fratres tuos, munus capitis exerce, sicut iam te constitui, & omnes meos Discipulos in manus tuas tradidi. Scribit Sanctus Ioannes Chrysostomus. (d) *Qui omnes habebat in manu: ad hunc enim dixit Christus, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

104 Quarta granditas est, quia Scriptura loquitur de Petro absolutè, tamquam de singulari, & primario Apostolorum capite. *Et prosequutus est eum Simon, & qui cum ipso erant. Dixit Petrus, & qui cum illo erant. Petrus vero, & qui cum illo erãt.* Hæc autem Scripturæ phrasis, significat Principem cum subditis, vt patet ex illo primo Regum 30. *Dauid, & Populus, qui erat cum eo*; prout aperte S. Ephrem Syrus sic testatur: (e) *Sicut Moyses societatis illius, & coniunctionis hebræorum iussu Dei Princeps fuit; ita Petrus Ecclesiæ Christianorum. Atque vt ille veteris, sic hic noui testamenti Princeps.*

105 Quinta denique granditas, ex conuocatione Concilij pro electione Matthiæ futuri Apostoli, manifestè desumitur. *Exurgens Petrus dixit, Viri fratres. Stans Petrus cum*

(a) Ioan. c. 1. (b) In c. 12. Epist. ad Galat. (b) Luc. c. 22. (c) Comment. in cap. 21. Ioan. (d) Serm. de Transfigur. Dom.

Digitized by Google

vndecim, leuauit vocem suam. Ex qua, potestas, & iurisdictio collata ei à Christo fuit ab ipso Petro in effectum demandata: & ideo Oecumenicus ait: (a) *Surgit Petrus, non Iacobus, vt is, cui præsidentia Discipulorum commissa erat. Neque vllus orationi Petri contradixit, sed mox ad eius præceptum constituerunt, quos dignissimos eo gradu existimabant, vt vnum eorum Deus ipse designaret.* Sylueira noster vero, ita scribit: (b) *Maximè in præsenti prudentiam Sancti Petri laudat Diuus Chrysostomus, qui ad eligendum successorem Iudæ in Apostolatu, alios vocat in consilium, tum ob suam humilitatem, tum vt caput Ecclesiæ, cunctis daret exemplum, quod res ponderis magni, non sunt determinandæ, nisi ex magno consilio. Et ideo Sanctissimi Pontifices Romani, res magnas, & quæ ad fidem pertinẽt, non diffiniunt, nisi ex consilio, ac decreto Episcoporum, ac grauissimorum Virorum.*

106 Ex quibus omnibus licèt solidè, ac tutè probatio nostræ asserta veritatis oriatur, eam nihilominus sic iterum probat Rabbanus: (c) *Initiũ Sacerdotij Aaron fuit in veteri testamẽto, & Melchisedech primo obtulit Sacrificium, & posthac Abraham, vel post hunc Isaac, & Iacob: legitur, & Noè altare ædificasse, & super illud Domino holocaustum obtulisse: sed isti spõtanea voluntate non sacerdotali auctoritate ista fecerunt. In nouo testamento vero, post Christũ, Ordo Sacerdotalis à Petro cæpit. Ipse n. primo datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Hic ergo ligãdi, atq; soluẽdi potestatẽ primus accepit, primusq; ad fidem populum suæ prædicationis virtute adduxit.* Et doctiss. Vualdensis (d) ipsam ita obsignat. *Omnes Apostoli*, inquit, *Apostolatus honore, & potestate sunt consortes: vnus autem Petrus auctoritatis iurisdictione Prælatus. Et ne nouum videretur quod dico, testatur antiquus Præsul Anacletus IV. quod Beatus Petrus ligandi, soluendique potestatẽ, pri-*

(a) *In c. 1. actu. Apost.* (b) *In Act. Apost. c. 1. qu. 30.* (c) *Lib. de Instit. Cleric. c. 4.* (d) *Tom. 1. lib. 2. art. 1. c. 2 §. 4.*

Digitized by Google

primus à Domino accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apostoli cum eodem, pari consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsum quoque Principem eorum esse voluerunt qui & iubente Domino, in toto orbe dispersi, Euangelium prædicauerunt. Hæc ille. Ecce quod omnes Apostoli cum Petro pari consortio honorem nacti, Petro, quem suum principem esse volebant, fuerunt auctoritate subiecti. Beatus Hieronymus hanc sententiam contra Iouinianum sequutus: super Petrum, inquit, fundatur Ecclesia . . . . . Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Hæc dolet Wiclephus, quia Petrum audit caput constitutum Ecclesiæ, sed eo inuito, Petrus et caput est, et occasio schismatis tollitur eo ipso. Et ne vsurpet auctoritatem vnus ipse eligitur ex duodecim; sed à quo, nisi ab illo, qui dixit eisdē: non vos me elegistis, sed ego elegi vos? Elegit forsitan ipse primo, et ad executionē auctoritatis, cæteri electum postea cōpellebant. Hæc Erus Vualdensis. Et ecce satis probata nostra veritas, nempè quod solus Petrus, & non quilibet alius Apostolus, aut Paulus, fuit à Christo in terris eius Vicarius constitutus.

107 Et licet de Paulo præcisè nulla mentio habeatur, quia, exclusis Apostolis, etiam Paulus excluſus intelligitur; nihilominus talis veritas, sequenti ratione sic ostēditur: Petrus tanquam Christi Vicarius, & Vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, plurima contulit Paulo; Ergo non potuit esse simul cum Paulo Romanus Pontifex. Quod autem Petrus plurima Paulo contulerit; manifestè patet, quia Paulus ipse, tum solutionem institutorum legalium à Petro petijt, vti ad Sāctum Leonē scribit Theodoretus: *Paulus*, inquit, *præco veritatis, tuba Sanctissimi Spiritus, ad magnum Petrum recurrit, vt ijs, qui Antiochiæ de legalibus institutis contēdebant, ab ipso adferret solutionem.* Tum confirmationem Euangelij, vt testa-

tur

tur his verbis Sanctus Hieronymus. (a) *Paulum minimè habuisse securitatem Euangelij prædicandi, nisi Petri sententia fuisset roboratum.* Ergo Petrus tanquam Supremus Pontifex, plurima contulit Paulo, à quo vti totius Christianitatis Episcopus, satis agnitus erat, scribit Ambrosius; Paulus in sua Epistola, (b) *solum Petrum nominat, quia primatum ipse acceperat ad fundandam Ecclesiam.* Et ideo solus Christi minister fuit Paulus, vt ipsemet in Epistola secunda ad Chorinthios c. 5. testatur. *Pro Christo enim legatione fungimur.* Et cap. vndecimo (c) *Ministri Christi sunt, & Ego.* Hinc Augustinus, *Claues à Deo acceperũt, Petrus potestate iurisdictionis, Paulus sapientiæ, quia scilicet sapientia, cæteros superauit.*

108 Item ex hac alia ratione, veritas ipsa apertè patet. Quia non implicat, quod Petrus, fuerit simul in terris Christi Vicarius, & Romanus Pontifex: sed implicat, quod in Ecclesia fuerint plura capita; Ergo solus Petrus fuit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex. Maior probatur; quia Vicarius Christi, & Põtifex Romanus, non sunt duæ res, sed vna: nam Petrus consecratus à Christo Episcopus totius Christianitatis, sibi Romanum Episcopatum nõ adiunxit, sed potius sua sede ad sydera eum exaltauit; eo modo, quo Summus Pontifex, simplicem aliquem Episcopatum, in Archiepiscopatum, vel Patriarchalẽ sedem transmutat; licet aliter ratione potentiæ. Ergo non implicat, quod Petrus Apostolus fuerit simul Christi Vicarius, & Romanus Pontifex. Implicat autem, quod in Ecclesia fuerint duo capita, cum de iure, & secluso schismate: vnum Corpus mysticum, vnum Caput exigat; & eo magis Romana Ecclesia, cum eius Gubernium sit Monarchicum, vnam Fidem doceat, vnum Baptisma, vnũ Deum, & vnũ Dominum. Ergo solus Petrus fuit

(a) *Epist ad August. explicans verba Pauli. Veni autem Hierosolym.* (b) *In epist. ad Galat. c. 2.* (c) *2. Corinth.*

Digitized by Google

fuit Christi Vicarius, & Romanus Pontifex, non autem Paulus; quia Paulus Episcopatum Romanum non accepit à Christo; cum ante suam Conuersionẽ, persecutor Ecclesiæ potiùs, quam eius Discipulus extiterit. Non ex cõcessione Sancti Petri; quia vt docent Sancti Patres: Petrus vsque ad mortem Cathedram Romanam constanter tenuit. Non per electionem factam ab ipso Apostolorum Principe, cum nulla reperiatur traditio, aut scriptura; Et propterea, quamuis Romanus Pontifex eamdem cum Petro habeat potestatem, censetur nõ posse sibi aliquem in Coepiscopum asciscere, (a) *& simul esse duo Pontifices.* Non à Romanis fidelibus ante Petri obitum, quia semper Petrus fuit [illegible] Episcopus: neque post [illegible] mortem, quia in sui locum Linus, post Linum, deinde Cletus, &c. fuit suffectus. Ergo nunquam Paulus fuit simul cum Petro Romanus Episcopus. Et eo fortius, cum pluralitas Episcopotum in vna Ciuitate, vel Ecclesia, tum menti Christi, tum sensui Ecclesiæ aduersetur; Theophilus Raynaudus testatur. (b) *Nunquam nisi grassante schismate, plures vspiam Episcopi eiusdem Ciuitatis fuisse leguntur. Nimirum, quia vt præmisit, sensus Ecclesiæ semper tulit eam capitum particularis Ecclesiæ multitudinem, esse à Christi mente alienam. Quanto ergo magis in totius Ecclesiæ suprema præfectura, consentanea ad Christi mentem, vnitas Rectoris; Christi Vicarij, est necessaria.*

109 Probant hanc veritatem plures Doctores, soli Petro Cathedram Romanam, sine vlla mentione Pauli, tribuentes. Ita Diuus Gregorius (c) *Petrus ipse sublimauit sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* Diuus verò Augustinus, Romanos Pontifices à Petro, vsque ad Anastasium recensens, nullam Pauli mentionem facit. (d) *Quanto certius,*

(a) *Bach. in 4. q. 10. Prol. art. 3.* (b) *Tract. contra Eccl. bicipit.* (c) *Epis. 37. ad Eulogium.* (d) *Tom. 2. Epist. epist. 164.*

Digitized by Google

tius, & verè salubritèr ab ipso Petro figuram totius Ecclesiæ gerenti, Pontifices numeramus: Petro enim successit Linus, Lino Clemens, &c. Eadem ferè verba habet Episcopus Massilienſis Cæffeteau, ita contra Marcum Antonium de Dominis, Archiapostatam, inquiens. (a) *Multi, qui catalogos Romanorum Pontificum contexunt à Petro, prætermisso Paulo, initium ducunt, ac demum, ad Linum, Clementem, ac deinceps alios progrediuntur.* Verũ P. Diana scribit, (c) *quod licet Romana Ecclesia à duobus Apostolis dicatur fundata, eo quod Petrus primum, deinde Paulus Romanum Populum Christiana fide imbuerint; at Episcopatus, tãtummodo apud Petrum mansit.* Non apud Paulum.

110 Supradictis Doctoribus, adstipulantur Summi Pontifices, videlicet Pius II. in sua Bulla, quæ incipit, *In minoribus, &c.* ita decernens: *Vnum esse Pastorem, & omnium Episcoporum vnam Episcopum Romanum Præsulem Beati Petri successorem.* Et Bonifacius VIII. in extrauaganti sic statuens: *Ecclesia vnius, & vnicæ vnum Corpus, vnum Caput, non duo capita, quasi monstrum: Christus videlicet, Christi Vicarius Petrus, Petrique successor.* Merito igitur in Accademia Louaniensi, per D. Steyaert, ad diem 23. Decembris anni 1688. hæc propositio fuit defensa: *Paulum Vrbis Romæ fuisse Episcopũ, certissimè falsum est.* Siquidẽ indeterminatæ Sedis Episcopus extitit, scribit Damianus, & Isidorus testatur: (d) *Paulo cum cæteris Apostolis, nulla sors propria traditur, eo, quod in omnibus magistri et prædicator eligitur.* Cui adhæret supracitatus Episcopus Massilienſis Cæffeteau, ita scribens: (c) *Paulum, vtpotè gentium Apostolum diuinitùs constitutum, nulli certo loco fuisse adstrictum.*

CA-

(a) *Tom. 2. lib. 4. c. 1. n. 8. & 11.* (b) *Lib. 1 solij Petri sec. 3.* (c) *Lib. de ortu, & obit. SS. Patrum.* (d) *Ibid. sup.*

Digitized by Google

CAPVT IV.

Cœlestis potestas ligandi, atque soluendi Apostolo Petro diuinitus à Christo impartita, ad eius Successores, nempè ad Pontifices Romanos transijt de iure diuino, saltem mediato.

111 LIcèt Christus potestatem ligandi, atque soluendi, ita promiserit Petro: *Tibi dabo claues Regni Cœlorum; & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis*; Ipsam tamen, nonnisi post suam Resurrectionem, quando illi omnis potestas in Cœlo, & in terra donata fuit, his verbis tradidit ei: *Pasce Agnos meos, pasce oues meas*; Doctissimus Sylueira (a) testatur: *Dignitatem Pontificiæ Maiestatis*, inquit, *promittit Christus Petro, Tibi dabo claues Regni Cœlorum: nunc actualiter dat Pontificium honorem, pasce agnos meos. Per quos omnes fideles, seu credentes intelliguntur, cuiuscunque sint ætatis, sexus, nationis, conditionis: siue iuuenes, siue senes, siuè viri, siuè mulieres, siuè Iudæi, siuè Græci, siuè discipuli, siuè magistri, omnes per agnos, & oues denotantur*. Hæc Sylueira. Constituto igitur à Christo in Pastorem suarum ouium, & Ecclesiæ fundamẽtum, *Tu vocaberis Cephas*, Apostolo Petro: statim tum in fidei Catholicę augmentum, tum in nascentis Ecclesiæ firmitatem, Iudæis, & Græcis Hierosolymis cõmorantibus, Iesu Christi Euangelium ardenter per quinquennium, prædicare cœpit: Et interim ipse ab Apostolo Paulo fuit visus, sicut ad Galatas ita testatur: (b) *Post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*. Cæterum relinquens in fine quinquennij Iacobo minori Hierosolymam, sicut (c) Bernardus refert: *Iacobus vna Hierosolyma contentus, Vni-*

K uer-

(a) *Tom. 5. Euang. lib. 9. c. 7. q. 6.* (b) *Epist. c. 1.* (c) *Lib. 2. de consid.*

Digitized by Google

uersitatem Petro cedit. Antiochiam,(a)teste *Eusebio*, deuenit; vbi fixa Episcopali sede, tandiù in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia verbi Dei prædicationi se impendit, donec Hierosolymam in die Azymorum rediens, ab Herodis satellitibus comprehensus, in carcerem mittitur; sed ab Angelo ex ipso ereptus, relinquens etiam Antiochiam, Dei iussu vti *S. Marcellus*, Papa *Ambrosius*, & *Athanasius* testantur; ad Romam simul cum suo Discipulo Marco Euangelista anno Christi 43. tandem accessit: sicut etiam *cap. Rogamus quæstione* 1. refert; & huic veritati Hieronymus ita adstipulatur: *Simon Petrus filius Ionæ, Prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ per septem annos, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circũcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Asia, Cappadocia, & Bithinia; secũdo anno Claudij, ad expugnandum Simonem Magum pergit Romam.* Ita etiam Eusebius Cesariensis (b) habet: *In ipsis Claudij temporibus, Clementia diuinæ prouidentiæ, probatissimum omnium, & Apostolorum maximum fidei magnificentia, & virtutis merito primum, & Principem Petrum, ad Vrbem Romanam, velut aduersus humani generis communem perniciem, repugnaturum deducit Ducem quendam, & magistrum militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare; Iste aduenies ex Orientis partibus, vt Cœlestis quidam negotiator, marcimonia diuini luminis aduenit, & salutaris prædicationis verbo, primus in Vrbe Romana Euangelij sui clauibus ianuam Regni Cœlestis aperuit.* De Marco autem talia scribit cap. 15. *Marcum eius discipulum precibus Romani exorant, vt ea, quæ verbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet: quo domi, foriſque in huiuscemodi verbis meditationibus permanerent, nec prius ab*

(a) *In Chron.* (b) *Histor. Eccles. lib. 2. c. 14.*

Digitized by Google

ab obsecrando desistunt, quam quod orauerant, impetrarent. Et hæc causa fuit scribẽdi, quod secundum Marcum dicitur Euangelij.

112 Romę ergo Apostolus Petrus vna cum Euangelista Marco degens, huiusmodi Discipuli sui Euangelium comprobauit: scribit Hieronymus (*a*) *Legendum Ecclesijs sua auctoritate comprobauit*: Simonem Magum deinde, teste Augustino, *Vera omnipotẽtis Dei virtute deiecit, et extinxit.* Ac Papiæ Episcopo Hierapolitæ primam suam Epistolam, vt testatur Eusebius (*b*) supracitatus, scripsit. Tandem sua prædicatione, & auctoritate, ita ibi Sãctam Apostolicam sedem erexit, & per annos vigintiquinque, vsque ad horam obitus sui, indefes gubernauit, & auxit; vt manifestè cæteris pateret, Ecclesiam illam, quam supra Cepham ædificandã Petro Christus promiserat, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, Romanam omnino esse: Dei iussu ab ipsomet Petro, inquit Bellarminus (*c*) fundatam. Cui veritati sic adstipulatur Diuus Anacletus (*d*) Papa: *Sancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut ipse Beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Et sequitur infrà: *Idem namque inter se Beati Apostoli statuerunt, vt Episcopi singulorum gentium scirent, quis inter eos primus esset, quatenus ad eum potior eorum sollicitudo pertineret. Nam et inter Beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis; et licet omnes Apostoli essent, Petro tamen à Domino concessum est, vt ipsi inter se ad ipsum voluerunt, vt reliquis om-*

(a) *Tom. 1. de vit. Illustrib. c. 8. lib. de hæresib.* (b) *Ibid. c. 15.* (c) *Lib. 1. Rom. Pont. c. 12.* (d) *Lib. decret. Pont. lib. 4.*

Digitized by Google

nibus præesset Apostolis, & Cephas, ideſt principium, & caput teneret Apostolatus, qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt.

113 Iam iam denique prospiciens mortem sibi instantem Petrus, inquit Resolutissimus Doctor Bachonius: (a) *Clementem ordinauit Successorem in auribus totius Ecclesiæ*; & ita Cœlestis Petri potestas ligandi, atque soluēdi, in suos successores iure optimo transijt; siquidem eadem necessitas, quæ fuit in primæuo nascentis Ecclesiæ exordio, vt vnus in ipsa esset Supremus Christi Vicarius, & caput visibile, iam nunc etiam militat. Ergo Petri potestas iure optimo ad suos successores pertransijt. Patet antecedens, quia Petrus non fuit electus à Christo Vicarius propter seipsum, sed propter regimen suæ Ecclesiæ, quæ duratura est vsque in finem mundi; Ergo eadem gubernij necessitas quę tūc erat, manet, & militat iam semper.

114 Item hæc, & alia ratio pro tali militat veritate, videlicet, quia Ecclesia Catholica in sui principio, non modo exigebat à Christo per influxum internum donorum gratiæ, & per externam directionem, quam itidem etiam nunc exigit gubernari. Sed hoc potest, Christo assumpto in Cęlum, per externam directionem nunc ipsa gubernari, nisi medio eius Vicario, capite visibili; Ergo necessario ipsum exigit, tanquam Petri successorem, in quem eius cœlestis iurisdictio, & auctoritas pertransijt. Quod autem Ecclesia gubernetur per Christi Vicarium, tenet Vualdensis (b) ita inquiens: *Secundum Diuinitatem Christus nobiscū est, nec eget Vicario: secundum vero Humanitatem, præsens est nobis per eius Vicarium.*

115 Et denique ex Sacra Scriptura desumitur, quod Aaron moriturus, per Moysen Dei iussu, veste Pontificali spoliatur, & nullus alius Pontifex subrogandus illa vestitur, nisi Eleazar filius eius

(a) *In 4. q. 10. Prol. art. 3.* (b) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 12. n. 1.*

Digitized by Google

eius, hac ratione, quia Præsbiter erat, & de semine Sacerdotali, inquit Augustinus. Sed Aaron primus Sacerdos veteris testamenti, teste Vualdense(a) fuit figura Petri, post Christum in lege Euangelica primi Sacerdotis. Ergo Petrus moriturus exuit se summi Pōtificij potestate, & hac in Pōtificem, & successorem instituendum Clementem de semine Sacerdotali, videlicet Episcopum induit. Ergo potestas Petri, in suos successores pertransijt, nempè.

116 In Pontifices Romanos, inquit Resolutissimus Doctor his verbis. (b) *Errāt secundi Græci negando primatum Romanæ Ecclesiæ. Et mirum est de hoc errore Græcorū. Nam sub obedientia Romani Pontificis steterunt vsque ad Concilium Nicenum, quod fuit celebratum sub Syluestro Papa, qui fuit Papa XXXII. sed in primitiua Ecclesia sub Anacleto III. Romano Pontifice, statim fuit quæstio sibi mota de primatibus in Ecclesia, & ipse respondit, quod à Beato Petro Apostolo, & reliquis Apostolis & Beato Clemente constitutum fuit, quod præter Episcopos in Ecclesia Dei essent Primates, qui in quibusdam locis Patriarchæ vocantur, ac Metropolitani, seu Archiepiscopi. Sequitur ibi. Romana tamen Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore omnium primatum obtinuit, sicut Beato Petro dixit. Tu es Petrus, & super hanc petram. Et quodcūque ligaueris super terram, erit, &c. Maligni ergo negant primatum Romani Pontificis, qui tāto tempore ei obedierunt.* Hæc Bachonius. Quod verissimū esse ostēditur hac ratione.

117 Petrus, vt refert S. Marcellus, (c) *Domino iubente, Antiochenam Ecclesiam transtulit Romam.* Ad hoc, vt ibi magis proficere posset, testatur (d) Antherus. *Petrus Sanctus*, inquit, *Magister noster, & Princeps Apostolorum, de Antiochia vtilitatis causa translatus est Romam; vt ibidem potius proficere posset.* Ergo ratione

(a) *Ibid. sup. n. 2.* (b) *In 4. q. 10. Prol. art. 1.* (c) *Epist. Decret. Ad Episcop. Antioch. cap. vnico.* (d) *Epist. ad Episcop. Bœtiæ, & Solet.*

Digitized by Google

tione talis fructus Christus decreuit, vt eius Vicarius esset Pontifex Romanus. Antecedēs patet ex testimonio Marcelli, & Antheri Sanctorum Pontificum, quod nullatenus infirmari potest, si dicatur in causa propria, ambitione ductos, ita loquutos fuisse. Cum enim fuerunt sanguine laureati, vitæ sanctimonia præstantes, & doctrina præclari, denegare aliquid, quantumuis minimum eorum auctoritati, temeritas magna esset. Consequentia vero, nempe, quod Vicarius Christi sit Pōtifex Romanus, patet, quia hoc, vti scribit Hieronymus, nullam repugnātiam, aut contradictionē dicit. (a) *Non altera Romanæ Vrbis Ecclesia*, inquit, *altera totius Orbis est, & Gallia, & Britannia, & Aphrica, & Persis, et Oriens, & India, et omnes Barbaræ Nationes, vnū Christum adorant, vnam regulam veritatis obseruant. Si auctoritas quæritur, Orbis, maior est Vrbe: vbicumque fuerit Episcopus, siuè Romæ, siuè Eugubij, siuè Constantinopoli, siuè Rhegij, siuè Alexandriæ, siuè Caphnis, eiusdem est meriti, eiusdem & Sacerdotij: potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas: vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum facit. Cæterum omnes Apostolorum Successores sunt.* Ergo nō implicat, quod Vicarius Christi sit Episcopus Romæ, ad quem transijt Petri Apostoli potestas.

118 Quia licet hoc ex Sacra Scriptura expressius nō habeatur, habetur tamen ex antiqua traditione Apostoli Petri, summum Pontificatum, & Episcopatum Romanum, simul Clementi resignantis, vt ipsemet Clemens in sua Epistola ad Iacobum minorem Hierosolymis scripta sic testatur. (b) *Audite me fratres* inquit Petrus, *& conserui mei, quoniam sicut edoctus sum ab eo, qui misit me Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat: Clementem hunc Episcopum vobis ordino, cui soli, meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado: qui mihi ab ini-*

(a) *Epist. 44. ad Eugen.* (b) *In princ. lib. decret. Sum. Pont.*

Digitized by Google

initio vsque in finem Comes in omnibus fuit, & per hoc, veritatem totius meæ prædicationis agnouit: qui in omnibus tentationibus meis socius extitit, fideliter perseuerans. Quẽ præ ceteris expertus sum Deum colentem, homines diligentem, castum discendi, studijs deditum, sobrium, benignum, iustũ, patientem, scientem ferre nonnullorũ iniurias. Propter quod ipsi trado, mihi traditam à Deo potestatem ligandi, atque soluendi, vt de omnibus, de quibuscunque decreuerit in terris, hoc decretum sit et in Cœlis; ligabit enim quod ligari oportet, & soluet, quod expedit solui, tanquam, qui ad liquidum Ecclesiæ regulam nouerit. Hæc Clemens. Cuius eadem ferè verbà habet etiam Hieronymus, (a) ita inquiens: *Beatus Petrus Apostolus, & Princeps Apostolorum Beatum Clementem Episcopum constituit, ei Cathedram, & Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernanti tradita est à Domino Iesu Christo ligandi, atque soluendi potestas: Ita tibi Ego committo, vt ordines dispositores diuersarum causarum, per quos actus Ecclesiastici profligentur, & tu minimum curis seculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem, & prædicare populo, vacare stude.* Ex quibus manifestè colligitur, quod Petrus Apostolus, Dei iussu, Romam missus: *Edoctus ab eo, qui misit me*, Ad hoc, tum Cathedram Episcopatus Romani; *Me doctrinæ Cathedram*; tum Summum Pontificatum: *Ipsi trado, mihi traditam a Deo potestatem ligandi, atque soluendi*: Clementi tradidit; vt vnusquisque firmiter sciat, Romanum Pontificem, tanquam legitimum Petri Apostoli successorem, vtramque dignitatem assecutum esse: sicut noster Vualdensis (b) testatur: *Vna Romana sedes duplici auctoritate coruscat, Episcopalis scilicet illius loci, & Papalis in Orbe.*

119 Fauet huius celeberrimi

(a) Ex Damas. lib. 1. de gest. Rom. Pont. (b) Tom. 1. lib. 2. ar. 3. c. 41. n. 8.

Digitized by Google

rimi scriptoris doctrinæ, tum Concilium Nicenum primũ, canone 39. ex Arabico, sic in latinum translatum. *Ille, qui tenet sedem Romæ, Caput, & Princeps est omnium Apostolorũ. Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes Populos eorum, vt sit Vicarius Christi Domini nostri super cunctos Populos, & Vniuersam Ecclesiam Christianam.* Tum Concilium tertium Romanum, anno [illegible] celebratum, ita decernens. *Quæ cuiusque sedi primum Petri Apostoli meritum, vel Principatus, deinde secuta iussione Diuina Conciliorum venerabilium [illegible] singulari [illegible] tribuit potestatem.*

120 Adhibuit Valentinianus Tertius Imperator in epistola ad Theodosium Imperatorem anno 450. scripta, quæ extat in Concilio Chalcedonensi, sic: *Debemus dignitatem propriæ venerationis Beato Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conseruare; quatenus Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij, super omnes antiquitas cõtulit, locum habeat, & facultatem de fide, & Sacerdotibus iudicare.* Felix verò Præsbyter, à Cœlestino Papa in Cõcilio Ephesino missus, fatetur ibi, Pontificem Romanum esse ordinarium Petri successorẽ, sic. *Diui Petri,* ait:(a) *Ordinarius successor, & Vicarius Sanctus, Beatissimusque Papa, & Episcopus noster Cœlestinus, nos suos pro se, quasi Vicarios, ad hanc Synodum misit.* Petrus tandem Chrysologus (b) ad Euthichen scribens, sic perorat hanc veritatẽ. *Quæ à Beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis præscripta sunt, obedienter attendas: Quoniam Beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio fidei, extra consensum Romanæ Ciuitatis Episcopi, causas audire non possumus.*

121 Talem denique successionem Summi Pontificatus

(a) *Tom. 2. Concil. Ephesin. c. 16.* (b) *In Epist. miss.*

Digitized by Google

tus Petri in Episcopum Romanum, esse de iure diuino, saltem mediato, non autem de iure humano, probat tam noster Resolutissimus Doctor, (a) verbis supracitatis: *Romana namque Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore, omnium primatum obtinuit*; quam apertè docent sapientissimi Viri Sacri Ordinis Prædicatorum, videlicet Turrecremata, Caietanus, Valentia, & Melchior Canus apertè docent. Ex Carmelitis verò sequentibus Bachonium, (b) *Marascha, Zagaglia, Lezana* tom. 3. de fide, & *Vualdensis* contra Vuitclephum, & etiam

122 Manifestè patet ex auctoritate supracitata Diuorum *Marcelli, Antheri, et Clementis* Summorum Pontificũ asserentium, Petrum Apostolum, ex decreto, & voluntate Christi, Papatum cum Episcopatu Romano coniunxisse: sicut etiam in Sermone SS. Apostolorum Petri, & Pauli id tenet *Sanctus Leo, et Innocentius Tertius* tuetur. Ergo talis coniunctio, siue successio est de iure diuino saltẽ mediato. Probatur hæc consequentia; quia si per solam auctoritatem Pontificiam talis coniunctio facta esset ab Apostolo Petro præcisè, & non de mandato Christi; posset alterius Pontificis auctoritate mutari, vel in Concilijs aliquando ipsa mutatio tentata esset. Sed semper sic obseruata, & continuata fuit; Ergo non alia ratione, nisi quia habebatur de iure diuino. Nam si prima institutio Summi Pontificatus à solo Christo fuit facta, ita talis coniunctio Supremi Pontificatus cum Episcopatu Romano, decuit etiam ab ipso fieri. Consule *Roffensem, Echium, Pighium*, cæteroſq; alios Doctores de hac materia fusius tractantes.

L CA-

(a) *In 4. qu. 10. Prol. art. 3.* (b) *Tract. 1. disp. 8. qu. 5.* (c) *Cap. per Venerab. qu. filij sint legitimi.*

Digitized by Google

CAPVT V.

Electio Episcopi Romani in legitimum Petri successorem, est de iure diuino mediato, et omnino pertinet ad Cardinales.

123 ET quidem de iure diuino esse, & pertinere ad Cardinales Resolutissimus Bachonius (a) sic docet: *Petrus Clementem ordinauit successorem in auribus totius Ecclesiæ, et per consequens, cum hoc Ecclesiæ placuit, fuit canonicè electus electione, quæ vocatur inspiratio Spiritus Sancti.* Ex quibus verbis per ly *Inspiratio Spiritus Sancti*, clarè intelligitur electionem Episcopi Romani in Summum Pontificem esse de iure diuino, nempè à Spiritu Sancto traditam esse facultatem *auribus Ecclesiæ*, eligendi Summum Pontificem; siquidem aures Ecclesiæ erant Petri fratres; ex quibus intelligitur, electionem Christi Vicarij, non modo esse de iure diuino mediato, verum & ad ipsos Petri consortes pertinere.

124 Confirmatur, inquit Bachonius, (b) *Ex registro Romanorum Pontificum, cap. 1. vbi habetur, quod Petrus dixit; Hunc vobis ordino Episcopum, cui soli mea doctrina Cathedram trado.... Et etiam ipsi trado à Domino mihi traditam potestatem ligandi, & soluendi. Et in eodem registro sequitur folio primo. Quod Petrus regulam regendi omnes illi tradidit, Laicos, Diaconos, Presbyteros, & Episcopos, §. Veruntamen, §. Breuiter, vsq; in folium tertium. Deinde collationem, siuè prædicationem fecit, concludendo. Vos charissimi Fratres, huic, qui præsidet vobis, & omnibus, obedite, &c. & cum hoc dixisset, in medio coram omnibus manus illi imposuit, & in cathedra sua sedere compulit.* Sed Petrus, vt testatur ipsemet Electus, nempè Clemens, hoc fecit, (c) *edoctus ab eo, qui misit me.* Ergo ele-

(a) *In 4. quæst. 10. Prol. art. 3.* (b) *Sup. art. 3.* (c) *Ibid. sup. cap. præcedent.*

Digitized by Google

electio Episcopi Romani in legitimum Petri successorem, tum est de iure Diuino mediato, tum pertinet etiam ad fratres Petri, nempè ad Cardinales, vt perdoctè in ipso articulo tertio probat Resolutissimus Doctor, asserens *fuisse ordinationem Christi, nã Petrus à Christo, & per electionem Apostolorum, fuit institutus in forma electionis in futurum, dist.* 12. *cap. sacrosancta,* §. *inter beatos Apostolos.* Hactenus Bachonius, qui articulo sequenti narrat, quare Cardinales dicantur Cardinales, & ita respondit. *Quia sicut cardine ostium regitur, sic Papæ auctoritate omnes Ecclesiæ reguntur. Igitur eadem ratione, cum Papa facto consilio fratrum suorum Romanam rexerit, & regat Ecclesiam, fratres illi Cardinales dicendi sunt.* Ita Bachonius.

125 Patet veritas hæc clarius ex Sacra Scriptura, vbi Deus immediatè per semetipsum creauit primum Hominem, primum Leonem, primũ Equum, & similia. Facultatem propagationis horum deinde eidem homini, leoni, & equo commisit. Et vt ad politicam descendamus: notum est omnibus, quod Deus primas tabulas legis tantum sua manu cõfixit: ipsis autem fractis, secundas tabulas minime reddidit, sed iussit Moysi, vt illas instar priorum excideret; Sicque in veteri testamento Aaron tantum in germine virgæ primum Sacerdotem Deus elegit: *Eleazarum* verò, per successionem carnis. Et in nouo testamento, Christus duodecim Apostolos immediatè per semetipsum elegit; Matthiam vero, & septem Diaconos, non nisi mediatè per Apostolos; sicut *Paulũ, & Barnabam*, non quidem secundũ carnem, sed secundum mentis decretum elegit: quia translato Sacerdotio carnis in spiritum, legis translatio etiam esset de electione carnis in electionem spiritus. Cumque Christus immediatè per se in suum primum Vicarium Petrum elegerit, Successoris eiusdem electio, mediatè (a)

L 2 sicut

(a) *Lib. decret. Pontif. extra indic.*

Digitized by Google

ſicut ſcribit Nicolaus Tertius Chriſto *ipſo inſpectore* per Petri fratres debet fieri; quod idem eſt de iure Diuino mediato, & per Cardinales; quod autem electio Summi Pontificis deceat fieri per Cardinales, probatur, quia in lege Euangelica Cardinales propter ſeptuaginta duos Chriſti Diſcipulos in ſibi fratres ſecundum ius diuinum à Summo Pontifice ſunt electi propter Leuiticos. In lege autem veteri, propter Leuiticos Sacerdotes, in ſua Bulla, quæ incipit, *non mediocri, &c, cap. per Venerabilẽ*, Eugen. IV. teſtatur, cui adhærent Vualdenſis, *tom. 3. verb. Cardin. nu. 2.* & Turrecremata *lib. 1. de Eccleſ. cap. 8.*

126 Vgo verò, hanc aliã rationem adducit: (a) *Quia Sedes Apoſtolica cunctis in orbe terrarum præfertur Eccleſijs, atque ſuper ſe Metropolitanum habere non poteſt, ideo Cardinales Epiſcopi, Metropolitani vice funguntur, qui videlicet, electum Antiſtitem, ad Apoſtolici culminis apicem prouehunt.* Ergo electio Summi Pontificis de iure diuino mediato pertinet ad Cardinales, qui mẽbra, & pars Papæ à Moneta (b) dicuntur: propterea ſimul cum Papa vnum Corpus myſticum faciunt; & ob hinc, inter ſeipſos, non modo reperitur ſimplex vnitas, verum & vti ſcribit *Ioãnes Andreas*, (c) intercedit etiam veluti quædam identitas. Ex qua

127 Eccleſia Dei vna dicitur, cum vnum Caput viſibile, ſcilicet Chriſti Vicariũ in ſe contineat. Et ſicut Regnum ab vno Rege dicitur: Ciuitas ab vno Gubernatore: Familia ab vno Patre, & Grex ab vno Paſtore; ita Eccleſia ab vno Rege, Gubernatore, Patre, & Paſtore, vna dicitur, de cuius vnitate Dominus per Ezechielem dicit: (d) *Faciam eos in gentem vnam, & Rex vnus erit in omnibus imperans, Paſtor erit vnus eorũ.* Quæ vnitas ſic in definiendis rebus fidei à principio naſcẽtis

(a) *Lib. de Sacram. p. 3. c. 14.* (b) *Lib. de decim. c. 9. q. 3. n. 14.* (c) *Cap. requiſiti n. 12.* (d) *Cap. 37.*

Digitized by Google

tis Ecclesiæ huc vsque perseuerauit singulariter, vt cum à Petro Apostolo, vsque in præsentem Sanctissimum Dominum nostrum Innocẽtium XI. bibiscentum quadragintaseptem extent Pontifices, sẽper vnus spiritus fuit in eis, vnaque in declarandis dogmatibus fidei cohærẽtia: nulla vnquam contrarietas, aut discrepantia interceſſit, sed summa semper consonantia, veluti si vno ore, aut lingua loquerentur: propterea ait Augustinus. (a) *Qui volunt vnam linguam, veniant ad Ecclesiam, quia in diuersitate linguarum carnis, vna est lingua in fide cordis.*

128 Cum igitur non sit vnum Caput inter Hæreticos, nec vna Ecclesia esse potest, sed multiplices Sectæ, & diuersæ, quas vnusquisque pro capite suo cogitat, & format, ideo non vna lingua in vnitate fidei, sed multiplices reperiuntur; quibus, vt testatur Nicolaus Selnecerus Lutheranus, (b) diuersa narrans. *De publica discordia in Ecclesia Lutherana*, inquit, *non est, quod interroges.* Chimerus verò Protestans (c) sic ait: *Non dabis mihi certè duos tractus, nec scio duas Ciuitates in Germania per vnia cõsẽtientes inter se de Religione, & Dogmatibus. Aliter Vuistẽbergæ, multa seruãtur, & credũtur. Aliter Ienæ, aliter Norimbergæ, aliter Augustæ, aliter Argentinæ, aliter Lypsiæ, aliter Tubingæ, aliter Magdeburgi, aliter in Vandalis, & maritimis Ciuitatibus, aliter in Prussia, atque ibi non vbique eodem modo, sicut & in Saxonia, & apud Heluetias: Aliter Genouæ, aliter Tiguri.* Hacque diuersitate linguarũ vaticiniũ Isaiæ c. 19. ad effectum demandant. *Concurrere faciam Ægyptios aduersus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & Ciuitas aduersus Ciuitatem, et Regnum aduersus Regnum, et dirumpetur Spiritus Ægypti in visceribus suis, et consilium eius præcipitabo.* Rectè, subiungit Sylueira, (d) per

Ægy-

(a) *In enarr. psalm. 74.* (b) *In psal. 131.* (c) *Lib. Colloquior. lib. 1. alt. colloc.* (d) *Opusc. 2. resol. 30. q. 2.*

Digitized by Google

Ægyptios, qui tenebras important, Hæretici interpretantur, quin identissimis errorum, et peruersitatum tenebris versantur. Ecclesia vero Dei cum sit vna, vnum Caput visibile in se habet, & per consequens vnum os, & linguam vnam qua (a) *honorificatur Deus, et Pater Domini nostri Iesu Christi; Eo quod multitudini credentium cor vnum, et anima vna erat. In huius ergo naturæ sortem*, inquit Clemens Alexandrinus, (b) *coaptatur Ecclesia, quia est vna, quam conantur hæreses in multas scindere.* Basilius: (c) *scindi in partes Iudæorum est. Ecclesia vero Dei tunicam inconsutilem desuper incontextam adepta, quæ à militibus, ne scinderetur, cõseruata est.* Hinc teste S. Cypriano: (d) *Ecclesia vna est, in multitudinem latius incremento fœcunditatis extensa: quo modo solis radij multi, sed lumẽ vnum, et rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: et cum de fonte vno, riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen seruatur in origine.* Propterea scribit Cyrillus noster Hierosolymitanus: (e) *Si fortè veneris in Ciuitates, non quæras simpliciter vbi sit Ecclesia, sed vbi Catholica Ecclesia: hoc enim proprium nomen est Sanctæ huius, et matris omnium nostrũ, quæ est Sponsa Domini nostri Iesu Christi, Vnigeniti filij Dei.* Hæc Cyrillus, cuius verba adamussim pernotare pro *Notis veræ Ecclesiæ*, incongruum non est: etenim primò sic ait: *Hoc enim proprium nomen est Sanctæ huius matris omnium nostrum.*

129 Sanctam vocat Ecclesiam, & quidem iure optimo, quia *Sancta est*, cum Sanctus Sanctorum sit eius Caput: vnde Dauid ait, (f) *Sanctificauit Dominus Tabernaculum suum.* Et alibi: *Domum tuam Domine decet Sanctitudo.* Et hinc est, quod eius Popu-

(a) *Ad Rom. cap. 15, Act. cap. 4.* (b) *Lib. 7. Stromatum.* (c) *Orat. in Mamant. Martyr.* (d) *Lib. de Vnit. Eccl.* (e) *Lib. Catechism. 18. illumin.* (f) *Psalm. 92.*

Digitized by Google

pulus vocatur à Petro,(a)*Vas Genus electum, Gens sancta*; à Paulo vero, (b)*Sanctificati, & Sancti*, sicut nuncupauit Corinthios. Nec mirum cuiquã videri debet, Ecclesiam dici Sanctam, tametsi multos peccatores contineat. Præcipua enim eius membra Sancta sunt, scilicet Angeli, & Sancti, qui in Cœlis sunt, & Deo fruuntur; aut in Purgatorio expiantur: & iusti homines, quos sinu suo fouet in Terris; quamuis ab omni peccato nõ sint immunes, à grauioribus tamen peccatis liberi sunt, ac mortalium criminum expertes, quæ sola gratiæ, charitati, sanctimoniæ, sine qua nemo videbit Deum, capitaliter aduersantur. Malorum autem criminibus ipsa non maculatur, cum eis non consentiat, quinimmo illa reprehendat, dãnet, corrigat, sanctis adhortationibus, exemplis, & disciplina. Dicitur etiam Sancta Ecclesia, ratione spiritus, qui ad instar cordis manet in ipsa, *& manebit in æternum*. Vnde quilibet Christianus potest supplicans Deum, ita ei dicere cum Propheta: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.* Et hac de causa Augustinus ait; (c) *Audeat & Corpus Christi, audeat, & vnus ille homo clamans à finibus terræ, cum capite suo, & sub capite suo dicere, quoniam Sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum. Et hæc quidem fuistis, enumerans multa peccata, ait Apostolus: sed abluti estis, sed sãctificati estis. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & vnusquisq; fidelium, Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si dixeris ex te esse Sanctum, superbus es. Dic ergo Deo tuo: sanctus sum, sanctificasti me.* Merito igitur Sancta vocatur Ecclesia; sed quale nomen ipsi proprium est? hoc prosequitur Cyrillus, nempè,

130 *Catholicæ Ecclesiæ*, quod verum est; quia vt testatur Sanctus Pancianus: (d) *No-*

(a) *Epist.* 1. c. 2. (b) 1. *Epist. ad Corinth.* c. 1, & 3. (c) *In enar. in psal.* 85. (d) *Epist. ad Simpron.*

Digitized by Google

Nomen hoc non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit. Catholicum istud, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum sonat, nec Hæreticos sumit Authores. Est autem vox illa *Catholica*, ab origine Græca, idest *Vniuersalis*, cum Ecclesia non sit alligata vni familiæ, sicut fuit lex antiqua; *sed idem Dominus omnium, qui inuocant illum.* Siuè sint Indi, siuè Persi, aut Æthiopes. Propterea quando promulgata fuit lex Euangelica aderant *in Ierusalem Viri, ex omni natione, quæ sub Cælo est.* Vnde Cyprianus, (a) qui vix seculo secundo post Christum claruit, *Ecclesia Domini luce perfusa*, scribit, *per Orbem totum radios suos porrigit.* Et ideo, *vbicunque ieris*, subiungit Chrysostomus, (b) *ad Indos, ad Mauros, ad Brittanos, ad Hispanos, vsque ad vltimum finem terrarum, inuenies: In principio erat Verbum, & vniuersa Religione plena.* Siquidem apud omnes quatuor Mundi partes, ac etiam apud eius remotissimas nationes, Græcas, Armenas, Sinas, Indas, Tartaras, Persas, Æthiopes, Turcas, Braxilias, & Maxicanas, tantum vna fides Romana colitur, & in his locis omnibus, Templa, Altaria, Monasteria, Imagines Christi, & aliorum Sanctorum, quæ mirificè venerantur, Romano more sunt; sic etiam Missa celebratur, administrantur Sacramenta, & doctrina Romanæ Ecclesiæ obseruatur; eo quod, vt ait Chrysostomus: (c) *Et Reges, & Principes, & Milites, & Præsides, & Serui, & Liberi, & Idiotæ, & Sapientes, & Insipientes, & Barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes, quas sol spectat, ad hoc nomen currunt, vt adorent.* Quia ergo, prosequitur Cyrillus: (d) *Per vniuersum orbem terrarũ Ecclesia diffusa est, vocatur Catholica*; & etiam

131 *Apostolica*, ad hoc, vt à Sectis, & Conuenticulis Hæreticorum distingueretur; Etenim ob hanc causam in Sym-

(a) *Lib. de vnit. Eccl.* (b) *Homil. 1. de Pentec.* (c) *Homil. quod Christ.* (d) *Ibid. Cathec. 18.*

Digitized by Google

Symbolo Concilij Constantinopolitani, *Vna Sancta, & Apostolica Ecclesia*, dicta fuit, quæ appellatio data erat ei antea, nempè à Concilio Niceno, Theodoretus (*a*) testatur: vtpotè quæ ab Apostolis, eorum doctrina, & sanguine, vti scribit Doct. Gētiū, (*b*) erat fundata; *Superædificati super fundamentum Apostolorū.* Propterea Hieronymus c. 9. contra Luciferianos, ait: *In illa Ecclesia permanendū est, quæ ab Apostolis fundata, vsq; ad hūc diem durat.* Quia cæteræ Ecclesiæ non Apostolicæ, Ecclesiæ non sunt, sed potius Conuenticulæ Hæreticorum, inquit (*c*) Cyprianus: *Nouatianus*, ait, *In Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica, & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ortus est. Euoluant ordinem suorum Episcoporum*, exclamat Tertullianus: (*d*) *ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseuerauerint, habuerint Auctorem, & Antecessorem: Hoc enim modo Ecclesia Apostolicæ census suos deferunt.* Et hanc successionem Apostolicam ita exaltat S. Irenæus, (*e*) vt veræ fidei, & Ecclesiæ cognitionem ab ea pendere existimet. *Vbi igitur*, scribit, *Charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem apud quos est, ea, quæ est ab Apostolis successio.* Sed Charismata Domini posita sunt penès Ecclesiam; Ergo iure optimo ipsa dicitur, Vna Sancta Ecclesia, Catholica, Apostolica.

132 *Romana*, quia teste Irenæo, (*f*) *ad ipsam Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est conuenire omnem Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt vndique fideles, in qua semper conseruata est ea, quæ ab Apostolis est traditio.* Cui, & soli, inquit Optatus Mileuitanus, tāquam capiti omnium Ecclesiarum, primatum, & sedem Petri, ad hoc Dominus con-

M tule-

(a) *Lib. 1. Hist. c. 9. & 12.* (b) *Ad Ephes. 2.* (c) *Epist. 27.* (d) *Lib. de præscr. c. 32.* (e) *Lib. 4. in Epist. ad Ephes. c. 20.* (f) *Lib. 3. aduer. Hæreses*

Digitized by Google

tulerit, vt in ipsa firmiter sua vice permaneret Apostolus: (a) *Negari non posse*, inquit, *quia in Vrbe Roma a Petro sit collata Cathedra Episcopalis, in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus seruetur*. Et hoc factum fuit omni iure, subiungit Augustinus, (b) quia *Cum alia Ecclesiæ, quibus Apostoli præfuerunt, defecerint à fide, hæc sola Sancta Apostolica Ecclesia Romana mater omnium Ecclesiarum Christi per Omnipotentis Dei gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse, nec hæreticis prauitatibus vmquam depranata decubuisse probatur, sed quam ab exordio fidei Christianæ normam ab ipsis Apostolis accepit, in ea semper illibata permansit.* Nam in quatuor Patriarchalibus Ecclesijs Orientis, sederunt Hæretici, videlicet in Constantinopolitana, Macedonius, Nestorius, Sergius, alijque quamplures, quos Ichonomachi Imperatores constituerunt. In Antiochena sedit Paulus Samosatenus, Elalius, & reliqui. In Alexandrina vero, Georgius Cappadox, Lucius, Dioscorus, & cæteri. Tandem in Hierosolymitana sedit Salustius, Arsenius, Heraclius, &c. Et ita per varias Dei Ecclesias multi alij Hæretici insurrexerunt, à Paulo iam in Spiritu præuisi: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes Gregi.* In Romana autem Ecclesia, nullus sedit Hæreticus, & ideò si aliæ defecerunt, ipsa nunquam defecit, quia sic ei promiserat Christus. *Ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua.* Nec obstat, quod Petri Nauicula fuerit aliquando à cõtrarijs ventis, videlicet ab Antipapis agitata, quia isti nõ fuerunt à tota Ecclesia recepti, imo potius Ecclesia ipsa reclamante, fuerunt depositi, & parum perdurarunt. Verus tamen Romanus Pontifex, legitimus Christi Vicarius, & Petri successor, continuo durauit in Sancta Catholica, Apostolica, & Romana Ecclesia.

CA-

(a) *Lib. 1. aduers. Parmin.* (b) *Epist. 162. decr. dist. 24.*

Digitized by Google

CAPVT VI.

Episcopus Romanus à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem canonicè electus, est verus Summus Pontifex totius Vrbis, & Orbis.

133 CVm pro comperto habeatur, quod vnaquæque res à priori, vel à posteriori demõstretur; & satis à priori, nempè ex iure diuino, siue ex Christi institutione à nobis probatũ sit: Romanũ Episcopum, statim à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem canonicè electum, in terris esse legitimũ Vicarium Christi: Vt veritas hæc à posteriori, videlicet ab effectu etiam pateat; munus potestatis ligandi, atque soluendi ab ipso Electo Romano Pontifice, vti vero Christi Vicario illicò in toto terrarum Orbe exercitatum, obedientiamq; illi, tanquam legitimo Petri successori, à fidelibus præstitam, veluti rationem potissimam, operepretium duximus, hic esse recensendam; cum eam Resolutissimus Doctor talem contra errores Græcorum agnoscat, ita inquiens: (a) *Errant secundo Græci, negando Primatum Romanæ Ecclesiæ, & mirum est de hoc errore, nam sub obedientia Romani Pontificis, steterunt vsque ad Concilium Nicenum, quod fuit celebratum sub Syluestro Papa.* Vnde à Lino, qui fuit post Petrum, vsque ad Syluestrum plusquam tercentum anni decurrerunt, in quibus Pontifices Romani prę-uio exercitio potestatis ligandi, atque soluendi, legitimos Petri Apostoli successores, in toto terrarũ orbe se demonstrarunt. Et primo Euaristus; qui anno 110. post Christum natũ, Petri Cathedram ascendens, vt cæteri apertè scirent, ipsum, auctoritatem Petri Apostoli originalem habere, sic suaEpistola talem suprematem potestatem super omnes partes Græciæ exercuit: (b) *Euaristus Vrbis Romæ Episcopus*

(a) *In 4. q. 10. Prol. art. 1.* (b) *Decret. suo 2.*

Digitized by Google

omnibus per Ægyptum in Domino conglutinatis fratribus in Domino ſalutem. Iotus verò: *Sicut vir non debet adulterare Vxorem ſuam, ita nec Epiſcopus Eccleſiã ſuã, ideſt vt illã dimittat, ad quam ſacratus eſt, abſque ineuitabili neceſſitate, aut Apoſtolica mutatione, vt alteri ſe ambitus cauſa coniungat.* Ecce quod tanquam omnium Supremus Põtifex Epiſcopis Ægyptijs mãdat, vt ſine Apoſtolica mutatione, ſiue licentia, nullus ipſorum, propriam Eccleſiam ſponte derelinquat.

134 Euariſto autem anno redemptionis 195. *Victor* ſucceſſit, & hic de ſuprema ſui auctoritate in vniuerſo Orbe, ſic Archiepiſcopo Alexandriæ, tanquam Ægypti Primati, & cæteris alijs Epiſcopis ſcripſit. *Victor Vniuerſalis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Theophilo Epiſcopo, & cunctis fratribus Alexandriæ in Domino famulantibus ſalutem in Domino. Ea vos* (inquit (a) cap. 3.) *iudicare ad Apoſtolicam delatum eſt ſedem, quæ prater noſtram, vobis non licet definire, auctoritatem, ideſt Epiſcoporum cauſas. Vnde liquet conſtitutum à tempore Apoſtolorum, & deinceps placuit, vt accuſatus, vel judicatus à Cõprouincialibus in aliqua cauſa Epiſcopus licenter appellet, & adeat Apoſtolicæ ſedis Pontificem, qui aut per ſe, aut per Vicarios ſuos negotium eius pertractare procuret. Quamquam à Prouincialibus Epiſcopis accuſati cauſam ſcrutari liceat, non tamen definiri, inconſulto Romano Pontifice, permiſſum eſt, cum Beato Petro Apoſtolo, non ab alio, quam ab ipſo dictum ſit Domino: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in Cœlis.*

135 Poſt Victorem autẽ, alioſque Summos Pontifices, anno 238. *Antherus* Cathedram Romanam eſt aſſecutus, qui tanquam in ea legitimus Petri Apoſtoli ſucceſſor, ſtatim mutationes Epiſcoporum fieri inconſulto Romano Pontifice, prohibuit: Et ideo Epi-

(a) *Epiſt. Decret.*

Digitized by Google

Epistolam sequentis tenoris Episcopis Bæticæ, & Toletanæ Prouinciæ misit. (a) *Antherus, &c. De mutationibus Episcoporum, vnde Sanctam Sedem Apostolicam consulere voluistis; scitote, eam communi vtilitate, atque necessitate fieri licere, sed non libito cuiusquã, aut dominatione. Petrus Sãctus Magister noster, & Princeps Apostolorum de Antiochia vtilitatis causa, translatus est Romam: Eusebius quoque de quadam parua Ciuitate, auctoritate Apostolica translatus est Alexandriam.*

136 Anthero vero immediatè *Fabianus* successit, qui tanquam Supremus omnium Pontifex, omnes Orientales Episcopos, tanquam sibi Subditos agnoscens, eos de annuali renouatione noui Chrysmatis, ita monuit. (b) *Fabianus Episcopus Vrbis Romæ, omnibus Orientalibus Episcopis, & cunctis fidelibus salutẽ. Cura est nostræ sollicitudini adhibenda, vt ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumque Successoribus ordinata, & instigante Sancto Spiritu instituta, nec dissimulatio negligere, nec aliqua præsumptio valeat perturbare. Litteris vero vestris inter cætera insertum inuenimus, quasdam Regionis vestræ, à vestro, & nostro ordine discrepare, & non per singulos annos in Cœna Domini Chrysma conficere, sed duos, aut tres annos confectionẽ Sãcti Chrysmatis semel actam seruare. Ista à Sanctis Apostolis accepimus, & successoribus eorum, vobisque tenenda. Hæc Sancta Romana Ecclesia, ac Antiochena à tempore Apostolorum custodit. Hæc Hierosolymorum, & Ephesiorum tenet Ecclesia, in quibus Apostoli residentes hæc docuerunt, vetus Chrysma incendi, & non amplius, quam vno anno vti, atque deinceps nouo frui, & veteri iubentes docuerunt.*

137 Fabiano interea martyrij coronam assecuto, in eius locum *Cornelius*, & post Cornelium, anno 256. *Lucius* fuit suffectus, quem Episcopi Galliæ, & Hispaniarum tanquam legitimum Petri succes-

(a) *Epist. Decret.* (b) *Epist. Decret. 2. cap. vnic.*

Digitized by Google

cessorem agnoscentes, ei per Epistolas, veluti Patri, ac Supremo Ecclesiæ Pastori suas tribulationes manifestant; at ipse mirifica grauitate Principe digna, & paterna charitate, sic eis respondet. (a) *Literas dilectionis vestræ, quas ad Beati Petri Apostoli sedem pro vestri causa negotij misistis, libenter suscepimus: sed de vestris afflictionibus non modicè contristati sumus.*

138 Cæterum, è viuis Lucio, Stephano, & Sixto sublatis, in Cathedram Romanam *Dionysius*, Patria, & Religione noster, anno 161. successit, qui in Prouincia Cordubensi tanquam omnium Supremus Pastor, Parochias distribuit, & pro Presbyterorum pace, confines simul, & loca singulorum Apostolica sua auctoritate designauit, & ita obseruandũ esse, in Epist. 2. ad Episcopum illius Prouinciæ scribit. (b) *Dionysius Episcopus, &c.* Infra verò; *Olim, & ab initio tantam percepimus à B. Petro Apostolorũ Principe fiduciam, vt habeamus auctoritatem vniuersali Ecclesiæ, auxiliante Domino, subuenire; Et quidquid nociuũ est, auctoritate Apostolica corrigere, & emendare, &c. de Parochianis ergo Ecclesijs, vnde Apostolicam Sedem consulere voluisti, qualiter sint custodienda per Cordubensem Prouinciam, ac diuidendæ Sacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quam vt sequaris, quod Nos in Romana Ecclesia nuper egisse cognoscitur. Ecclesias verò singulas, singulis Presbyteris dedimus, Parochias, & Cœmeteria eius diuisimus, & vnicuique ius propriũ habere statuimus. Hanc quoque normam charissime te, & omnes Episcopos sequi conuenit: & quod tibi scribitur, omnibus, quibuscumque poteris notum facias, vt non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.*

139 Anno verò 310. in Romanum Episcopum, ac legitimum Petri Apostoli successorem, *Eusebius* electus fuit, qui antecessorum suorũ vestigia sequutus, supremam sibi

(a) *Epist. Decret.* (b) *Solut. Decret.*

Digitized by Google

sibi cælitus collatam potestatem, præuio quodam salutari Decreto super Græcos Catholicos exercuit, eis ita scribens. *Eusebius Romanæ, & Apostolicæ Sedis Ecclesiæ Episcopus. Dilectissimis, & in Christi Charitate, vnanimitatis glutino connexis fratribus, per Alexandriam, & Ægyptum Domino militantibus, & rectã fidem tenentibus, in Domino salutem. Oues, quæ Pastori suo commissæ fuerint, eum nec reprehendere, nisi à fide deuiauerit, debent, &c.*

140 At martyrij aureola Eusebio redimito, *Marcus* anno 336. in Summum Pontificem eligitur, cui tanquam legitimo in terris Christi Vicario, debitam obedientiam Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi promiserunt his verbis. *Domino Sancto, & Apostolici culminis dignitate venerando, Marco Sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Sedis, atque Vniuersalis Ecclesiæ Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi, etc.*

141 Marco autem post nouem menses sui regiminis, *Iulius* successit, qui statim Supremam totius Orbis sibi collatam potestatem, contra Episcopos orientales exercuit, illos redarguens, quod inconsulta Sancta Romana Sede, Athanasiũ in ius vocauerint, sic inquiens. (a) *Iulius, etc. Scripsi vobis arguens vos, primum, cur Athanasium, suosque Consectatores ad vestrum Cõcilium conuocauissetis, canonibus scilicet præcipientibus, nihil extrà Romanum decerni Pontificem, cui hæc, et maiora Ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quam ab omnibus Vniuersorum Conciliorum fratribus, speciali priuilegio concredita sunt.*

142 Iulio vero, anno 352. successit immediatè *Liberius*, cui tanquam legitimo Petri Apostoli successori, debitam obedientiam, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Episcopi, iterum, sicut & Marco, iurauerunt. Domino Beatissimo, & honorabilissimo Patri Liberio Papæ, Athanasius, & vniuersi Ægyptiorum Epi-

(a) *In vit. Athan. eius Apolog.*

Digitized by Google

Episcopi, in vnum synodicè apud ad Alexandriam congregati. Vestræ beatissimæ Paternitatis iura penès Dominum sunt manifesta.

143 Sed defuncto Liberio, Sedem Apostolicam Romanam, anno 368. *Damasus* Hispanus obtinuit, cui veluti Supremo totius Orbis Pastori, omnes Mauritanię Provinciæ Episcopi, debitam obedientiam, sequenti Epistola promiserunt. (a) *Domino beatissimo, et Apostolico culmine sublimato, Sancto Patri Patrũ Damaso Papę, et Summo omnium Præsulum Pontifici, Stephanus Archiepiscopus, Concilij Mauritaniæ, et vniuersi Episcopi de tribus Concilij, videlicet Africanæ Prouinciæ. Notum vestræ facimus Beatitudini, quod quidam fratres in confinio nobis positi, etc.* & infra. *Maximè verò isti debent ab ipso Præsulum examinari vertice, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam releuare laudanda.*

144 Post obitum vero Damasi, & eius Successoris Siricij, *Anastasius*, anno 398. in summum Romanum Pontificem eligitur, qui suæ dignitatis primatum, illicò cõtra Episcopos Burgũdię exercuit, eisque ita scripsit: *Anastasius, etc.* & infrà: *Exigit dilectio vestra, vt ex auctoritate Sedis Apostolicæ vestris deberemus respondere consultis. Et quamuis non prolixè, sed succinctè hæc agere propter quasdam alias occupationes festinaremus: denuò tamen si necesse fuerit, ad has, siue alias necessitates, quasi ad Caput mittere charitatiuè non dubitetis. Significastis enim quosdam Sacerdotes in Ecclesia, quando leguntur Euangelia, sedere, & Domini Saluatoris verba, non stantes, sed sedentes audire, & hoc ex maiorum traditione se accepisse narrant, quod vt nullatenus deinceps fieri finatis, Apostolica auctoritate mandamus.*

145 Anno vero 467. ad regendam Ecclesiam Romanam, tanquam Summus Pontifex *Simplicius* euehitur, qui in argumentum supremæ suæ pote-

(a) *Theodoret. lib. 5. hist.*

Digitized by Google

potestatis electionē Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ Pastorali sua auctoritate, his verbis, anno 475. cōfirmauit: (a) *Simplicius, &c. Nuper ab Ægyptia Synodo, & Clero Alexandrinæ Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit: Sanctæ memoriæ obijsse Thimotheum, in qua, eius vice, consona fidelium voluntate Ioannem subrogatum, vt nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoq; moderationis assensu, votiuam sumeret firmitatem. Cum ecce secundum consuetudinem talia mihi disponenti, tranquillissimi Principis scripta sunt reddita, quibus memoratum, tanquam periurij reum, Sacerdotio prohiberet indignum. Illicò retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam, ne quid contra tale, ac tantum testimonium præpropere fecisse iudicarer, &c.*

146 Sed defuncto Simplicio, eiusque successore Felice; in eius locum canonicè, anno 492. *Gelasius* subrogatur, qui de sua electione, & cęlesti potestate, tanquam supremo capiti totius Ecclesiæ Catholicæ sibi collata, ad eiusdem vnionem, tam Episcopos per Lucaniam, quam per totam Brutię Prouinciam, nempè Calabriam, & Siciliam constitutos, ita monuit: *Gelasius, &c.* Infrà verò: (b) *Satis indignum est, quemquā, vel Pontificum, vel ordinum subsequentium hanc obseruantiam refutare, quam Beati Petri Sedem, & sequi videat, & docere, satisque conueniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet obseruatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit principatum.*

147 Sed pluribus Gelasij successoribus omissis, anno 590. *Gregorius* per antonomasiam Magnus dictus, Petri Apostoli Cathedram regendam susscepit, eamque studio solertis suæ vigilantiæ, magnam

N cęte-

(a) *Epist. 17. ad Acat. Constantin.* (b) *Epist. Decret. cap. 11.*

Digitized by Google

cęteris proculdubio reddidit: nam ſupremam ſuam poteſtatem otio minimè tradens, ipſam tum inter omnes Africæ Præſules, tum ſuper cæteros Patriarchas vtiliter exercuit, præſertim contra Græcos(a) Epiſcopos, quorum conſenſu Archiepiſcopum Corinthiorum ordinauit, eique pallium tribuit. (b)Eccleſiam tandem Conſtãtinopolitanam, omneſque Galliæ, Hiſpaniarum, & Italiæ (c) Epiſcopos ſupremæ ſuæ poteſtati ſubmiſit.

148 Nec diſſimilis Gregorio fuit Adrianus anno 772. in Petri ſedem legitimè immiſſus, cum non mediocrem Epiſtolam de ſuprema ſui auctoritate ſuper omnes Mundi partes ad Tharaſium ſcripſerit. Huiuſmodi farinæ fuit Leo nonus, anno 1049. ad Summum Põtificatus apicem euectus, ſiquidem cœleſtem Petri Apoſtoli auctoritatem ſibi collatam contra Michaelem Conſtantinopolitanum egregiè tractauit.

149 *Alexander* tandem ſextus anno 1492. Summus Pontifex electus, in argumentum ſupremæ ſuę auctoritatis, omnes, & ſingulos Chriſtifideles monuit, ne quilibet ipſorum in ſummarum diſpenſationes cauſarum vnquam ſe ingereret, cũ hoc ad Eccleſiam Romanam tantum, veluti omnium Eccleſiarum caput, omni iure ſpectet, ita ſcribens: *Alexander Epiſcopus, omnibus Orthodoxis per Vniuerſas Prouincias Chriſto Domino famulantibus, ſalutem, &c. Cui omnium Eccleſiarum cura commiſſa eſt, ſi diſſimulem, audiam à Domino dicente*: Reieciſtis *mandatum Dei, vt ſtatuatis traditiones veſtras, &c.* & infra: *Relatum eſt inſuper ad huius Sanctæ, & Apoſtolicæ ſedis apicem, cui ſummarum diſpenſationes cauſarum, & omnium Eccleſiarum negotia, ab ipſo Domino tradita ſunt, quaſi ad caput, ipſo quoque Apoſtolorum Principi ita dicente: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Quod

(a) *Lib.1.epiſt.27. ad Gennad.* (b) *Lib.2. epiſt.37.* (c) *Lib.7. epiſt. 63. ad Epiſc. Sicil.*

Digitized by Google

Quod quidem Æmuli, eiusque Ecclesiæ Sanctæ insidiatores, Sacerdotes Dei ad Iudices publicos accusare præsumunt.

150 Ecce quod Alexander non per Græcas, Ægyptias, Orientales, vel Africanas, sed per vniuersas mundi Prouincias omnibus in Christo Domino famulantibus Orthodoxis Edictum suum misit, vt vnusquisque sciat se Pontificem summum vniuersi orbis esse, & vt talis decernit; summarum dispensationes causarum suæ Romanæ Ecclesiæ, vti omnium aliarum capiti, omnino pertinere: sicut antiquitus sanxit Diuus Anacletus in suo primo Decreto cap. 4. ita inquiens: (a) *Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut minores fuerint causæ, ad Sedem Apostolicam, si appellata fuerint, referantur: Quoniam hoc Apostoli statuerunt iussione Saluatoris, vt maiores, & difficiliores quæstiones, semper ad Sedem deferantur Apostolicam, super quam Christus Vniuersam construxit Ecclesiam, dicente ipso ad Beatum Petrum Apostolorum Principem: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam.*

151 Pari modo *Iulius Primus*, in sua Epistola ad Orientales Episcopos missa, quam de verbo ad verbum Athanasius in sua Apologia refert, egregiè se gessit: nam S. Pontifex ibi asserit, causas omnium Orientalium Episcoporum etiam primorum Patriarcharum, ex auctoritate Christi B. Petro tradita, ad Romanum Pontificem, tanquam legitimum Petri Apostoli successorẽ omnino pertinere. Ita etiam Gelasius ad Episcopos Dardaniæ, ac Imperatorem Anastasium scripsit. Ita Ioannes II. ad Imperatorem Iustinianum Seniorem notificauit: relictis pluribus Epistolis, nempè Zosimi, Leonis, & Felicis, quos Bellarminus in libro de Romanis Pontificibus recenset; cum satis, imo abundè ex refertis possint legentes colligere: Romanum Episcopum

(a) *Apud Gratian. dist. 21.*

Digitized by Google

à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem canonicè electum, statim totius Vrbis & Orbis, verum, & Summum Pontificem esse.

CAPVT VII.

Episcopum Romanum, electum à Cardinalibus in Petri Apostoli successorem, supremam potestatem capitis in toto terrarum Orbe de iure diuino habere, probat auctoritas Conciliorum.

152 RElolutissimus Doctor Ioannes *Bachonius* probans solidè in 4. sententiarum, (a) quod Christus Dei filius resurrexerit, & ascenderit ad Cœlũ; citat pro sui firmitate, tum Cõcilium Apostolicum Hierosolymitanum; tum Nycænum, (b) sicut etiam *in Quolibetis*, auctoritatem Concilij Lateranensis, & Lugdunensis pro sui ratione adducit. Nos igitur ipso Doctore pro nostra veritate, etiam Concilia hic retulimus, nempè tantum quatuor illa, quæ S. Gregorius in honorem quatuor Euangelistarum habere voluit; scilicet Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, ita scribens. (c) *Sicut Sancti Euangelistæ quatuor libros, si quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense tota deuotione amplector, integerrima approbatione custodio, quia in his, veluti in quadrato lapide S. fidei structura consurgit, & cuiuslibet vitæ, atque actionis norma consistit. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.* Et quod ita sit, ac legitimè fuerint celebrata *Lutherani*, & *Caluinistæ* etiam fatentur. Et quidem nomine omnium Lutheranorũ ita Dreiærus Professor Regiomontanus testatur: (d) *Amplectuntur Protestantes Symbolum Nicænum, Statuta Concilij Constantinopolitani, Ephesini, & Symbolum Chal-*

(a) *Qu.* 11. *Prol. art.* 2. (b) *Lib.* 3. *art.* 2. (c) *Lib.* 1. *epist.* 28. (d) *In præfat. ad controu. cum Pontif.*

Digitized by Google

Chalcedonense. Ex parte verò Caluinistarum, ipsemet Caluinus sic fatetur: (a) *Nos Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, ac similes priscas Synodos, quę confutandis erroribus habitæ sunt, libenter amplectimur, reueremurque, vt Sacrosanctas, nihil enim continent, quam puram, & natiuam scripturæ interpretationem, quam Sancti Patres spirituali prudentia ad frangendos Religionis hostes, accommodarunt.* Istis ergo Sacris Oecumenicis Concilijs, & eorum sanctionibus, de quibus Hæretici nihil dubitant, standum erit, & inquirendum omninò, quid ipsa Concilia senserint de Romani Pontificis primatu, eiusque Suprema Potestate. Et,

153 Primò occurrit nobis Concilium Nicenum, à *Nicea* Bythiniæ Metropoli ita dictum; vbi anno salutis nostræ 325. Imperij vero Magni Constantini 20. Concilium ipsum à *S. Syluestro* Papa, Præsidentibus eius Legatis Osio Cordubensi Episcopo, Victore, ac Vincentio Presbyteris, contra Arrium fuit conuocatum; & ex toto terrarum orbe 318. Episcopi conuenerunt, qui vno ore, anno 327. Arrium ipsum asserentem insulsè, Dei filium ex nihilo in tempore factum esse, ac proindè Creaturam, non Creatorem, condemnarunt, & Christi, ac Spiritus Sancti Diuinitatem definierunt. Vndè non modò ille versus hymni glorificationis, videlicet, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; ad confusionem Arianorum, qui solum dicebant, *Gloria Patri per Filium, in Spiritu Sancto*, fuit approbatus: verum & ipsi etiam additum: *Sicut erat in principio, nunc, & semper, & in sæcula sæculorum Amen*. Circa supremam deinde Romani Pōtificis auctoritatem*, sic fuit definitum. (b) *Ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est, & Princeps omnium Patriarcharum, sicut Petrus, &c.* (Ita ex Arabico, in latinum trans-

la-

(a) *Lib. 4. Institut. c. 19. §. 8.* (b) *Can. 1. can. 39.*

Digitized by Google

latũ) Et ideo alibi fuit etiam determinatum. *(a) Placuit toti Synodo, si accusatus, vel dãnatus Episcopus appellauerit ad Romanum Pontificẽ, id statuendum, quod ipse censuerit.*

154 Secundo; accedit nobis Concilium Constantinopolitanum annis 56. lapsis post Nicenum: Imperij Theodosij Senioris quinto; salutis verò nostræ 383. à *Damaso* Papa contra Macedonium eiusdem Ciuitatis Constantinopolis Episcopum indictum; (licet aliud Romæ Damasus etiam conuocauerit) vbi 150. Episcopi interfuerunt, qui omnes vnanimes Macedonium ipsum de Spiritus Sancti diuinitate malè sentiensem, non modo condemnarunt, verum & tanquam Hæreticum è sede Constantinopolitana eiecerunt; suffecto in eius locum, Gregorio Nazianzeno. Deindè erga Romani Pontificis supremam auctoritatem; Patres illi, ipsum tanquam verum totius Ecclesiæ principale Caput ex omni parte agnoscentes, tale etiam esse procul dubio declararunt, dum sese membra ipsius, sic apertè testati sunt. *(b) Dominis honorabilibus, atque venerandis fratribus, Damaso, Ambrosio, Brittonio, Valeriano, Accolio Basilio, & reliquis Sanctis Episcopis in maxima Roma collectis, Sancta Synodus orthodoxorum Episcoporum congregatorum in maxima Ciuitate Constantinopoli, in Domino salutem. Et bene, & c. quia fraternam circa nos charitatem ministrantes, Synodum in Romana Vrbe Dei voluntate fecistis, & nos illuc tanquam membra propria litteris Deo amabilis Principis euocastis: & quoniam tunc ad tribulationes soli fumus addicti, nunc sub Imperatorum pia concordia nõ sine nobis regnaretis, sed etiam nos vobiscum secundum Apostolicam vocem conregnaremus. Oratio quidem nostra fuit, si esset possibile, vt omnes nostras simul relinquentes Ecclesias, desiderio vtili iungeremur.* Cæterum ipsa Constantinopolitana Synodus ob causam eius Episcopi Anti-

(a) *Cap.* 1. (b) *Histor. tripar. c.* 14.

Digitized by Google

Anthimi, iterum in Domino congregata, tam benè sentit de potestate Summi Pontificis Romani, vt per Præsidem ipsius nomine Mennam Patriarcham, ita fuerit loquuta. (a) *Nos Apostolicam sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores habemus: condemnatos ab ipsa, & nos condemnamus.* Et propter hoc Gregorius ad Ioannem Episcopum Siracusanum ita scripsit: (b) *De sede Constantinopolitana qui dubitet, eam Apostolicæ sedi esse subiectam, quod & Dominus pijssimus Imperator, & frater meus Eusebius eiusdem Ciuitatis Episcopus assiduè profitentur.*

155 Tertio Concilium Ephesinum venit à *Cœlestino Papa* anno redemptionis nostræ 430. Imperij verò Theodosij Senioris 8. contra Nestorium Constantinopolitanum Patriarcham intimatum, in quo 200. Episcopi conuenerunt; & Præside Cyrillo Carmelita Patriarcha Alexãdrino, Nestorium debacchantem: *Mariam Virginem* non esse Iesu Christi Genitricem, nõ modo vnanimiter, vt reum & hæreticum condemnarunt; quinimmò Episcopali dignitate exauctorari iusserunt; Beatissimam Virginem ex alia parte, ΘΕΟΤΟΚΟΣ nempè Dei Matrẽ appellandam esse, iure optimo determinarunt. Et in auctoritatem Pontificis Romani, deinde oculos mentis inijcientes, definierunt: potestatem ligandi, atque soluendi à Christo Petro collatam, transiisse in legitimos ejusdẽ Apostoli successores, videlicet Pontifices Romanos, & adhuc penes eos vigere. *Nulli dubium est*, inquit Sancta Synodus Ephesina, *Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, & Caput, à Christo Domino Cœlestis Regni claues accepisse, soluendique, ac ligandi potestate, quam acceperat vsum fuisse, nec non per successores hucusque semper viuere, causasque decernere, semperque victurum esse. Huius itaque successor est Vicarius Sanctus, Beatissimusque Papa, & Episcopus noster Cœlesti-*

(a) *Act 5. Synod.* (b) *Lib. 7. epist. 63.*

Digitized by Google

leſtinus, nos ſuos pro ſe quaſi Vicarios, ad hanc Synodum miſit. Tandem actione tertia: *Romanus Epiſcopus, ſucceſſor ordinarius eſt Beati Petri Apoſtolorum Principis.*

156 Vltimò; eſt Concilium Chalcedonenſe, à Sancto *Leone Papa*, anno ſalutis noſtræ 451. Imperij verò Marciani II., contra Eutichetem, & Dioſcorum, conuocatum, in quo 630. Patres interfuerunt, & omnes vno ore, aſſiſtentibus Summi Pontificis legatis, Eutichetē, & Dioſcorum, non modo tāquam Hæreticos damnarunt, verum & Sanctam Romanam Eccleſiam, ob Petri Apoſtoli ſedem, omnium Eccleſiarum orbis primiceriam eſſe, canone ſexto, ita decreuerunt. (a) *Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, nos autē perduret.* Et alibi. *Perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Deo amatiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.*

157 Supradictus autem Primatus Eccleſiæ Romanæ teſtatus à Concilio Chalcedonenſi, iam ab annis quinquaginta ante ipſum Concilium, nempè in Concilio Mileuitano fuit etiam declaratus, refert Auguſtinus, (b) vt ex ſequenti Synodica Epiſtola, quam cætus ille venerabiliſſimus tot, & Patrum, Innocentio I. miſit, apertè oſtenditur; *Domino Beatiſſimo, meritoque venerabili in Chriſto honorando, Papæ Innocentiō, Siluanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Fortunatus, Seuerus, Auguſtinus, Poſſidius Nouatus, Secundus, Maurentius, Leo, Fauſtinianus, Creſconius, Lucius, Adeodatus, Malcus, Litorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus Chriſtonius, Honorius, Creſconius, Proceſſus, Creſconius Secundus, Felix, Aſiaticus, Rufinianus, Fauſtinus, Seruius, Terentius, Creſconius, Sperantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Fauſtinus, Victor, Ginantius, Poſſidonius, Antonius, Innocentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Do-*

(a) *Recit. In Actione 16.* (b) *Tom. 2. epiſt. 92.*

Digitized by Google

Donatus, Petrus, Præsidius, Cresconius, Lampadius, Delphinus, ex Concilio Mileuitano, in Domino salutem, Papæ Innocentio. Quia te Dominus gratiæ suæ præcipuo munere, in sede Apostolica collocauit. En quomodo Concilium Mileuitanum testatur, Romanum Episcopum, esse verum Petri Apostoli successorem.

158 Istis autem Concilijs, quatuor alia annectimus, nempè *Sardicense*, vbi ita fuit definitum. (a) *Si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, vt iterum iudicium renouetur: Si vobis, Patres, placet, Sancti Petri memoriam honoremus, vt scribatur ab his, qui causam examinarunt Iulio Romano Episcopo: & si iudicauerit, renouandum esse iudicium, renouetur, & det Iudices: Si autem probauerit talem causam, vt non refricentur ea, quæ acta sunt:* (b) *Quæ decreuerit Romanus Episcopus, confirmata erunt, si hoc omnibus placet; & omnes respondérunt, placet.* Lateranense, sub *Innocentio Tertio* celebratum, in quo Græci, & Latini Patres interfuerunt, & Ecclesiam Romanam, matrem, & omnium fidelium magistram esse, sic publicarunt. *Romana Ecclesia, disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet Principatum, vtpote mater Vniuersorum Christi fidelium, & magistra.* Florentinum, vbi etiam aduenientes Græci, & Latini Episcopi, decreuerunt: *Sedem Apostolicam, eiusque Romanum Pontificem totius orbis principatum tenere, legitimum esse* Petri *Apostoli successorem, & caput Ecclesiæ, fideliumque Patrem, & Doctorem.* Denique, relictis quatuor alijs Cõcilijs, videlicet *Lugdunensi*, sub Innocentio Quarto. *Viennensi*, sub Clemente V. *Constantiensi*. sess. 8. & 15. *Lateranensi*, sub Leone X. sess. 11. tantummodo pluribus in Locis, Sacrum Concilium *Tridentinum* videatur.

(a) *Can.* 4. (b) *Can.* 5.

O CA-

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Principatus Romani Pontificis super cunctas Orbis Ecclesias, testimonio Græcorum, & Latinorum Patrum comprobatur.

159 NVlla alia potiori ratione ad probandum, Animam intellectiuam, esse veram hominis formam informantem, vsus est (a) *Resolutissimus Doctor*, quam sententia omnium Sanctorum Patrum. Nos autem qui in rebus describendis doctrinam supradicti peritissimi Viri hic sequimur, eiusdem ordine in ipsis comprobandis, debemus vti. Propterea ad ostendendum Principatum Romani Pontificis super cunctas Orbis Ecclesias, nulla alia doctrina in hoc 8. capite vtimur, quam Grecorum, & Latinorum Doctorum sententijs, cum maximæ auctoritatis, & ponderationis sint, sicut cuilibet patebunt. Et primo ex Græcis..

160 S. Cyrillus Carmelita, Patriarcha Alexandrinus. (b) Petro *dictum est, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Secundum hanc Domini promissionem, Ecclesia Apostolica* Petri *ab omni Hæreticorum circumuentione immaculata manet, super omnes* Præpositos, *& Episcopos, & super omnes Ecclesiarum* Primatus, *&* Populorum *in suis* Pontificibus, *& auctoritate* Petri: *Et cum aliæ Ecclesiæ sint verecundatæ, ipsa sola inquassabiliter regnat stabilita, silentium imponens, & omnium obturans ora hæreticorum: & nos necessitate salutis, non decepti superbia, neque vino superbiæ inebriati, typum veritatis, & sanctæ Apostolicæ traditionis, vna cum ipsa confitemur, & prædicamus.*

161 S. Cyrillus Hierosolymitanus. (c) Princeps *Apostolici Ordinis* Petrus, *cum filium Dei viui, Christum Iesum confessus esset, claues Regni cœlestis accepit,* Potestatem *cœlestium, & terrenorum omnium.* Ergo eius Principatus est super cunctas Orbis Ecclesias sicut fatetur.

162 Atha-

(a) *Quod lib. lib.* 1. *ar.* 1. §. 2. (b) *Super c.* 16. *Matth.* (c) *Catechis.* 17.

Digitized by Google

162 Athanasius, ad Marcum Papam ita scribens. (a) *Optamus, vt à vestræ Sanctæ Sedis Ecclesiæ auctoritate, quæ est caput, & mater omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem, & recreationem fidelium Orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur; quatenus vestra fulti auctoritate, nostrisque precibus roborati, illæsi à memoratis æmulis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & matris euadere, nobisque commisso gregi seruire valeamus. Vsque huc verè nouimus Apostolatus vestri cor, gratia Sancti Spiritus in tantum esse accensum, vt omnibus oppressis succurratis; quanto magis nobis, qui licet exigui, ordinis vestri cum simus, vobis, quia obedientes cum omnibus vobis, & sumus, & semper esse volumus.*

163 S. Basilius Magnus. (b) *Visum est autem mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hic geruntur consideret, detque consilium.*

164 S. Ignatius Martyr, Principatum Ecclesiæ Romanæ, nomine Ecclesiæ sanctificatę explicat, ita scribens. (c) *Ignatius Ecclesiæ sanctificatæ, quæ in loco Regionis Romanorum præsidet.*

165 S. Polycarpus, pro decisione quæstionis de die Paschę, Romanum Pontificem, tanquam omnium Ecclesiarum Ducem, & caput adiuit, refert Hieronymus. (d) *Polycarpus propter quasdam super die Paschæ quæstiones, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit.*

166 D. Eutichius Constantinopolitanus Patriarcha scribens ad Vigilium Papam, (e) *Ad Apostolicam Sedem*, inquit, *Beatitudini tuæ manifestum facimus, quod seruamus fidem à Christo Apostolis traditam, & ab illis in toto mundo prædicatam, &c. & ideo petimus, præsidente nobis vestra Beatitudine, sub tranquillitate, & Sacerdotali mansuetudine, propositis Sanctis Euangelijs, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda quæri, & conferri, et*

(a) *In sua Epist.* (b) *Epist. 52. ad Athanas.* (c) *Epistol sua ad Rom.* (d) *De Viris illustr.* (e) *Epist. ad Vigil.*

Digitized by Google

finem quæstioni imponi Deo placitum.

167 Ruffinus Magnus inter Patres, cum ab æmulis accusandus esset, fidem suam pro defensione non alibi, quã apud omnium Supremum Iudicem in terris, nẽpè Anastasium Papã Romanum, sic deponere cœpit - (a) *Ego enim præter hanc fidem, quam exposui, & in Ecclesia Romana prædicatur, aliã non habui vnquã, nec habeo in Christi nomine, nec habebo, etsi quis aliter crediderit, quisquis ille est, anathema sit. Nemo ergo mihi, ex hac quæso Te Sancte, & Venerabilis, & Beate Pater conflet inuidiam, nemo factionibus vtatur, quod in Ecclesia Dei fieri non licet.*

168 Gennadius, Epistolam de fide sua compositam non alteri, tanquam Supremo Principi, pro approbatione direxit, quam Gelasio Romano Pontifici, eum ita alloquens: (b) *Ego Gennadius Massiliæ Presbiter scripsi aduersus omnes hæreses libros octo: aduersus Nestorium, libros sex: & Epistolam de fide mea misi ad Beatum Gelasium Vrbis Romæ Episcopum.*

169 Archimandritæ, & Monachi Syriæ, ad Romanum Pontificem, tanquam ad supremum Principem omniũ Ecclesiarum, pro sua defensione recurrunt (c) *Sanctissimo, ac Beatissimo Vniuersi Orbis Terræ Patriarchæ Hormisdæ, &c. Deprecamur ergo Beatissime, supplicantes, & rogantes, vt & vrgeatis cum feruore, & zelo, & condoleatis iustè pro corpore laniato: nam caput estis omnium; & vindicetis fidem contemptam, canones conculcatos, Patres blasphematos, & talem synodum anathemate impetitam. Vobis data est potestas, & auctoritas ligandi, atque soluendi.* Ita Græci, quibus breuitatis gratia, S. Ioannem Chrysostomum, Incarnat. in vita sua: Gregorium Nazianzenum, Epist. ad Ath. S Epiphaniũ hæres. 68. Et Irænei, ad Rom. lib. adiungimus. Ex latinis vero.

170 S. Gregorius. (d) *Hæc Sedes Romana speculatione*

(a) *Apolog pro seipso.* (b) *In calce lib.* (c) *Epistol. ad Pap.* (d) *Primil. Abb. 5. Menda Suas. tom. 2. insert.*

Digitized by Google

tione sua toti orbi indicit, & nouas consuetudines omnibus mittit.

171 S. Ambrosius. *Sanè referendum arbitramur ad Reuerendum Fratrem nostrum Romanæ Sacerdotem Ecclesiæ: Quoniam præsumimus ea te indicaturum, quæ etiam illi displicere nequeant, &c. vt nos quoque, cum id gestum esse cognouimus, quod Ecclesia Romana haud dubio comprobauerit, læti huius fructum examinis adipiscamur.* (a) Ita ad Episcopum Alexandrinum insinuans ei Principatum Romani Pontificis esse super cunctas Ecclesias.

172 S. Augustinus. (b) *Ecclesia ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum frustra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, & partim miraculorum maiestate damnatis, semper culmen auctoritatis obtinuit. Cui nolle primitias dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad salutem animis via est, nisi cum in eis ratioui præcedit fides: quid aliud est, ingratum esse, opi, atque auxilio, quam tanto labore prædictæ auctoritati resistere?* Ad intentum vero; fatetur in vna sua Epistola, acta Conciliorum Carthaginensis, & Mileuitani fuisse ad Romanũ Pontificem, tanquam ad supremum omnium Ecclesiarum Principem, & causarum fidei Iudicem, transmissa. (c) *Missæ sunt*, inquit, *de hac re à duobus Concilijs Carthaginensi, & Mileuitano ad Apostolicam Sedem, &c. ad omnia nobis Innocentius Papa rescripsit, eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem.* Expressius tandem: (d) *In Romana Ecclesia, semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatum, &c. per communicatorias Ecclesias esse coniunctum.*

173 Sanctus Hieronymus ad Damasum Papam ita scribit: (e) *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, Romani culminis recedat ambitio. Ego nullum primum, nisi Christum sequens Beatitudini tuæ, id est,*

Ca-

(a) *Epist.* 78 (b) *to.* 6 *c.* 17. *vers. fin.* (c) *Epist* 106. (d) *Epist* 162. (e) *Ep. ll.* 57.

Digitized by Google

Cathedræ Petri Communionem consocior : super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. In fine Epistolæ. (a) *Hæc fides est, Papa Beatissime, quam in Catholica Ecclesia didicimus, quam semper tenuimus: In qua si minus peritè, emendari cupimus à te, qui Petri, & fidem, & sedem tenes.*

174 S. Prosper. (b) *Quamuis gratia Christiana non contenta sit eosdem limites habere, quos Roma, multosque iam Populos sceptro Crucis illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit ; tamen per Apostolici Sacerdotis principatum, amplior facta est, arce Religionis, quam solio potestatis.*

175 Quibus omnibus annectere possumus S. Anselmũ, *lib. de Verbi Incarnatione*, ad Papam Vrbanum dicato. Bedam venerabilem, *lib. 2. de Histor. Anglicana cap. 1.* aliosque permultos vno ore asserentes, Pontificem Romanum Petri Apostoli successorem, supremam in toto Orbe terrarum potestatem habere: Et contrarium dicere Hæreticũ esse, Guido Carmelita Episcopus Maioricensis, sic apertè demonstrat. (c) *Primus*, inquit, *Hæreticorum Sagarellorum error est, quod tota potestas collata Ecclesiæ à Christo, omnino euacuata sit, per malitiam Prælatorum.*

CAPVT IX.

Principatum Romani Pontificis per successorum Chronotaxim, successiuè ab Apostolo Petro, vsque in præsentem Innocentium XII. relatam, non interruptum, sed potius idem esse, clarè ostenditur.

176 CVm Sponsa Iesu Christi sit Sancta Romana Ecclesia visibilis, quam, teste Apostolo, *Sanguine suo acquisiuit*; Quamdiù in terris ipsa duratura est, tandiù eius Caput visibile persistere debet: alioquin, abscisso

(a) *tom. 4.* (b) *lib. 2. de vocat Gent. c. 16.* (c) *lib. de hæres.*

Digitized by Google

sciſſo capite, Eccleſia Ieſu Chriſti corruere diceretur. Et cum ipſa per ſucceſſiuam Generationem Spiritualem Renatorum fidelium, nempè, *per virtutem Sacramenti Baptiſmi*, inquit noſter Incognitus (*a*) denuò regeneretur, & ſucceſſiuè perduret; neceſſe eſt, vt in ipſa, præuia ſucceſſione, ſiue electione noui Pontificis, in demortui locum immiſsuri, eius Caput itidem perſeueret; ſicut Regius Propheta iam vaticinauit. (*b*) *Pro Patribus*, inquiens, *tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* (*c*) *Loco Patrum*, ſubiungit Incognitus, *Patriarcharum, videlicet, & Prophetarum, Chriſto nati ſunt ſpirituales filij, ſcilicet, Apoſtoli, & Diſcipuli Domini, qui Patriarchis, & Prophetis ſucceſſerunt, qui fuerunt Eccleſiæ Principes, & Prælati, per totum mundum ad prædicandam Chriſti fidem diſpersi, vt ex illis alij ſpiritualiter generarentur, & ſic Eccleſia Chriſti vſque in finem continuaretur.* Mediante ergo ſpirituali generatione fidelium, & ſucceſſione Summi Pontificis in Vniuerſo Orbe durat Eccleſia, & ipſis mediantibus, Romani etiam Epiſcopi Principatus, integer in ipſa perſeuerat. Et hæc præcipua cauſa fuit, cur ad eius comprobationem antiqui Patres, ſecundum temporum centurias ad Chronotaxim recurrerint, ſicut fecit (*d*) *Iræneus*, à Petro, vſque ad Eleuterium Romanum Pontificem Chronotaxim recenſens. Quod etiam contra Ruffinum fecit (*e*) *Hieronymus*, & contra Marcionem *lib. 3. cap. 9.* fecit *Tertullianus*. Et ideo, ipſa etiam vſus eſt noſter Reſolutiſſimus Doctor Bachonius, art. 3. dum ſic ait: (*f*) *S. Clemens non ſtatim renunciauit, & hoc certificat, quod in regiſtro Romanorum Pontificum non computantur Linus, & Cletus, cæteri ſucceſſores Clementis, Clementem immediatè computant poſt Petrum. Et art. 4. hæc de regiſtro Romanorum Pontificum, fol. 5. et fol. 19.* Nos autem ipſum ſe-

(a) *tom. 1. pſal. 44. nu. 752.* (b) *Pſal. 44.* (c) *Ibid. ſupra.* (d) *lib. 3. cap. 3.* (e) *lib. 3. epiſt. ad Dam.* (f) *In 4. q. 10. Prol.*

Digitized by Google

sequentes, ipsa etiam in hoc capite vtimur, & eo magis, cum lumen Ecclesiæ Augustinus etiam fuquutus sit ipsorum Romanorum Pontificum Chronotaxim, prout ipsemet ita scribit. (a) *Si enim, Ordo Episcoporum sibi succedentium, considerandus est, quanto certius, et verè, et salubriter ab ipso* Petro *numeramus, cui, totius Ecclesiæ figuram gerenti, Dominus ait, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, etc.* Petro, *successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, Euaristo Alexander, Alexandro Sixtus, Sixto Telesphorus, Telesphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zefirinus, Zefirino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Secundo Dionysius, Dionysio Felix, Felici Eutbichianus, Eutbichiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Eusebius, Eusebio Melchiades, Melchiadi Sylvester, Sylvestro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damasus, Damaso Siricius, Siricio Anastasius.* Hactenus Augustinus. Verum nos catalogum Romanorum Pontificum sequentes, eorum primordialem originem, à nullo alio excipimus, nisi à Christo capite fontali, & ex illo deinde, sic cæteris exhibemus.

177 Iesus Christus filius Dei Vnigenitus, consubstãtialis æterno Patri, conceptus ex Spiritu Sancto, natus Bethleem ex *Maria Virgine*, die 25. Decembris, anno ab exordio mundi 5199. Mediator Dei, & Hominum, Sacerdos, Hostia, Summus Pontifex, & Caput totius Ecclesiæ; Crucifixus est pro redemptione generis humani, die 25. Martij, anno ætatis suę trigesimo tertio expleto: tertia autem die resurrexit à mortuis, descendit ad Inferos, & antequam ascenderit ad Cœlum, nè dilectissima sua Ecclesia ob eius absentiam anacepha-

la

(a) *Epist.* 165.

Digitized by Google

la videretur eius Caput visibile, & suum in terris Supremum Vicarium, cum potestate ligandi, atque soluēdi, die 14. Maij, Petrum *Apostolum* his verbis: *Pasce Agnos meos, pasce oues meas*, instituit.

1 Petrus Apostolus, Primus Christi Vicarius in terris, & Romanus Pontifex, obijt die 29. Iunij, anno humanæ salutis 68. sub Nerone Imperatore.

2 Anno vero Redemptionis nostræ 69. Petro Apostolo in Christi Vicarium, & Romanum Pontificem Linus successit.

3 Anno 79. Lino successit in Cathedram Romanam, Cletus.

4 Anno 93. Cleto successit Clemens.

5 Anno 102. Clementi succeſſit Anacletus.

6 Anno 110. Anacleto succeſſit Euaristus.

7 Anno 118. Euaristo successit Alexander.

8 Anno 129. Alexandro successit Sixtus.

9 Anno 139. Sixto successit Telesphorus noster.

10 Anno 150. Telesphoro successit Hyginus.

11 Anno 154. Hygino successit Pius.

12 Anno 165. Pio succeſſit Anicetus.

13 Anno 175. Aniceto successit Soter.

14 Anno 179. Soteri successit Eleutherius.

15 Anno 194. Eleutherio successit Victor.

16 Anno 203. Victori succeſſit Zeferinus.

17 Anno 221. Zeferino succeſſit Calixtus.

18 Anno 226. Calixto succeſſit Vrbanus.

19 Anno 233. Vrbano successit Pontianus.

20 Anno 238. Pontiano successit Antherus.

21 Anno 239. Anthero successit Fabianus.

22 Anno 254. Fabiano successit Cornelius.

23 Anno 255. Cornelio successit Lucius.

24 Anno 257. Lucio successit Stephanus.

25 Anno 260. Stephano successit Sixtus secundus.

26 Anno 261. Sixto successit Dionysius noster.

27 Anno 272. Dionysio

Digitized by Google

succesſit Felix.

28 Anno 275. Felici ſucceſſit Eutichianus.

29 Anno 283. Eutichiano ſucceſſit Caius.

30 Anno 296. Caio ſucceſſit Marcellinus.

31 Anno 304. Marcellino ſucceſſit Marcellus.

32 Anno 309. Marcello ſucceſſit Euſebius.

33 Anno 311. Euſebio ſucceſſit Melchiades.

34 Anno 314. Melchiadi ſucceſsit Syluester.

35 Anno 336. Syluestro ſucceſsit Marcus.

36 Anno 336. ad diem tamen 26. Octobris, Marco Epiſcopo Romano ſucceſsit in Cathedram Iulius.

37 Anno 352. Iulio ſucceſsit Liberius.

38 Anno 367. Liberio ſucceſsit Felix ſecundus.

39 Anno etiam 367. Felici ſucceſsit Damaſus.

40 Anno 385. Damaſo ſucceſsit Siricius.

41 Anno 398. Siricio ſucceſsit Anaſtaſius.

42 Anno 402. Anaſtaſio ſucceſsit Innocentius.

43 Anno 417. Innocentio ſucceſsit Zoſimus.

44 Anno 418. Zoſimo ſucceſsit Bonifacius.

45 Anno 423. Bonifacio ſucceſsit Cæleſtinus.

46 Anno 432. Cæleſtino ſucceſsit Sixtus tertius.

47 Anno 440. Sixto tertio ſucceſsit Leo.

48 Anno 461. Leoni ſucceſsit Hilarius.

49 Anno 467. Hilario ſucceſsit Simplicius.

50 Anno 483. Simplicio ſucceſsit Fælix tertius.

51 Anno 492. Fælici tertio ſucceſsit Gelaſius.

52 Anno 496. Gelaſio ſucceſsit Anaſtaſius ſecundus.

53 Anno 498. Anaſtaſio ſecundo ſucceſsit Simmacus.

54. Anno 514. Simmaco ſucceſsit Hormisdas.

55 Anno 523 Hormisdæ ſucceſsit Ioannes.

56 Anno 526. Ioanni ſucceſsit Fælix quartus.

57 Anno 530. Fælici quarto ſucceſsit Bonifacius ſecundus.

58 Anno 532. Bonifacio ſecundo ſucceſsit Ioannes ſecundus.

59 Anno 534. Ioanni ſecun-

Digitized by Google

cundo succesſit Agapitus.

60 Anno 536. Agapito succesſit Syluerius.

61 Anno 539. Syluerio succesſit Vigilius.

62 Anno 556. Vigilio succesſit Pelagius.

63 Anno 559. Pelagio succesſit Ioannes tertius.

64 Anno 573. Ioanni tertio succesſit Benedictus.

65. Anno 577. Benedicto succesſit Pelagius secundus.

66 Anno 590. Pelagio secundo succesſit Gregorius Magnus.

67 Anno 604. Gregorio Magno succesſit Sabinianus.

68 Anno 606. Sabiniano succesſit Bonifacius tertius.

69 Anno 607. Bonifacio tertio, sucessit Bonifacius quartus.

70 Anno 614. Bonifacio quarto succesſit Deusdedit.

71 Anno 617. Deusdedit succesſit Bonifacius quintus.

72 Anno 626. Bonifacio quinto succeſſit Honorius.

73 Anno 639. Honorio succesſit Seuerinus.

74 Anno 639. sed in fine: Seuerino succesſit Ioannes quartus.

75 Anno 641. Ioanni quarto succesſit Theodorus.

76 Anno 649. Theodoro succesſit Martinus.

77 Anno 654. Martino succesſit Eugenius.

78 Anno 655. Eugenio succeſſit Vitalianus.

79 Anno 659 Vitaliano succeſſit Adeodatus.

80 Anno 676. Adeodato succeſſit Domnus.

81 Anno 678. Domno succeſſit Agatho.

82 Anno 683. Agathoni succeſſit Leo secundus.

83 Anno 684. Leoni secundo succeſſit Benedictus secundus.

84 Anno 685. Benedicto secundo succeſſit Ioannes quintus.

85 Anno 687. Ioanni quinto succesſit Conon.

86 Anno 687. in fine, Cononi succesſit Sergius.

87 Anno 701. Sergio succesſit Ioannes sextus.

88 Anno 705. Ioanni sexto succesſit Ioannes septimus.

89 Anno 708. ad diem 18. Ianuarij, Ioanni septimo succesſit Sisinnius.

Digitized by Google

90 Anno 708. ad diem 7. Martij, Sisinnio succesit Constantinus.

91 Anno 714. Cõstantino succesit Gregorius secundus.

92 Anno 731. Gregorio secundo succesit Gregorius tertius.

93 Anno 741. Gregorio tertio succesit Zacharias.

94 Anno 752. Zachariæ succesit Stephanus secũdus.

95 Anno 757. Stephano secundo succesit Stephanus tertius.

96 Anno 762. ad diem 18. Maij, Stephano tertio succesit Paulus.

97 Anno 768. Paulo succesit Stephanus quartus.

98 Anno 772. Stephano quarto succesit Adrianus.

99 Anno 795. Adriano succesit Leo tertius.

100 Anno 816. Leoni tertio succesit Stephanus quintus.

101 Anno 817. Stephano quinto succesit Paschalis.

102 Anno 824. Paschali succesit Eugenius secundus.

103 Anno 827. Eugenio secundo succesit Valentinus.

104 Anno eodem 827. Valẽtino succesit Gregorius Quartus.

105 Anno 844. Gregorio Quarto succesit Sergius Secundus.

106 Anno 847. Sergio secũdo succesit Leo quartus.

107 Anno 858. Leoni quarto succesit Benedictus tertius.

108 Anno 858. Benedicto tertio succesit Nicolaus.

109 Anno 867. Nicolao succesit Adrianus secundus.

110 Anno 872. Adriano II succesit Ioannes VIII.

111 Anno 882. Ioanni VIII. succesit Martinus.

112 Anno 884. Martino succesit Adrianus tertius.

113 Anno 885. Adriano tertio succesit Stephanus sextus.

114 Anno 890. Stephano sexto succesit Formosus.

115 Anno 890. Formoso succesit Bonifacius sextus.

116 Anno 897. Bonifacio sexto succesit Stephanus septimus.

117 Anno 899. Stephano septimo succesit Romanus.

118 Anno 899. Romano suc-

Digitized by Google

ſucceſſit Theodorus ſecũdus.

119 Anno 901. Theodoro ſecundo ſucceſſit Ioannes nonus.

120 Anno 904. Ioanni nono ſucceſſit Benedictus quartus.

121 Anno 904. Benedicto quarto ſucceſſit Leo V.

122 Anno 905. Leoni V. ſucceſſit Chriſtophorus.

123 Anno eodem 905. Chriſtophoro priuato ſucceſſit Sergius tertius.

124 Anno 911. Sergio tertio ſucceſſit Anaſtaſius tertius.

125 Anno 913. Anaſtaſio tertio ſucceſſit Lando.

126 Anno eodẽ 913. Lãdoni ſucceſſit Ioannes X.

127 Anno 928. Ioanni X. ſucceſſit Leo ſextus.

128 Eodem Anno 928. Leoni ſexto ſucceſſit Stephanus octauus.

129 Anno 931. Stephano octauo ſucceſſit Ioannes vndecimus.

130 Anno 935. Ioãni vndecimo ſucceſſit Leo VII.

131 Anno 939. Leoni ſeptimo ſucceſſit Stephanus nonus.

132 Anno 942. Stephano nono ſucceſſit Martinus ſecundus.

133 Anno 946. Martino ſecũdo ſucceſſit Agapitus ſecundus.

134 Anno 956. Agapito ſecũdo ſucceſſit Ioãnes duodecimus.

135 Anno 964. Ioanni duodecimo ſucceſſit Benedictus quintus.

136 Anno 965. Benedicto V. ſucceſſit Ioannes decimuſtertius.

137 Anno 972. Ioanni decimotertio ſucceſſit Domnus ſecundus.

138 Anno eodem 972. Domno ſecundo ſucceſſit Benedictus ſextus.

139 Anno 974. Benedicto ſexto ſucceſſit Bonifacius ſeptimus.

140 Anno 975. Bonifacio ſeptimo ſucceſſit Benedictus ſeptimus.

141 Anno 984. Benedicto ſeptimo ſucceſſit Ioannes decimuſquartus.

142 Anno 985. Ioanni decimoquarto ſucceſſit Ioannes decimuſquintus.

143 Anno 995. Ioãni decimo.

Digitized by Google

cimoquinto succesſit Ioannes decimusſextus.

144 Eodem anno 995. Ioanni decimoſexto succesſit Gregorius V.

145 Anno 999. Gregorio V. ſucceſſit Syluester II.

146 Anno 1003. Syluestro II. ſucceſſit Ioannes Decimusſeptimus.

147 Eodem anno 1003. Ioanni XVII. ſucceſſit Ioannes Decimusoctauus.

148 Anno 1009. Ioanni XVIII. ſucceſſit Sergius IV.

149 Anno 1012. Sergio IV. ſucceſſit Benedictus VIII.

150 Anno 1024. Benedicto VIII. ſucceſſit Ioannes XIX.

151 Anno 1033. Ioanni XIX. ſucceſſit Benedictus IX.

152 Anno 1045. Benedicto IX. ſucceſſit Gregorius VI.

153 Anno 1046. Gregorio VI. ſucceſſit Clemens II.

154 Anno 1048. Clementi II. ſucceſſit Damaſus II.

155 Anno 1049. Damaſo II. ſucceſſit Leo IX.

156 Anno 1055. Leoni IX. ſucceſſit Victor II.

157 Anno 1057. Victori II. ſucceſſit Stephanus X.

158 Anno 1058. Stephano X. ſucceſſit Nicolaus II.

159 Anno 1061. Nicolao II. ſucceſſit Alexander II.

160 Eodem anno 1061. Alexandro II ſucceſſit Gregorius Septimus.

161 Anno 1086. Gregorio VII ſucceſſit Victor III.

162 Anno 1088 Victori III. ſucceſſit Vrbanus II.

163 Anno 1099. Vrbano II ſucceſſit Paſchalis II.

164 Anno 1118. Paſchali II. ſucceſſit Gelaſius II.

165 Anno 1119. Gelaſio II. ſucceſſit Calixtus II.

166 Anno 1124. Calixto II. ſucceſſit Honorius II.

167 Anno 1130. Honorio II. ſucceſſit Innocentius II.

168 Anno 1143. Innocentio II. ſucceſſit Cœleſtinus II.

169 Anno 1144. Cœleſtino II. ſucceſſit Lucius II.

170 Anno 1145. Lucio II. ſucceſſit Eugenius III.

171 Anno 1153. Eugenio III. ſucceſſit Anaſtaſius IV.

172 An-

Digitized by Google

172 Anno 1154. Anastasio IV. successit Adrianus IV.

173 Anno 1159. Adriano IV. successit Alexander III.

174 Anno 1181. Alexandro III. successit Lucius III.

175 Anno 1185. Lucio III successit Vrbanus III.

176 Anno 1187. Vrbano III. successit Gregorius VIII.

177 Anno 1188. Gregorio VIII. successit Clemens III.

178 Anno 1191. Clementi III. successit Cœlestinus III.

179 Anno 1198. Cœlestino III. successit Innocentius III.

180 Anno 1216. Innocentio III. successit Honorius III.

181 Anno 1227. Honorio III. successit Gregorius IX.

182 Anno 1241. Gregorio IX. successit Cœlestinus IV.

183 Anno 1243. Cœlestino IV. successit Innocentius IV.

184 Anno 1244. Innocentio IV. successit Alexandei IV.

185 Anno 1254. Alexandro IV. successit Vrbanus IV.

186 Anno 1268. Vrbano IV. successit Clemens IV.

187 Anno 1271. Clemēti IV. successit Gregorius X.

188 Anno 1276. Gregorio X. successit Innocentius V.

189 Eodem anno Innocentio V. successit Adrianus V.

190 Item eodem anno Adriano V. successit Ioannes XX.

191 Anno 1277. Ioanni XX. successit Nicolaus III.

192 Anno 1281. Nicolao III. successit Martinus II.

193 Anno 1285. Martino II. successit Honorius IV.

194 Anno 1288 Honorio IV. successit Nicolaus IV.

195 Anno 1294. Nicolao IV. successit Cœlestinus V.

196 Eodem anno Cœlestino V. successit Bonifacius VIII.

197 Anno 1303. Bonifacio VIII. successit Benedictus X.

198 Anno 1305. Benedicto

Digitized by Google

dicto X. succesſit Clemens V.

199 Anno 1316. Clemẽti V. succesſit Ioannes XXI. à Ciue meo P. Coriolano, Spõdano, Onuphrio, Genebrardo, & alijs Ioannes XXII. tamen appellatus.

200 Anno 1334. Ioanni XXII. succesſit Benedictus XI.

201 Eodem anno Benedicto XI. succesſit Clemens VI.

202 Anno 1352. Clemẽti VI. succesſit Innocentius VI.

203 Anno 1362. Innocentio VI. succesſit Vrbanus V.

204 Anno 1370. Vrbano V. succesſit Gregorius XI.

205 Anno 1378. Gregorio XI. succesſit Vrbanus VI.

206 Anno 1389. Vrbano VI. succesſit Bonifacius IX.

207 Anno 1404. Bonifacio IX. succesſit Innocentius VIII.

208 Anno 1406. Innocentio VIII. succesſit Gregorius XII.

209 Anno 1409. Gregorio XII. succesſit Alexander V.

210 Anno 1410. Alexandro V. succesſit Ioannes XXII. à Genebrardo tamen, Honuphrio, Gordano, alijſq; quampluribus XXIII. vocatus, fortè, quia inter hos recenſitos Pontifices Ioannem Antepapam à Nobis iure optimo explosum, numerant.

211 Anno 1417. Ioanni XXII. vel XXIII. succesſit Martinus V.

212 Anno 1431. Martino V. succesſit Eugenius IV.

213 Anno 1447. Eugenio IV. succesſit Nicolaus V

214 Anno 1455. Nicolao V. succesſit Calixtus III.

215 Anno 1458. Calixto III. succesſit Pius II.

216 Anno 1464. Pio II. succesſit Paulus II.

217 Anno 1471. Paulo II. succesſit Sixtus IV.

218 Anno 1484. Sixto IV. succesſit Innocentius VIII.

219 Anno 1492. Innocentio VIII. succeſſit Alexander VI.

220 Anno 1503. Alexandro VI. succesſit Pius III.

221 Eodem anno Pio III. succesſit Iulius II.

222 Anno 1513. Iulio II. suc-

Digitized by Google

ſucceſsit Leo X.

223 Anno 1522. Leoni X ſucceſsit Adrianus VI.

224 Anno 1523. Adriano VI. ſucceſſit Clemens VII.

225 Anno 1524. Clemẽti VII. ſucceſsit Paulus III.

226 Anno 1550. Paulo III. ſucceſsit Julius III.

227 Anno 1555. Julio III. ſucceſsit Marcellus JJ.

228 Eodem anno Marcello II. ſucceſsit Paulus IV.

229 Anno 1559. Paulo IV. ſucceſsit Pius JV.

230 Anno 1566. Pio IV. ſucceſsit Pius V.

231 Anno 1571. Pio V. ſucceſsit Gregorius XIII.

232 Anno 1585. Gregorio XIII. ſucceſsit Sixtus V.

233 Anno 1590. Sixto V. ſucceſsit Vrbanus VII.

234 Eodem anno Vrbano VII. ſucceſsit Gregorius XIV.

235 Anno 1591. Gregorio XIV. ſucceſsit Innocentius IX.

236 Eodem anno Innocentio IX. ſucceſsit Clemens VIII.

237 Anno 1605. Clemẽti VIII. ſucceſsit Leo XI.

238 Eodem anno Leoni XI. ſucceſsit Paulus V.

239 Anno 1621. Paulo V. ſucceſsit Gregorius XV.

240 Anno 1623. Gregorio XV. ſucceſsit Vrbanus VIII.

241 Anno 1644. Vrbano VIII. ſucceſsit Innocentius X.

242 Anno 1655. Innocentio X. ſucceſsit Alexander VII.

243 Anno 1667. Alexandro VII. ſucceſsit Clemens IX.

244 Anno 1670. Clemẽti IX. ſucceſsit Clemens X.

245 Anno 1676. Clemẽti X. ſucceſsit Innocentius XI.

246 Anno 1689. Innocentio XI. ſucceſsit Alexander VIII.

247 Anno 1691. Alexandro VIII. ſucceſsit Innocentius XII. qui ad regendam Chriſti Saluatoris Eccleſiam vocatus à Deo tanquam Aaron, in *Petri* Cathedra nunc cœlitus ſedens, vitę ſanctitate, rerum temporalium ſpretu, fidei dilatandę zelo, ac doctrinæ præſtantia, exemplũ totius probitatis Vniuerſo Orbi ſe oſtendens, Chriſti

Digitized by Google

gregem sibi commissum, ad cœlestis beatitudinis pascua, in æternum virentia, alacriter dirigit, sanctèque perducit.

Et iam, quod ex hac Summorum Pontificum Chronotaxi, omnes adamussim docentur, Romani Episcopi Principatum super cunctas Orbis Ecclesias, à Christo Redemptore nostro Apostolo Petro collatum: ab ipso Apostolorum Principe tanquam à fontali capite, vsque in hodiernum legitimum eius successorem Innocentium XJJ. fuisse successiuè, regulariter, & propriè emanatum. Hac doctrina, vti potissima, ad ostendendam Parmeniano vniuersalitatem Ecclesiæ, vsus est Optatus Meleuitanus, ita inquiens, (a) *Videndum est, quæ, & vbi prior Cathedra sederit. Si ignoras, disce, si nosti, erubesce. Ignorantia tibi ascribi non potest. Scientem errare, peccatum est, nam ignorantibus nonnunquam dolet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in Vrbe Roma, Petro primo Cathedram esse collocatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, vndè & Cephas appellatus est. In qua Cathedra, vt Vnitas ab omnibus seruaretur, nec Apostoli, qui singula sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ est prima dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino vero Cletus, & Iulio successit Liberius, Liberio Damasus Damaso Siricius hodie, qui noster est socius, cum quo totus orbis commercio formatarum in vna Communionis societate concordat.* Et ipsa etiam pro nostra confirmatione secuti Bachonium, nos vsi sumus, tanquam omnium aliarum singularissima, siquidem, vti scribit Augustinus. (b) *Quæ veniens de doctrina Apostolorum plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros trãsmittenda est.* Et alibi expressius ad nostrum intentum. (c) *Christiana societas*, inquit, *per Sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum certa per orbem propa-*

(a) *Lib. 3. circa Parm.* (b) *Tract. 37. in Ioan.* (c) *Epist. 42.*

Digitized by Google

pagatione diffunditur. Immo, subiungit noster Vualdensis, *sicut recitata genitorum series in genealogia Christi certificum genuit argumentum de veritate: ita series succedentium in Romana Sede Pontificum, idipsum semper docendum certissimum efficit argumentum cunctis fidelibus de veritate doctrinæ.* tom. 1. lib. 2. art 3. cap. 31. num. 3.

CAPVT VLTIMVM.

Romani Pontificis Principatus monarchicus est, & hic numero Pontifex Innocentius XII. est verus eius Monarcha.

179 MOnarchia secundum Nauclerium, nihil aliud est. (a) *Nisi summum, penes vnum Imperium, sine Superioris, aut æqualis Populi, vel alterius Principis consortio.* Quæ quidē definitio optima est, quia essentiam Monarchiæ omninò explicat; nam per ly *vnum Imperium*: Monarchia differt ab Aristocratia, quę includit æquales consortes. Et per ly *æqualis Populi*: differt à Democratia, quæ populum includit. Sumitur autem talis definitio ex Aristotile 3. *politic. c.* 5. & 12. Ex qua aperte colligitur, Principatum Romani Pontificis proculdubio esse Monarchicum, cum ab ipso solo Papa, sine consortibus teste Bichonio, pendeat tota Ecclesia, omnesque eius partes. (b) *Ratio naturalis dictat*, inquit Resolutissimus Doctor, *quod sit vnus Princeps, à quo singulariter Cœlum pendet, & tota natura, vt ex 12. Metaph. tex. com.* 15. Ergo si Deus Vicarium vicem veri Dei in terris gerentem constituit, rationabile est, vt ita singulariter vicē gerat: quod ab eius auctoritate pendeat tota Ecclesia, & omnes partes Ecclesiæ. Hæc Bachonius. Et propter hanc rationem Summus Pontifex; (c) *Princeps Principum, & Dominus dominantium*, à Baldo vocatur.

180 Patet hæc veritas se-

(a) *Tom. 1. p. p. lib. 1. c. 2.* (b) *In 4. qu. 10. Prol. art. 2.* (c) *Lib. 4. cons. 388. si Princeps.*

Digitized by Google

quenti ratione: Quia, quilibet Principatus, vel est Monarchicus, vel Aristocraticus, vel Democraticus. Sed Principatus Romani Pontificis nō est Aristocraticus, neque Democraticus; ergo est Monarchicus. Maior est certa; minor vero probatur. Quia Principatus Romani Pontificis excludit æquales consortes, cum in tractandis negotijs, ad habendum Cardinalium consensum minimè Papa astringatur, scribit Barbosa. (a) Ergo non est Aristocraticus; neque Democraticus, cum etiam Populum excludat. Ergo omnino est Monarchicus, quia penes solum ipsum Pontificem manet Summum Imperium, nempè, totus mundus; (b) Zabarella testatur.

181 Cum igitur Romanus Pontifex mundum vniuersum sub suo Imperio habeat, certum est, ipsi soli, & non alijs Monarchiam saltem spiritualem inesse. Siquidem ipsam non à quocumque homine, sed à solo Jesu Christo Saluatore nostro, super omnes homines exercendam accepit; sicut Diuus Anacletus his verbis testatur. (c) *Sancta Romana Ecclesia Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Saluatore primatum obtinuit; sicut B. Petro Apostolo dixit: Tibi dabo Claues Regni Cœlorum, & quodcunque ligaueris super Terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcunque solueris super Terram, erit solutum & in Cœlis* Vndè Chrysostomus ait. (d) *Claues Cœlorum Christus Petro tradens, eius arbitrio, & potestati cuncta commisit.* Quæ omnia fortè his verbis Bernardus Eugenio Papæ fudere voluit, quando ei sic scripsit. (e) *De cætero, oportet te esse vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam portantium, malleum Tyrannorum, Regum Patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem Altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis.*

182 Hinc est, quod quā-

do

(a) *De iur. Eccles. lib. 1. c. 2 n. 80* (b) *cons. 136. n. 8.* (c) *Decret. 3. cap. 3.* (d) *Homil. de S. Ignat. ad Pop. Antioc.* (e) *Lib. 4. de consid. ad Eugen.*

Digitized by Google

do Constantinus Imperator inuitus ad iudicandum in causa fidei medium se posuit, de hac re statim veniam petijt; scribit ad Glorium, & Eleusiũ Augustinus (a) *Iudices*, inquit, *Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum iudicio, & Cæciliani innocentia, et Donatistarum improbitas declarata est, non apud alios Collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quod malè iudicarent: dedit ille aliud Acelatense iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia iam necesse erat, sed eorum pertinacitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere, neque enim ausus est Christianus Imperator, sic tumultuosas eorũ fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret; sed alios, vt dixi, Episcopos, eis dedit, à quibus tamen illi ad illum rursum Imperatorem prouocare maluerunt. Qua in re, quemadmodum illos detestetur audistis, atque vtinam, saltem ipsius iudicio in sanctissimis animositatibus suis finem imposuissent, atque vt eis ipse cessit vt de ista causa post eos iudicaret, à tantis Antistitibus, postea veniam petiturus est.* Cui veritati etiam Caluinus sic adstipulatur. (b) *Nisi Imperator Constantinus occurrisset, qui inquisitionem in Episcoporum vitam, rem esse supra suam cognitionem professus.* (c) Et Chrispinus Protestans, Caluini asseclа, fatetur, Constantinum Episcoporum iudicio se submisisse. *Dixit* (refert) *Constantinus, Deus vos Episcopos constituit, & vobis potestatem iudicandi dedit, vndè vestro iudicio nosmetipsos submittimus.* Nec vnquã causam Clericorũ, vel Episcoporũ, ipsemet Imperator agnouit, aut Concilium aliquando citauit, cum Constantini sit vox illa laudatissima apud Sanctum Gregorium Papam. (d) *Vos Dij estis, à summo Deo constituti; æquum non est, vt Homo iudicet Deos.* Et ideo contra Vuiclephum Vualdensis sic concludit, (e) *iam iam securi, teneamus Principatum Romanæ Sedis non ema-*

(a) *Epist.* 1. (b) *Lib.* 4. *Instit. c.* 9. §. 10. (c) *Lib. de stat Eccl. pag.* 99. (d) *Lib.* 4. *Epist.* 75. (e) *Tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 3. *c.* 33.

Digitized by Google

emanasse de Cæsare, aut usurpatum esse post Apostolos, quem penè primus omnium Anacletus scripsit, fluxisse de Christo, & splendida Synodus Nicena demum, & egregius Augustinus semper inibi viguisse concedant.

183 Patet talis veritas sequenti ratione. Quia illi competit Monarchia de iure, qui super omnes est, & tanquam Princeps Principum, & Dominus Dominantium omnibus præest. Sed Romanus Pontifex, vt Christi Vicarius, adeò super omnes est, & omnibus præest, vt Imperatori, & Regibus etiam præferatur. Ergo Pontifici Romano Monarchia de iure inest. Maior est certa; minor verò per singulas eius partes probatur. Nam quod Romanus Pontifex super omnes sit, probat cap. *Cuncta per mundum*, 9. q. 3. Quod vero super omnes, tãquam Princeps Principum, & Dominus Dominantium existat; (a) *Cardinalis Tuscus*, fusius tuetur. Ac tandem quod Imperatori, & Regibus, vti Supremum Ecclesiæ Caput, præferatur, Cap. *venerabilem*, *de Elect.* & cap. *solidæ de maiorit.* apertè docent. Ergo, &c.

184 Item, & hac alia ratione. Quia quando Pontifex Romanus coronatur, & primus Cardinalis Diaconus Tyaram eius Capiti imponit, ita alloquitur Papam. *Accipe Tyaram, tribus coronis ornatam, vt sciat te esse Patrem Principum, Rectorem Orbis, & in terra Vicarium Saluatoris nostri Iesu Christi*: Ergo Romanus Pontifex super omnes est, & Imperatori, & Regibus præfertur, siquidem ipsi, tanquam supremo totius orbis Monarchæ, iuxta (b) *Concilium Tridentinum*, omnes Principes, Prælati, & fideles tenentur obedire. Ergo ipsi de iure competit Monarchia.

185 Fatentur hanc veritatem ipsimet Orbis Imperatores, præsertim Magnus Constantinus in rescripto anno 320. ad Syluestrum Papam misso, ibi Pontificem Romanum Patrem Patrum appellat. *Sanctissimo*, inquit, *ac Beatissimo*

(a) *Ad lit. P. concl. 40. num. 12.* (b) *Sess. 25. de reform. c. 2.*

Digitized by Google

mo Patri Patrum Syluestro, Vrbis Romæ Episcopo, & Papæ, atque omnibus eius successoribus, qui in Sede B. Petri, vsque in finem seculi sessuri sunt, Pontificibus; nec non Deo amabilibus Catholicis Episcopis, &c. Ea, quæ Saluator, & Redemptor noster Dominus Iesus Christus per suos Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, intercedente Patre nostro Syluestro, Summo Pontifice, & Vniuersali Papa, mirabiliter dignatus est operari, liquida narratione studuit propalare nostra Serenitas. Primum quidem nostram fidem, quam à prælibato Beatissimo Patre, & Oratore nostro Syluestro Vniuersali Pontifice edocti sumus, intima cordis confessione proferentes, &c. Honorius verò Augustus Epistola missa anno 410. non modo sollicitudinem erga regimen Ecclesiarum in Romano Pontifice agnoscit, verum & de Populi etiam perturbatione, ita inquit; *Victor Honorius, Inclytus Triũphator, sẽper Augustus, Sancto, & Venerabili Bonifacio Papæ Vrbis æternæ. Scripta Beatitudinis tuæ, debita reuerentiæ gratulatione suscepimus, &c. Apostolatus tuus, &c. Illud autem pietati nostræ satis placitum esse cognoscere, quod Sãctimonia tua de Ecclesiarum, ac Populi perturbatione sollicita est, quæ, vt ne aliqua ratione possit euenire, satis Clementia nostra credit esse prouisũ, &c.* Valentinianus autẽ huius nominis tertius Imperator, de Romani Pontificis principatu, ita ad Theodosium scripsit. (a) *Debemus dignitatem propriæ veneration is B. Petro Apostolo intemeratam, & in nostris temporibus conseruarẽ; quatenus Beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem, de fide, & Sacerdotibus iudicare.*

186 Patet etiam ex doctrina Caluini, qui, vt ipse testatur. (b) *Summum Imperium penes eum esse constat, ad cuius Tribunal prouocatur.* Sed ad Tribunal Romani Pontificis prouocatur: Ergo Summum Imperium penes Romanum Pontificem habetur. Maior

(a) *Tom. 1. Concil. ante Concil. Chalced.* (b) *Lib. 4. Institut. cap. 7. §. 9.*

Digitized by Google

ior est Caluini; minor verò ex Concilio Romano sub Adriano Secundo celebrato habetur, quia ibi dicitur: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus iudicasse legimus.* Ergo ad eius Tribunal provocatur; immò multipliciter provocatur. Primò, *via depositionis*, sicut de Præsulibus *Gelasius* Papa iudicauit, Dioscorum Episcopum à sua Sede deponens, & Petrum Patriarcham Alexandrinum ad se non recipiens. Cæteri verò Pontifices Romani, octo Patriarchas è Sede Constantinopolitana eiecerunt, scribit ad Michaelem Imperatorem *Nicolaus* primus, inter quos fuit Anthimus propria Sede ab Agapito Papa priuatus; quod idem contra Flauianum Patriarcham Antiochenum etiã Damasus fecit, scribit (a) *Teodoretus*; & Sixtus Tertius aduersus Policronium Patriarcham Hierosolymitanum etiã se gessit (b) vt eius Actorum liber testatur.

187 Secundo. *Causa restitutionis*, sicut *Iulius* primus fecit, tum S. Athanasium suæ Sedi Alexandricæ, tum Paulum Cathedræ Constantinopolitanæ, ac Marcellum suo Episcopatui Ancyræ restituens, scribit (c) *Sozomenus*. Itidem *S. Leo* Papa exulem Theodoretum suæ Ecclesiæ restituit, sicut Concilium Chalcedonense ita testatur. (d) *Ingrediatur Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus* Leo.

188 Tertio; *ratione Confirmationis*, sicut *Concilium Chalcedonense*, de Maximo in Patriarcham Antiochenum à S. Leone Papa confirmato, testatur: Ipsemet verò Papa *Leo* ad Episcopos Africæ scribens commemorationem de confirmatione Aatholij in Patriarcham Constantinopolitanum in sua Epistola facit. Et quia Salonitæ Episcopus absque Papæ confirmatione in Episcopatum se intruserat, de tali intrusione ad Constantiam Augustam S. Gregorius Papa sic scribit. (e) *Salonitana Ciui-*

(a) *Lib. 5. hist. cap. 23.* (b) *Tom. 1. Concil.* (c) *Lib. 3. c. 7.* (d) *Actor. 1.* (e) *Lib. 4. Epist. 34.*

Digitized by Google

Ciuitatis Episcopus, me, & responsali meo nesciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. Etenim, omnis Episcopus electus, suæ electionis cõfirmationem semper à Romano Pontifice obtinuit.

189 Quarto. *Potestate dispensationis.* De omnibus fidelibus non modò Romanus Pontifex iudicauit; verum & adhuc iudicat, sicut fecit *Gelasius* Papa, & dispensationis causam in sua Epistola adducit. Item, & *S. Gregorius*, semestrem celebrationem Concilij Episcopo Siciliæ etiam indulsit.

190 Vltimo verò, *auctoritate excommunicationis*. Sicut *Innocentius* primus, ob mortem S. Ioannis Chrisostomi, Arcadium Imperatorem, eiusque coniugem Eudoxiam anathematizauit. Ceù & S. *Ambrosius*, Theodosium Imperatorem: Gregorius verò tertius Leonem Imperatorem Græcorum, ac tandem, tum *Nicolaus* primus Lotarium Regem Franciæ, tum Archiepiscopi Colonienſis, & Treuirensis, Electores sacri Romani Imperij excommunicarunt; Ergo multipliciter ad Tribunal Romani Pontificis prouocatur; & sic Summum Imperium penes eum est.

191 Confirmatur vltimo talis veritas, via immemorabilis Præscriptionis, quæ cum habeatur tanquam priuilegiũ, *l. 3. §. ductus aquæ. ff de aqua quotid.* quidquid priuilegio acquiri potest, præscriptione etiã acquiritur. *cap. super quibusdam, §. præterea de signific. verborum.* Et ideo, si secundum veriorem sententiam, immemorabilis possessio in vim solæ præscriptionis non admittitur, in vim priuilegij procul dubio admitti debet, docet (a) *Barbosa*. Admissa igitur immemorabili possessione tot, & tot seculorum, in quibus Tribunal Romani Pontificis semper de omnibus iudicauit, ori Hæreticorum etiam silentium imponitur, quia immemorabilis præscriptio, nihil aliud est, *Nisi ius quoddam authoritate legum vim habens, pœnam negligentibus inferens, & finem litibus imponens*. Ergo

(a) *De Iure Eccl. lib. 3. c. 32. n. 31.*

Digitized by Google

go Summum Imperium ſpirituale manet tantummodo penes Romanum Pontificem, nempè, penes hodiernum Innocentium XII. numero, verum Chriſti Vicarium, & Petri Apoſtoli ſucceſſorem.

192 Patet hæc veritas ex multiplici ratione; prima eſt, quia id ſupponit Martinus V. in ſua Bulla apud *Concilium Conſtantienſe*, in qua Hæreticis Eccleſiæ ſe reconciliare volentibus, inter alia credenda proponitur, quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ſit verus Papa.

193 Secunda. Quia *Concilium Chalcedonenſe*, ſexta Synodus, *Concilium Mileuitanum*, & alia Concilia, Papã ea tempeſtate regnantem, pro vero Papa habuerunt, & nunc Eccleſiæ proponunt. Ergo de fide eſt, tales Papas veros Chriſti Vicarios fuiſſe.

194 Tertia. Si non eſt de fide, illos numero Pontifices, veros Chriſti Vicarios fuiſſe: neq; de fide erit, quod Cõcilia Generalia ab ipſis congregata, & confirmata, ſint vera Concilia. Sed Eccleſia iuxta D. Gregorij teſtimonium, talia Concilia, tanquam Euangelia veneratur: Ergo de fide eſt, quod illi Papę veri Chriſti Vicarij fuerint. Quarta: Certũ eſt de fide, hanc numero Romanam Eccleſiam, quæ modo eſt ſub Innocentio XII. eſſe veram Eccleſiam. Ergo etiam de fide credere debemus, Innocentium ipſum, ſub quo tanquam ſub capite viſibili, & Chriſti Vicario Eccleſia militat, eſſe verum eius Summum Pontificem; alias, ſi daretur oppoſitum, plurima fidei dogmata nutarent, vel corruerent. Nam, quod aliquis liber ſit Canonicus; v3. Tobiæ, Iudith, &c: ex eo pendet, quod Concilium Tridentinum pro Canonico ipſum approbat, & quod idem Concilium legitimum Concilium fuerit, ex eo pendet, quod Papa illud confirmauit. Si autem de fide non eſt, quod Papa confirmator Concilij, non ſit verus Chriſti Vicarius; nec de fide erit, quod ab ipſo approbatum Concilium, ſit verum Concilium, aut liber approbatus à Concilio, ſit liber canonicus: ſed hoc eſt abſurdum. Ergo dicendum erit, de fide eſſe, quod

Digitized by Google

quod hic numero Innocentius XII. sit verus Christi Vicarius, & Romanus Pontifex.

195 Confirmatur. Quia de fide est, quod ille, qui totum Christi gregem pascere potest, propositiones de fide definire, Sanctos canonizare, Religiones approbare, & similia facere, sit verus, & legitimus Christi Vicarius: sed hęc omnia facere potest hic numero Pontifex, ad præsens regnãs Innocẽtius XII. Ergo de fide est, quod hic numero Innocẽtius XII. sit verus Christi Vicarius, & Romanus Pontifex.

196 Confirmatur vltimo. Quia certũ est de fide, totam Ecclesiam in his saltem, quæ ad fidei dogmata, & mores pertinent, errare non posse; cum sit, teste Apostolo, *Columna, & firmamentum veritatis.* Sed tota Ecclesia tenet tamquam verum, & legimum Petri Apostoli successorem hunc numero Innocentium XII. ipsumque prout talem omnes Christi fideles agnoscunt, & venerantur. Ergo de fide est, quod hic numero Innocentius XII. sit verus Christi Vicarius, & Romanus Pontifex.

QVÆST. VLTIMA

De Suprema Romani Pontificis ligandi, atque soluendi potestate.

PROLOQVIVM.

LIcèt secundum *Ostiensem* (a) non sit facilè disputandum de Romani Pontificis potestate, quia vt *Dacianus*, & *Menochius* in eorum Consilijs inquiunt, sacrilegium potius esset, quàm rescriptio; Nihilominus ad huius primæ Theologicę partis Coronidẽ, de ipsa aliquantulum agere hic audeo; videlicet ea, quæ noster Resolutissimus *Bachonius* (b) de potestate Romani Pontificis tractauit, in hac vltima Quæstione per sequentia Capita breuiter recensere. Propterea sit

(a) *Cap. 4. de Consuetud.* (b) *In 4. Sententiarum.*

Digitized by Google

CAPVT I.

Christus Vicario suo super Imperatores, & Reges supremam potestatem spiritualem concessit.

197 ET quidem super Imperatores, & Reges spiritualem potestatem Christũ Papæ contulisse, sic probat apertè Resolutissimus Doctor: quia inquit (a) *Imperator dist. 63. iurat obedientiã Papæ, & sic de iure illi subest, & per consequens omnes alij terreni Principes illi subsunt à iure c. 7 q. 1. in Apibus. Hinc tenetur illi obedire in omnibus mandatis eius legitimis, & iudiciarijs, si discordia mouetur super temporalitate eorum: quia hoc fuit Christi, nam in psal. 71 de Regno Christi dicitur: Deus iudicium tuũ Regi da, & iustitiam tuam filio Regis: iudicare Populum tuum in iustitia, &c. & sequitur; Adorabunt eum omnes Reges: & Reges Tarsis, & Insula munera offerent, &c. manifestum est enim, quod Propheta hic loquitur de Regno, & potestate Christi temporali, quia Reges illi temporalem adorationem illi fecerunt, Matth. c. 2. Propterea habet Papa iudicare de Regnis, & Regibus, in causa pacis, & belli: Potest enim compellere Principes temporales, vt pacem, et iustitiam sibi seruent ad inuicem. Quia potest Papa exercere potestatem suam super omnes Principes temporales, vt sibi obediant in omnibus licitis, secundum omnes species iuris, Ciuilis, Canonici, Naturalis, et Diuini: nam Petro commisit pascere gregem suum, vocando Oues Gregem, Ioannis 21. Ergo totũ Gregem suum constituit sub obedientia Petri. Hac consequentia patet, quia Ioan. 10. dicit Christus, quod Oues Pastores audiunt, et ipsum sequũtur: sed Petrus est Pastor vniuersalis illimitatus secundum illud: Quodcumque ligaueris super terram, etc. Ergo tenentur eum sequi, et ei obedire illimitatè in omnibus licitis, et honestis; sed pax est bonum, ma-*

(a) *In 4 q. 11 Prol. art. 4.*

Digitized by Google

maximum, licitum, et honestium: Ergo in causa pacis Imperatores, & Reges debent ei obedire.

198 Patet etiam talis veritas sequenti hac alia Bachonij ratione; quia quemadmodum Pater filium sibi subditum respicit: Ita respicit sibi Papa Imperatores, & Reges; sed Pater filium in rebus iustis delinquentem, non modo corripit, sed etiam ad illarum obseruantiam ipsum compellit; Ergo Papa in omnibus rebus licitis, & honestis Imperatores, & Reges compellere potest. Maior est D. Ambrosij ita scribentis. (a) *Quid honorificentius, quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur; quod cum dicitur, sine peccato dicitur? Imperator enim intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est.* Minor vero est nostri Incogniti sic testatis. (b) *Quis enim Pater filium delinquentem nō corrigit? & si non corrigit, ipsum non amare conuincitur. Propter quod dicitur: qui parcit virgæ, odit filium, sicut & Medicus diligens infirmum, amara remedia illi confert. Ergo.*

199 Confirmatur ex Epistola Gelasij Papæ ad Imperatorem Anastasium, Imperatorem ipsum filium subditum sic nuncupantis. *Nosti fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate rerū terrenarum, tamen Præsulibus Diuinarum, deuotus colla submittis.* Et paulo post, *nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* Ergo Imperatores, & Reges iudicio Papæ subduntur, & sic Papa super ipsos magnam potestatē spiritualem habet.

200 Item patet hæc veritas etiam à posteriori, videlicet ex obedientia ab Imperatoribus Papæ, vti Supremo Patri spirituali tributa, in cuius rei argumētum, extat Romæ in Lateranensi Basilica depictus *Lotharius* Imperator, quasi Cliens ad pedes Innocentij II. Papæ procumbēs, Imperialem Coronam ab eo recipiens; cui hoc nobile distichon, sic arridet.

Rex venit ante fores iurans prius Vrbis honores,
Post Homo fit Papæ sumit quo

(a) *Lib. 5. Epist. Orat. cont. Auxent. de Basilicis.* (b) *Psal. 102. n. 1531. to. 2.*

Digitized by Google

quo dante Coronam

Fridericus autem Barbarubea cognominatus, itidem Venetijs est passus Alexandrum Papam III. pedibus caput suũ calcasse. Vnde ad perpetuam rei memoriam, in Aula Regia Vaticani sequẽtes versus fuerunt descripti *Alexander Papa III. Friderici Imperatoris iram, & impetum fugiens, abdidit se Venetijs, cognitũ, & à Senatu perhonorificè susceptũ, Othone Imperatoris filio prælijs à Venetis victo, captoque: Fridericus pace facta supplex adorat, fidem, & obedientiam pollicitus; ita Pontifici sua dignitas Veneta Reipublica beneficio restituta. MCLXXVII.* Michael Palæologus Græcorum Imperator industria S. Petri Thomæ Carmelitæ Patriarchæ Constantinopolitani Ecclesiæ Romanæ se vniens, & fidei professionem in manibus eiusdem Sancti emittens; tactis manibus ad Sancta Dei Euangelia, scribit Mazzerius in eius vita c. 5. *num.* 29 Innocentij IV. pedes in Concilio Lugdunẽsi ãno 1274. per suos Oratores est deosculatus.

201 Carolus verò Imperator IV. anno 1355. actum publicum ad Innocentium Papam V. misit, quo asserebat obligatum esse electionis suæ confirmationem, & Coronam Imperialem, tanquam Subditum ab eo accipere: & eius exordium his verbis erat; *Post pedum oscula Beatitudinis tuæ &c.*

202 Tãdem omissis pluribus, Pijssimus, & Inuictissimus Cæsar semper Augustus Carolus V. præsentibus Regibus Galliæ, Nauarrę, Ducibus Sabaudiæ, Bouilloniæ, Florentiæ, Ferrariæ, Vuitbergẽses, Magno Magistro Equitum S. Ioannis Hierosolymorum, multisque alijs Principibus, pedes Clementis VII. osculatus est, *Stephanus* in tract. de adoration. pedum Summi Põtificis testatur c. 8.

203 Talis autem confirmatio electionis Imperatoris, de iure competit Papæ cum sit textus *in cap. in Synodo dist. 63.* vbi habetur. *Ego quoque Leo Episcopus Seruus Seruorum Dei cum toto Clero, a Romano Populo constituimus, cõfirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctо-*

Digitized by Google

auctoritatem concedimus, &c. Et de iure etiam ei competit iuramẽcum fidelitatis ab Imperatore præstari, cum hoc expressius habetur in *cap. tibi Domine, dist. 63.* & ipso mediante, Imperator Ecclesiæ Feudatarius redditur; (a) eo quod, vt docet Afflictus, iuramentum, est quædam species seruitutis. Et ita philosophandum est de Regibus; Martinus Laudensis testatus: (b) *Omnes Reges*, inquit, *qui vnguntur ab Ecclesia, dicuntur quasi Vassalli Ecclesiæ: cap. intellexim us de iure iurand.* Ergo Papa super Imperatores, & Reges magnam habet potestatem.

CAPVT II.

Papa non solum in causa peccati Imperatores, & Reges iudicare potest, verum illos in peccato obduratos Regnis priuare.

204 SImilem auctoritatem Christũ habuisse, exploratum est: ipsamque deinde Vicario suo tradidisse, non solum habetur pro comperto; verum & Resolutissimus Doctor Bachonius sic docet. (c) *Item, habet Papa iudicare Imperatores, & Reges in causa peccati, patet de iure Diuino. Nam in Psal. 2. qui est de Christo, dicitur*; Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, &c. & nũc Reges intelligite, &c. Seruite Domino in timore, &c. *& ibi dicitur, quod nisi bene seruiant, delictũ eorum puniet. Vnde ibi*: reges eos in virga ferrea, &c. *Patet ergo, quod totus Orbis, & omnes Reges terræ subiecti sunt Christo, & in causa delicti ab eo puniendi. Et idem habetur in alio Psal. 88 de Christo, vbi dicitur*, Ponam illum excelsum præ Regibus Terræ: *et sequitur*, si autem dereliquerint filij eius, &c. visitabo in virga iniquitates eorũ, & in verberibus peccata eorum. *Et ex his arguitur propositum*: *de Christo enim prophetatum est, quod puniret in causa delicti Vniuersum Orbem. Sed hoc non exercuit tempore*

(a) *Decis. 265. n. 40.* (b) *Tract. de Princip. qu. 23.* (c) *In 4. q. 11. Prol. art. 4.*

Digitized by Google

pore suo, nec etiam debuit ex iniuncto Patris: Ergo saltem hoc exercere debuit per Vicarium suum Generalem Romanum Pontificem; & ideo per ipsum debent delicta omnium Hominum puniri. Item hoc patet ex Euangelio Matthæi 18. vbi dicitur: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum, &c. *& ratione delicti potest punire Regem Franciæ, & alios vt pulchrè declaratur de iudicijs cap. nouit.* Hęc Bachonius.

205 Cui doctrinæ fauet decretum Fælicis Papæ apud Gratianum, sequentis tenoris. (a) *Certum est*, inquit Papa ad Imperatores, & Reges, *rebus vestris hoc esse salutare, vt cùm de causis Dei agitur, iuxta ipsius Constitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotibus studeatis subdere, non præferre: & Sacrosancta per eorum Præsules potius discere, quàm docere, neque eius Sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit Clementiæ tuæ piæ deuotionis colla submittere.* Vgo verò sic scribit, (b) *Spiritualis potestas, terrenam potestatem, & instituere habet, vt sit: & iudicare si bona non fuerit. Ipsa verò à Deo instituta est, vt cum deuiat, à solo Deo iudicari potest, sicut scriptum est: spiritualis dijudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur.* Ergo Papa in causa peccati, Imperatores, & Reges iudicare potest: quod etiam Chrisostomus ad Diaconum suum ita testatur. *Si Dux quispiam, si Consul, si is, qui diademate ornatur, indignè adeat, ipsum cohibe, & coerce.* Et

206 Patet sequenti hac ratione. Quia si Sacerdotes veteris legis poterãt in causa peccati Reges iudicare, sicut fecit *Samuel* contra Saulem, eo quod non adimpleuit præceptum Domini. *Daniel* contra Nabucodonosorem propter suam superbiam & contẽptum Religionis, & cęteri alij; à fortiori Papa, Imperatores, & Reges in causa peccati potest iudicare, cũ ipse sit Sacerdos nouę legis, veteri excellẽtioris; & omnes potestates, & dignitates, quas Patriarchæ habuerunt, teste *Bernardo* (c) in se solo cõtineat, & habeat. Et eo magis, cum id quod seruа-

(a) *Dec. 10. c. cũ certũ.* (b) *lib. de Sacr. p. 1. 1. 4.* (c) *lib. 1. de consid. ad Eugen.*

Digitized by Google

uabatur in veteri teſtamento, etiam in nouo obſeruari debeat, teſtatur *cap. per venerabilem §. in rationibus, qui filij ſint legitimi, &c.* Sed propter peccata, Saul, & Nabucodonoſor fuerunt Regno priuati; ergo Papa ratione peccati, poteſt Imperatores, & Reges priuare, quemadmodũ *Nicolaus* primus in Lothariũ Regẽ ob Concubinam Veldradam, & *Fabianus* Papa in Philippum primum Chriſtianorum Imperatorem, eo quod Paſchatis die ſua peccata noluit confiteri, ſe geſſerunt. *Innocentius* vero Papa III. Othonem IV. Imperatorem ab Imperio depoſuit, ac Imperij titulis priuauit; eo quod pluries ab ipſo monitus, vt tum ab iniuria, & perſecutione, qua Federicum II. Regem Siciliæ adhuc impuberem perſequebatur, deſiſteret; Tum quod Regnum Apuliæ perperam ablatum, ipſi Federico reddere renuit. *Paulus III.* Enricum Regem Angliæ propter iniuſtam ejectionem Vxoris ſuæ, & inhoneſtum cum Anna Bolena concubitum, Regno priuauit. Tandem S. Archiepiſcopus *Ambroſius*, Theodoſium Imperatorem ob cædem ſeptem millia hominum Theſſalonicæ factam, ſententia excommunicationis innodauit; de qua Caſſiodorus ita ſcribit: (a) *Teſtis Imperator perpetratæ à te necis, quanta ſit magnitudo, neque poſt cauſam tanti furoris mens tua molem præſumptionis agnoſcat, ſed forte recognitionẽ peccati prohibet poteſtas Imperij. Decet tamen vt videat ratio poteſtatem. Et infra. Recede ergo, Recede, ne ſecundo peccato priorem nequitiam augere contendas; ſuſcipe vinculum, quod Dominus omnium, nunc ligauit; eſt enim medicina maxima ſanitatis. His ſermonibus Imperator obediens, gemens, & deflens, ad Regalia remeauit.... Ac admonitionem animo libenti ſuſcipiens, & optimam eſſe confidens, legem conſcribi repente præcepit, & propriæ manus literis confirmauit. Quo facto, vinculum*

S eius

(a) *Lib. Hiſtor. tripar. c. 30.*

Digitized by Google

ius absoluit Ambrosius ; quæ ex hactenus obseruatur. Vnde Vgo de S. Victore ait : *Spiritualis potestas, iudicat terrenã.* De cætero Hilarium contra Constantinum Augustum cõsulat Lector, & inueniet, quod quanta in Principes vlus est seueritate, tanta auctoritate videtur surgere super Regem, vt clare ipsum doceat, se Magistrum Regis omninò esse, sicut Isaias Propheta vaticinauit (a) *Erunt Reges nutritij tui, & Principes fœminæ nutrices tuæ, super faciem terræ adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Super quem locum, Hieronymus sic ait (b) *Omnis ætas, sexus, dignitasque adorabunt Syon propter eum qui habitat in ea. Si enim Christus Caput est Ecclesiæ, Caput adoratur in corpore, videlicet, in Ecclesia, quæ totum Christi Corpus amplectitur, vt impleatur illud quod dictum est in Sophonia;* (c) *Adorabunt eum singuli de loco suo, omnes Insulæ Gentium.*

CAPVT III.

Romanus Pontifex ratione inutilitatis, vel iniquitatis, potest deponere Imperatores, & Reges, nec non alteri eorum Regna deferre.

107 Doctrina Resolutissimi Doctoris Ioannis Bachonij circa hanc veritatem, primò est, videlicet : si Imperator in defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sit inutilis, nimirum, si negligentiæ nomine suspectum intellexerint Populi, poterit Papa ipsum omnino ab Imperij dignitate deponere, En propria ipsius Bachonij verba. (d) *Habet Papa Imperatorẽ deponere, & Imperiũ alteri dare, si non defendat Ecclesiam. Et de facto constat de Electionibus, cap. Venerabilem, & in Glossa.*

208 Et quod ita etiam de Regibus philosophandum sit, statim subiungit. *Item ba-*

(a) *Cap.* 49. (b) *To.* 9. *lib.* 4. *comm.* (c) *Cap.* 2. (d) *In* 4. *q.* 11. *Prol. ar.* 4.

Digitized by Google

habet Regem deponere, vt alteri Regnum tribuatur, ratione inutilitatis suæ Personæ. Auctoritate enī Papæ, electus fuit Rex Franciæ de Regno suo, & alius institutus, vt patet 25 q. 6 c. alius vbi sic dicitur. Alius Romanus Pontifex Zacchārias Regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, à Regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris Patrem, in eius loco substituit; omnes Francigenas gentes à iuramento fidelitatis absoluit; quod etiam frequenti auctoritate agit Sancta Ecclesia, cum milites absoluit à vinculo iuramenti. Vgo ibi dicit sic. Legitur in Historijs Francorum, quod ille erat Rex otio torpens, & dissolutè viuebat: quod videntes quidam Principes militiæ eius, scilicet Carolus Pater Pipini, Papæ totum significauit: & tunc dedit ei, & alijs licentiam, vt illum eijcerent, & alium eligerent. Quo electo, alium, scilicet Pipinum filium Caroli, qui postea fuit Pater Magni Caroli, Regem fecerunt.

(a) *Lib. 1. de consid. ad Eugen.*

209 Huic doctrinę Bichonicæ tacet Baldus, *in lege non ambigitur, num. 5. ff. de legibus*, hanc quæstionem: vtrum quando Imperator est inutilis, vel mentecaptus, aut ebriosus, possit Populus Regno illum priuare, vel coadiutorem ei adiungere, soluens negatiuè: *Quia hoc munus*, inquit, *spectat ad Papam*: eo quod in ipso Papa, vertex, & cerebrum totius Populi residet, sicut etiam tuetur Baldus. Et ratio est, quia iurisdictio data fuit Moysi, & eius successoribus, non autem Populo, & vt in præcedenti diximus, cum reste (a) *Bernardo* Romanus Pontifex non tantum Moysi, sed etiam omnium Patriarcharum dignitates, & potestates habeat, proculdubio ad ipsum Papam depositio Imperatoris, vel Regis inutilis spectat. Ergo eos deponere potest.

210 Immo Innocentius Papa IV. ita contra Sancium Regem Portugalliæ se gessit. Etenim, negligentem ipsum, atque circa Regnum, & sub-

Digitized by Google

ditos nimis remissum agnoscens Bolouum Comitem, & coadiutorem assignauit: mandans Baronibus, atque Comitibus Regni, vt ipsum honorificè reciperent, & in omnibus ei obtemperarent, vt loquitur textus *in c. Grandi de supplem. negligentiæ Prælati, lib. 6.* Et relatus à Bachonio Zaccharias Papa, postquam *Childericum* Regem Francorum, tanquam stupidum Regno priuasset, Desiderium, vltimum Longobardorum Regem, promissa facta Ecclesiæ minimè adimplentem, à Regno etiam tanquam negligentem deposuit, & eiecit, vt *cap. Adrianus, distinctione 63.* apertè constat, & in vita Zachariæ etiam descriptum reperitur. Ac tandem Stephanus Papa II. cum auxilium, & patrocinium contra Astulphum, Dei Ecclesiam nimis vexantem, à Constantino, eiusque filio Leone, Constantinopolitanis Imperatoribus petijsset, nec obtinuisset; non modo illos Imperio priuauit; verum & Imperium ipsum, in Germanos, siue *Theutonicos* transtulit; & rationabili causa, omnino temporali, fortè inutilitatis, à Germanis iterum in Græcos Imperium ipsum Papa transferre potest, vt ex Epistola *Adriani* Papæ ad Archiepiscopos Treuirensem, Moguntinensem, & Colonienſem, teste Ioanne Auentino, manifestè patet, quæ est tenoris sequentis. (a) *Romanum Imperium à Græcis translatum est ad Alemannos, vt Rex Theutonicorum, non antequam ab Apostolico coronaretur, Imperator vocaretur, ante consecrationem Rex, post Imperator. Vndè igitur habet Imperium, nisi à nobis? ex electione Principum suorum habet nomen Regis, ex consecratione autem nostra, habet nomen Imperatoris, Augusti, & Cæsaris; Ergo per nos imperat. Quod habet Imperator, totum à nobis habet, sicut Zacharias transtulit Imperium à Græcis ad Theutonicos, ita & nos possumus ab Alemannis transferre ad Græcos. Ecce in potestate*

(a) *Lib. 6. pag. 636.*

Digitized by Google

ſtate noſtra eſt, vt demus illud, cui volumus, propterea conſtituti à Deo ſuper gentes, & regna, vt deſtruamus, euellamus, ædificemus, & plantemus. Quod verum eſt, nam (a) S. Thomas, lib. 3. de regimine Principum, & S. Antoninus Archiepiſcopus Florentiæ, *in 3. part. ſũma*, (b) aſſerũnt, quod tantum Imperium durabit Germanis, quantum Eccleſia Romana expediens iudicauerit. Quibus etiam adhæret *Vgo* de Sancto Victore in 3. part. operum lib. 2. de Sacram. p. 2. c. 4.

211 Circa verò cauſam iniquitatis, ſic proſequitur Reſolutiſſimus Doctor, (c) *Si Imperator, vel Rex Franciæ, vel alius contumax fuerit Papæ, poteſt eum excommunicare, & Vaſſallos eius à fidelitate, qua illis obligantur, abſoluere, vt patet in cap. Alius, 15. q. 6. diſt. 96. c. vbi duo sũt, vbi Papa Innocentius excommunicauit Arcbadium Imperatorem. Hæc omnia moderno tẽpore exercuit Dom. Ioannes XXII. cõtra Ludouicum Ducem Bauariæ; quia contumaciter per electionem in diſcordia factam vſurpauit ſibi Imperium, vt patet in Actibus, circa iſtum proceſſum, additum extra de pœnitentijs, cap. vltimo, & diſt. 73. vbi agitur qualiter Imperator iurat Papæ de fidelitate, & quod ea, quæ ad eum pertinent, tuebitur per ſe, et per ſuos Vicarios.*

212 Ratio eſt, quia cum ſint Imperatores, & Reges, Chriſti oues; (*Scio te ouem eſſe Gregis mei*, ad Imperatorem Theodoſium, Nanzianzenus ait, *à Chriſto mihi Summo Paſtori annumeratam, à Spiritu Sancto conſignatam: ſcio te intra ſacra altaria cum veneratione ſubijci manibus Sacerdotis: Scio te Beatæ Trinitatis cultum, fidem quidẽ tua ſed noſtra prædicatione ſeruare.*) Eorum Paſtorem ſequi, & minimè eum perperam exacerbare, omnino tenentur, *l. 2. ff. de iuſtitia, et iure*. Alias contrarium faciendo, poſſunt oues à Paſtore, nempe Imperatores, & Reges à Papa puniri: teſtatur ex-

(a) *Cap. 18. & 19.* (b) *Cap. 14. n. 17. tit. 26.* (c) *Sup. q. 11. art. 4.*

Digitized by Google

expresse Baldus; *in lege non ambigitur, num. 6. ff. in proemio eorum, n.* 18. ita inquiens. *Canones ponunt Papam super verticem Imperatoris, quia habet potestatem confirmandi, et infirmandi electionem Imperatoris, et priuandi eum ex notoria, et iusta causa. Superior enim esse dignoscitur, qui instituendi, vel destituendi ius habet. §. interim in auth. de defensor. ciuit.* Et eo maximè cum.

213 Hanc porrò Superioritatem ipse Romanus Pōtifex contra Imperatores, & Reges perperam agentes, ad effectum demandauerit. Et primo, *Gregorius* VII. Henricum III. Imperatorem Episcopatus, & alia Ecclesiastica officia, præuia simonia, cæteris nequissime committentem; prius monitum, & deinde minimè resipiscentem, Imperio priuauit. *Honorius* vero Papa III. Federicum II. Regem Siciliæ, ab eius obedientia nequissimè resilientem, & contra Pontificem ipsum turpiter agentem, Regno priuauit, & Barones à fidelitate ei obseruanda omninò absoluit: quam sententiam *Gregorius* IX, qui immediate Honorio III. successit, cōfirmauit; & Innocentius IV. in locum defuncti Gregorij subrogatus; in Cōcilio Lugdunensi, antedictum Federicum Secundum rebellem Ecclesiæ declarauit, vt in *cap. ad Apostolicæ, de re iudicata, lib. 6.* manifestè habetur. *Pius* autem II. Sigismundum Malatestam, Sedi Apostolicæ inobedientem, non modo omni ferè dominio priuauit; verum, & Borsum Ferrariæ Ducem ei fauentem, acerrimè increpauit. Item *Innocentius* VII. Ladislaum Regem, Romam, & Pontificem ipsum nequissimè vexantem, prælio ab ea fugauit: sed ipsū in perfidia, & iniquitate adhuc perseuerantem, *Alexander* V. tandem regno depositum. Sicut etiā *B. Pius* V. Regem Anglię, & Reginam Elisabeth, eo quod in hæresim inciderant, & impiè titulum Capitis Anglicanę Ecclesię sibi vsurpauerant, exauctorauit. Sanè, quia, vt testatur

Pau-

Digitized by Google

Paulus de Castro in lege *non ambigitur*, num. 6. *Imperium Romanum fuit à Paulo Romano translatum in Ecclesiam, & non remansit, nisi nomen, & dicitur Imperium Christi, vel Ecclesiæ, & solus Papa potest ipsum priuare, sicut, & confirmare, & coronare.* Ex quibus omnibus infertur, quod ratione inutilitatis, vel iniquitatis, potest Romanus Pontifex Imperatores, & Reges eorum Regnis priuare, ipsaque alteri donare.

CAPVT IV.

Romanus Pontifex auctoritatem coactiuam habet, & quemlibet fidelem vbique existentem, & à vera fide aberrantem, potest Romæ de iure citare.

214 QVod autem Romanus Pontifex, legitimus Petri Apostoli successor auctoritatem coactiuam primò habeat, docet sic solidè Resolutissimus Doctor, vt contrariũ asserere, sit hæresis manifestè. (a) *Qui dixerit*, inquit, *quod Papa non habeat potestatem coactiuam corporaliter: aut etiam quod non possit punire, est hæresis condemnata per Ioannem Papam XXII. in constitutione, licet secundum doctrinam Apostoli, &c. quæ edita fuit contra Hæreticos Marsilium de Padua, & Ioannem de Gandauo.* Hæc Resolutissimus Doctor Bachonius, cuius doctrinam, eius municeps, & in Religione Comes.

215 Thomas Vualdensis, sic cõtra Vuitclephum dilucidè probat. (b) *Qui concedunt Petro, eiusque successoribus in Ecclesia potentiam, solutionem, & potentiam in gratijs indulgendis, sed negant ipsi districtiuam in abduratorum retinendis criminibus: ij dimidiant potentiam S. Petri, & Christi Capitis inuident largitori.* Sed est hæresis, potentiam Petri Apostoli dimidiare; Ergo Petrus habet totalem potestatẽ, cum qua stat auctoritas coactiua, à Christo Domino, vti scribit Augu-

(a) *In 4. q. 11. Prol. art. 4.* (b) *tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 34. num. 3.*

Digitized by Google

Augustinus, ei collata. (a) *Ipse Dominus*, ait Augustinus *dixit Discipulis suis, si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum. Quod si te non audierit, adhibe testes; quod si hos non audierit, dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. Deinde ipsius seueritatis terrorem grauissimum adiecit, etiam eo loco dicens: quæ solueritis in terra, erunt soluta in Cœlo, & quæ ligaueritis in terra, erunt ligata, & in Cœlo. Prohibet etiam Sanctum dare canibus. Ecce*, inquit Doctissimus Vualdensis, *ecce disciplinæ Ecclesiasticæ, potestatem commissam Pastoribus, non quidem constituendi tantummodo Sacerdotes, sed ipsius seueritatis terrorem grauissimum adiecit, dicens; Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo. Sed quibus dixit ista Christus? nũquid Imperatoribus, aut Regibus, quia ipsorum Commilitones fingunt istam esse potestatem regiam? soli Petro porrectum est verbum potestatis: & in Petro omnibus, non tantum præsentibus, sed etiam futuris.* Propterea ad Eugenium Papam, ita scripsit Bernardus. *Aliorum potestas, certis arctatur liminibus, tua verò extenditur, & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonnè si causa extiterit tu Episcopo Cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, & etiam tradere Sathanæ, potes? Stat igitur inconcussum priuilegium tuum, tibi, tam in datis clauibus, quam in cuibus commendatis.* Ecce subiungit iterum Vualdensis. *Ecce successorem Petri Eugenĩu, Bernardus, quasi Petrũ alloquitur, & generali potestate, quam etiam in Episcopos suæ potestatis particeps accepit, ex clauium cõmissione salutat, vt sic pateat, Papam quemlibet, ex commissione generali clauium, etiam coactiuæ, & terrificæ potestatis, cæteris Antistitibus anteferri.*

216 Hoc argumento talis veritas patet. Imperator ratione sui vniuersalissimi incircumscripti in toto orbe domi-

nij

(a) *Lib. de fide, & operib. circ. princ. c. 3.*

Digitized by Google

nij, habet potestatem coactiuam. Sed exercitium talis dominij vniuersalissimi, & incircumscripti in toto orbe terrarum, Imperator à Papa recipit; Ergo Papa habet etiam in se potestatem coactiuam, quia eam minimè tribuere posset, si secum non haberet. Fauet huic argumento Pater (a) *Franciscus à Victoria*, asserens: quod Papa in ordine ad supernaturalia, habet amplissimam potestatem, super omnem temporalem iurisdictionem, quatenus potest, *quando, et quantum necesse est*. Vndè potest, non solum omnia, quæ possunt Principes seculares; verum & nouos Principes facere, alios tollere, Imperia diuidere, & plura alia facere. Huiusmodi farinæ est etiam (b) *Cardinalis Caietanus*. Ergo Papa, non solum habet potestatem coactiuam;

217 Verum & quemlibet fidelem vbique existentem, potest etiam Romæ citare: quia si potest Papa secundum Resolutissimum Bachonium, (c) *quemlibet delinquentem punire*, multo magis potest eum Romæ citare. Huic veritati, Bartholus in Extrauagante, vers. per edictum, sic adstipulatur. *Potest Papa citare quemlibet vbique existentē, quia est Vicarius eius, cuius est terra, & plenitudo orbis eius, quod non potest facere Imperator*; & tuetur fusius Vualdensis contra Vuiclephum. (d) Ergo Papa fideles vbique terrarum existentes potest Romæ citare.

218 Patet hæc veritas apertè, primò ex Sacra Scriptura, vbi habetur, quod Paulus Apostolus Romæ degens, sic Timotheum in Græcia existentem, ad se venire citauit, (e) *Festina venire ad me cito; Demas enim me dereliquit, & abijt Thessalonicam*. Deinde Marcum etiam venire sibi, ita monuit. *Marcum assume, et adduc tecum, et libros, maximè autem membranas, et abbreuians tempus..... Festina ante hyemem venire*. Ita & Titum quoque Episcopum Cre-

T tæ

(a) *Lib. de potest. Eccl. cap. 5. vers. 8. prop.* (b) *Tract. de potes. Pap. & Concil. c. 13.* (c) *Ibid sup.* (d) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 52. n. 1.* (e) *Epist. 2. cap. 4.*

Digitized by Google

tæ ad se venire Nicopolim, pariter sic citauit. (a) *Cum misero ad te Arthemam, aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim, ibi enim statui hyemare.* Ergo Romanus Pontifex legitimus Petri successor, multo magis potest Catholicos vbique existentes, Romæ citare.

219 Secundo: patet ex decreto S. Sixti Papæ, anno 130. Cathedram Petri moderãtis, ita ad intentum nostrum loquẽtis c. 2. *Si necesse Episcopo venire, eumque appellare minimè fuerit; non renuat venire, sed confestim, vt ei nunciatum fuerit, venire festinet, et causas, pro quibus vocatus est, prudenter disponat, atque, si necesse aliquid corrigere fuerit, cum his, quos primos hic inuenerit, corrigat. Ad Ecclesiam autem suam, non prius reuertatur, quam hinc litteris Apostolicis scriptis, vel formatis, plenior instructus, atque purgatus fuerit, si fuerit vnde ut postmodum domum reuersus fuerit, cognoscant vicini sui, qualiter hic suam, aliorumque causam finierit, quatenus eam absq; aliqua ambiguitate nunciare, & prædicare omnibus possit.*

220 Tertio denique, ex auctoritate Sancti Gregorij patet; Maximum, arreptorem Ecclesiæ Salonitæ, ita ad se citantis, sequenti mãdato. (b) *Cum scriptis nostris, quæsitis quibusdam excusationibus differre obedientiam exhibere, dum pro veritatis patefactione toties à nobis admonitus, venire postponis; ijs, quæ aduersum te dicta sunt, fidem magis ex hoc accommodas, & vel si qua alia deesse videbantur, quæ grauent, aut noceant, id agis, vt sola dilatio facit, & accuset te esse culpabilem. Humiliare tandem, & obedientiæ te submitte, atque ad nos sine excusatione aliqua venire festina, vt requisita veritate, secundum Dei timorem, quidquid æquum, canonicumque fuerit, decernatur. . . . . Pro qua re, obedientiam quam decet exhibens, ad nos summopere, sicut diximus, venire festina: ita triginta dierum spatium habeas, quatenus iter tuũ præpares, et omni excusa-*

(a) *Epist. ad Titum cap. 3. in fin.* (b) *Tom. 5. lib. 5. regist. epist. 25.*

Digitized by Google

satione postposita, huc adesse nō differas. Ergo Romanus Pontifex non solum potest ex fidelibus aliquem vbique existentem, Romæ citare; sed etiā nulla dilatione friuola, aut excusatione postposita, tempus itineris sui, illi stabilire.

221 Et hæc succinctè *Bachonius* in 4. sententiarum, de auctoritate Papæ temporali, vocata à *D. Bernardo* gladius materialis, quem Romanus Pontifex ad nutum habet, vt ipso Ecclesiam Dei delinquētes cædat: Nam si ad nutum non haberet, nec milites suos ad percutiendum in gladio pro causa Christi, posset hortari. (a) *Qui tuum gladium negat*, inquit Bernardus, *non satis mihi attendere videtur verbum Domini dicentis ad Petrum, conuerte gladium tuū in vaginam*. Gladium ergo Petri, Papa procul dubio habet ad nutum; D. Augustinus testatur. (b) *Dominus*, inquit, *iusserat, vt ferrum Discipuli eius ferrent*: & quando ipso pro Dei Ecclesia, pro Dei honore Episcopi minimè vtuntur, maximè eis negligentiæ tribuitur. *Vobis imputant*, ait ad Riccardum Sacerdotem Petrus Blesensij: *quod gladiū Petri rubigo consumit*. Adest ergo penes Romanum Pontificem non vnus, sed duplex gladius Petri, materialis videlicet, & spiritualis, quos si quando contra Hæreticos, Schismaticos, aliosque pro Dei honore, ad puniendum eorum peccata Romanus Pōtifex, vel aliquis Episcopus stringit: *iuxta* § *final.* 23. *qu.* 5. Deo seruire, omnino dicitur. Et hæc breuitèr de gladio Petri materiali, secundum Bernardum; de spirituali autem, etiam sequendo Bachonium, aliqua dicturi sumus.

CAP. VI.

Hæreticas falsitates confutare, & veritates catholicas definire ad solum Romanum Pontificem spectat.

222 Sicut rebus ciuilibus, & politicis, quando propter temporalia

(a) *Lib.* 4. *ad Eugen.* (b) *Tom.* 6. *lib.* 22. *contra Faustum Manichæ. cap.* 70.

Digitized by Google

lia bona iurgia oriuntur, ad hæc componēda sola lex non sufficit, sed etiam lex animata, nempè Iudex requiritur, qui auditis partibus, & consideratis de iure considerandis, per diffinitiuam sententiam Reum compescat. Ita pariter in causis Religionis, & fidei obseruandum est; videlicet, vt præter Sacram Scripturam, quæ lex est, & præter verbum traditum, quod est antiqua consuetudo, sit etiam aliquis Iudex, qui auditis partibus, & visis videndis, per vltimam sententiam, perpetuum silentium causæ imponat: & hunc Iudicem esse Romanum Pontificem, sic probat apertè Resolutissimus Doctor Bacchonius: (a) Quia, *omnem legem, tam vniuersalem, quam particularem licitam, quam cum Cardinalibus Papa condere potest, potest etiam per se.. Quia Romanus Pontifex, non puri Hominis, sed Dei veri vicem gerit in terris, vt de tutela Episcoporum cap. quanto, patet, &c.* Ergo solus Romanus Pontifex potest determinare veritates catholicas, & confutare falsitates hæreticas: siquidem subiungit Bachonius. (b) *Nihil erit ligatum in terris, vel solutum, nisi quod Beatus Petrus ligauerit.*

223 Probatur hæc veritas primo ex Sacra Scriptura, nempe, Lucæ 22. vbi Christus dixit soli Petro, & successoribus suis, vt Sanctus Leo testatur. (c) *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*: videlicet, inquit Sylueira (d) *doctrina, & admonitione.* Ergo solus Pontifex Romanus, tanquam legitimus successor Petri, potest veritates catholicas determinare. Etenim, subiungit Resolutus Doctor Bacchonius. (e) *Si aliquis diceret, Christum non fuisse consubstantialem Patri, aut Matri, vel quæcunque similia; Summus Pontifex debet statim se ei opponere.* Ergo ad Romanum Pontificem pertinet, determinare veritates catholicas.

224 Agno-

(a) *In 4. qu. 10. Prol. art. 2.* (b) *In 4. distinct. 17. qu. 1. de claub. art. 1. in fine.* (c) *Serm. 3. de Assumpt.* (d) *Tom. 5. Euang. lib. 1. c. 10. qu. 6.* (e) *Lib. 3. quodlib. qu. 17. art. 4. §. 3.*

Digitized by Google

224 Agnouit hanc veritatem S.Flauianus, & ideo ad confutandum Hæreticũ Heuthychetem, & manifestandam veritatem catholicam, non Concilium aliquod, sed solam Romani Pontificis sentẽtiam, astruit esse necessariã, hinc sequẽtis tenoris epistolã S.Leoni Papæ scripsit. *Causa .n. eget solũmodo vestro solatio, atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem, & pacem cũcta perducere: Si enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facilè resecantur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras: reuocabitur autem, & Concilium, quod fieri diuulgatur, quatenus nequaquam vbique Sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.*

225 Probatur secundo, testimonio Augustini, qui librum illum de rebus catholicis, contra duas Epistolas Pelagianorum, nuncupatum, ob sui confirmationem Bonifacio Romano Pontifici misit; & ideo in fine primi capit. sic alloquitur Papam. (a) *Hæc ergo, quæ istis, vt dixi, duabus Epistolis, eorũ ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum dirigere Sanctitatem, non tam discenda, quam examinãda, & vbi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui.*

226 Confirmatur ex S. Hieronymo, ad Damasum Papam, tanquam ad Iudicem veritatis Catholicæ, ita scribente (b) *Hæc est fides Beatissime Pater, quam in catholica Ecclesia didicimus, quam semper tenuimus: in qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est: emẽdari cupimus à te, qui Beati Petri sedem tenes, & fidem; & si confessio fidei, quam habeo, Apostolatus tui iudicio comprobetur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum, aut maleuolum, vel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit.* Et hæc est ratio, subiungit in sententia Hieronymi noster resplutissimus Doctor Bachonius, (c) *quare oportet declarationi Romani Pontificis stare; nam vt allegatur cap. Rogamus 24.q.1. Beato Petro tãquam Capiti dictum est Matthæi 16. Tu es Petrus, & super hanc*

(a) *Tom.7.* (b) *Tom.4. in fine epist.* (c) *In 4 dist.8.q.2.ar.2.*

Digitized by Google

hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et illi soli dicitur Luc. 5. Duc in altum rete, idest in profundum disputationis fidei, ibidem cap. Non turbatur. Ad fundamentum igitur, & caput Ecclesiæ, cuius est profunda fidei disputare, debent mẽbra in obscuris fidei concurrere; sic igitur ad eum pertinet declaratio fidei Ecclesiæ, & ideo in Symbolo Apostolico dicitur. Credo in Sanctam Ecclesiam Catholicam. Et in Symbolo Niceno exprimitur. Credo in vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Oportet ergo declarationem fidei tenere, quam Romanus Pontifex tenendam declarat. Hactenus Bachonius.

227 Probatur tertio, ex decisione S. Anacleti Papæ, ita ordinantis. (a) *Si difficiliores ortæ fuerint quæstiones, etc. ad Sedem Apostolicam deferãtur: quoniam Apostoli hoc statuerunt iussione Saluatoris; vt maiores, et difficiliores quæstiones semper ad Sedem Apostolicam deferantur super quam Christus vniuersam construxit Ecclesiam.* Ergo determinatio veritatis Catholicæ spectat omni iure ad Romanum Pontificem. Sed quid moror in huius rei firmitate, citando sigillatim Doctores, quando ad nostrum intentum, centuriatim in Concilijs Generalibus loquuntur, & primo.

228 Concilij Sardicẽsis Patres, vt ex eius actis Athanasius refert, pro decretorum suorum confirmatione, ita ad Iulium Romanum Põtificem scribunt. (b) *Nè aut Lupi Schismatici furtum faciant, et rapiant per insidias; aut Canes Hæretici rabido furore excciti, insani oblatrent, aut certè Serpens Diabolus blasphemiarum venenum effundat. Hoc optimum, valdè congruentissimum esse videtur, si ad Caput, idest ad Petri sedem, de singulis quibusque Prouincijs Domini referant Sacerdotes.*

229 Concilij verò Nicenj Episcopi, lecta Epistola Romani Pontificis Adriani primi, controuersiam de adoratione Sacrarum Imaginum, contra Iconomacos definientis: auscultatisque etiam eius Legatis Tharasio Synodi Præsidi,

(a) *Epist. 1.* (b) *Lib. de Synod. ex Actis Concil. Sardic.*

Digitized by Google

sidi, ita dicentibus. (a) *Dicat nunc Tharasius Patriarcha Regiæ Vrbis, consentiat ne litteris Sanctissimi Papæ, an minus. Dicat nunc Sancta Synodus, num recipiat Sanctissimi Papæ veteris Romæ litteras, an minus?* Respondit Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, & Præses: *Vim litterarum lectarum confirmamus, & Imaginum picturas secundum priscam Patrum traditionem recipimus.* Deinde ipsi ita dixerunt. *Sequimur, recipimus, probamus.*

230 Concilij autē Chalcedonensis Antistites, & Patres, pro comprobatione, & decisione Actuum Synodaliū, Leonem Romanum Pontificem, tanquam veritatis Catholicæ moderatorem, sic efflagitarunt. *Iudicauimus verò, quia & alia quædam pro rerū ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorū definitionem, firmitatem; scientes, quia, & vestra Sanctitas addiscens, & confirmatura est eadem, &c. Rogamus igitur, & tuis Decretis nostrum honora iudicium, & sic nos Capiti adiecimus consonantiam, sic & summitas tua, quod decet adimpleat.*

231 Concilij Ephesini Episcopi, licet maturè errores Nestorij agnouerint, eum tamen nunquam damnare voluerunt, nisi prius Romanus Pontifex, veritatis Catholicæ verus Iudex, eorum sententiam confirmaret, sicut ex Epistola Cyrilli nostri Alexandrini, Synodi Præsidentis, ad Cælestinum Papam missa, sic apertè in calce legi potest. (b) *Quamuis res ita habeatur, non prius tamen communionem illius confidenter deserere ausi sumus, quam hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias declarare, quo liquido nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui huiusmodi doctrinam fouet, & prædicat.*

232 Cōcilij tandem Constantinopolitani III. nēpè sextæ synodus Generalis, Prælati, & Patres omnes, loquentes de Romano Pontifice Agathone, eum verum Iudi-

(a) *Ex Act. 2. Synod. Nicenæ* (b) *Ex Act. Synod. cap. 17.*

Digitized by Google

dicem controuersiarum fidei esse, clarè confitentur. (a) *Illius enim, inquiunt, Petri imitatorem, & successorem habuimus fautorem, & diuini Sacramenti mysterium illustrantem per litteras, confessionem tibi à Deo inscriptam illa Romana antiqua Ciuitas obtulit; & dogmatum diem à vespertinis partibus extulit: charta, & atramentum videbatur, et per Agathonem Petrus loquebatur.* Ergo solius Romani Pontificis est determinare veritates catholicas.

233 Ac etiam, vt satis vidimus, confutare falsitates hæreticas; & contrarium asserere, videlicet, quod Papa nō possit punire delinquentes, *est hæresis*; testatur Resolutissimus Bachonius; (b) *Condemnata per Ioannem XXII. in Constitutione: licet secundum doctrinam Apostoli, &c. qui tali potestate contra Marsilium de Padua, & Ioannem de Gandauo vsus est.* Fauet huic veritati Vualdensis contra Vuitclephū ita scribēs. (c) *Infirmare hæreticorum perfidiam, magnam confert fidei firmitatem, maximè in successore Petri, cuius est percutere in gladio.*

234 Confirmatur tandē expressius ex Augustino, nulla alia ratione Parmenionis os detrudente, quam quod Romani Pontifices Zosimus, & Bonifacius, Cælestinum, & Pelagium, vtpotè Hæreticos condemnarunt, sic inquiens: (d) *Cū primitus Beatissimi Papæ Innocentij literæ Episcoporum Aphrorum literis respondentes, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnauerint. Successor eius quoque S. Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de paruulis sentiunt, nusquam dixerit, nusquam scripserit: Insuper et Cælestinum se purgare molientem, ad consentiendum supradictis Sedis Apostolicæ literis crebra interlocutione constrinxit, profectò quidquid interea leuius actum est, cum Cælestino seruata dūtaxat antiquissimæ, et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio ēxitiosissima prauitatis. Et quod ab eodem Sacerdote postea Cœlestinus, et Pelagius*

(a) *Act.* 18. (b) *qu.* 11. *Prol. art.* 4. (c) *Tom.* 1. *lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 47, *n.* 2. (d) *to.* 7. *lib.* 2. *c.* 3.

Digitized by Google

gius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissa iam necessario præferenda ratio seueritatis fuit, non præuaricatio prius cognita, vel noua cognitio veritatis. Ergo Romano Pontifici non modò licet confirmare veritates catholicas, sed etiam confutare falsitates hæreticas.

CAPVT VII.

Romanus Pontifex in determinandis rebus fidei, & promulgãdis decretis morum pro tota Ecclesia, habet veritatem infallibilem.

235 ET quidem in determinandis rebus fidei infallibilem veritatem Romanum Pontificem habere, probat Resolutissimus Doctor (a) hac patenti ratione; *Quia*, inquit, *Romanus Pontifex in his decernendis, non vt puri hominis, sed veri Dei Vicarius, & Pastor Vniuersalis Ecclesiæ se gerit.* Ergo in determinandis rebus fidei habet veritatem infallibilem Pontifex Romanus. Probatur consequentia: Christus orauit pro Petro, & obtinuit, vt nunquam deficeret fides illius (b) *Ego oraui pro te, vt nunquam deficiat fides tua*; sed in Petro fuerunt etiam eius successores; S. Leo testatur. (c) *In Petro*, inquit, *fortitudo monitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur.* Ergo Pontifices Romani veri successores Petri, in determinandis rebus fidei, habent infallibilem veritatem.

236 Probatur secundo ex illo Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi*, videlicet *Hostes fidei*, inquit noster Cyrillus Hierosolymitanus, (d) *non præualebunt aduersus eam. Secundum hanc promissionem*, ait Cyrillus, *Ecclesia Apostolica Petri ab omni seductione, & hæretica circumuentione manet immaculata.* Ergo in determinandis rebus fidei, eius Pastores Pontifices

(a) *In 4. q. 11. Prol. art. 4.* (b) *Luc. cap. 22.* (c) *Serm. 3. de Assumpt.* (d) *Apud D. Thom. in caten. aurea.*

Digitized by Google

Romani habent infallibilem veritatem. Siquidem, vt ad Eulogium scribit Gregorius Papa: (a) *Quis nesciat Sanctam Ecclesiam, in Apostolorum Principis soliditate fundatam? cui dictum est, super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.*

237 Probatur tertio, auctoritate S. Lucij Papæ ad Episcopos Galliæ, & Hispaniarum ita scribentis. (b) *Ecclesia Romana Apostolica est, & mater omnium Ecclesiarum, quæ à tramite Apostolica traditionis, nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus depraua ta ſuccubuit, ſecundum ipſius Domini pollicitationem dicentis. Ego oraui pro te, vt non deficiat fides tua. Ergo, &c.*

238 Probatur quarto ex Valdenſi. (c) *Orthodoxi omnes ad Iudices, ſcilicet Chriſti Vicarios currunt, & ordinatè requirunt, vt tandem plenam teneant veritatem. Propter hoc enim, vt vere credunt, licet Doctores, & vltra eos Epiſcopos, & inter omnes mortales ſigillatim acceptos, petere Papam, cuius moderamen, & deciſio pro irrefragabili vero, tenebatur à Patribus. Apud ipſum enim piè credebant totius fidei noſtræ latere myſteria: & pectus eius imbutum butyro illo prophetico, quo ſciret reprobare malum, & eligere bonum.*

239 Confirmatur à Sancto Hieronymo, ſic ad Demetriadem ſcribente. (d) *Illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, vt Sanctiſſimi Innocentij, qui Apoſtolicæ Cathedræ ſucceſſor eſt, teneas fidem, nec peregrinam, quantumuis tibi prudens callidaque videaris, doctrinam recipias.* Ex quibus verbis clarè oſtenditur, Romanum Pontificem in rebus fidei infallibilem habere veritatem. Sanè, quia, vt S. Leo Papa teſtatur, (e) *Petrus Apoſtolus, Sedi ſuæ præeſſe non deſinit, & indeficiens obtinet cum ſuo Sacerdote conſortium; ſoliditas enim illa, quam de Petra Chriſto, etiam ipſo Petra factus accepit, in ſuos quoque ſe transfundit hæredes, & vbicumque aliquid oſtenditur firmitatis, non indubiè*

(a) *Lib. 6. epiſt. 37.* (b) *Epiſt. 1.* (c) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. cap. 47.* (d) *Epiſt. 8 19.* (e) *Serm. de ſuo natali.*

Digitized by Google

dubiè apparet fortitudo Pastoris. Ergo à primo ad vltimum Romanus Pontifex, Petri successor, non solum in determinandis rebus fidei.

240 Verum, & in promulgandis decretis morum pro tota Ecclesia, habet veritatem infallibilem. Etenim sicut ex illo Matthei (a) *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*. Et ex illo Lucæ, (b) *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquãdo conuersus confirma fratres tuos.* Assistentia Spiritus Sancti, Petro, eiusque successoribus, quo ad regimen Ecclesiæ Vniuersalis promissa, certò colligitur: ita etiam, & in condendis legibus morum; alias Pastor in pascendis ouibus Christi posset errare; & consequenter cum eo tota Ecclesia, nempè Christi fideles cum ipsi debeant decretis Summi Pontificis, omnino obedire; *cap.* 1. *de constitut.* quia ab ipsis recedere, est grauissimum crimen. *cap. non decet* 12. *distinct.* Ergo auctoritas Pontificis Romani est infallibilis in condendis legibus morum pro tota Ecclesia.

241 Dixi pro tota Ecclesia; Quia in casibus particularibus, & quæstionibus de facto, quæ statum Vniuersalis Ecclesiæ minimè respiciunt, videlicet; an hic, vel ille sit promouendus, vel deponendus: Excommunicandus, aut absoluendus, &c. Papa vt homo potest errare, quia in his eius deliberationibus, non præcedit assistentia Spiritus Sancti, sed tantum quædam principia, & humanæ probationes, quæ incertæ sũt, & fallaces. *Cap. à nobis* 28. *de sententia excommunicationis, iuncta ratione*, quam textus *in cap.* 1. *de constit. lib.* 6. reddit, & sic habetur. *Cum sint facti, & in facto consistant, posset probabiliter ignorare.* Et docet etiam Lezana tom. 3. tract. 1. de fide disp. 8. qu. 5.

(a) *Cap.* 16. (b) *Cap.* 22.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Soli Romano Pontifici competit conuocatio Generalium Conciliorum: quæ si ab ipso confirmantur, omninò inconcussæ auctoritatis reddantur.

242 CONuocationẽ, indictionemq; Generalium Conciliorum, ad solum Romanum Pontificem pertinere, Resolutissimus Doctor Bachonius, sic probat in 4. sententiarum. (a) *Quia omnia Concilia auctoritate Romanæ Ecclesiæ facta sunt, & robur acceperunt.* Alias, celebrata sine auctoritate Papæ, non Concilia, sed Conciliabula essent, & ideo non confirmari ab ipso, sed potius reprobari debuissent: sicut in Concilio Ephesino 2. cæterisque alijs factum esse, clarè ostenditur. Habet autem Romanus Pontifex talem auctoritatem ex Christi institutione, ex fine vniuersali regendi suam Ecclesiam, cui, propter proprium bonum competit ius conuocandi Ecclesiam vniuersalem, nempè eos Episcopos, quos vndique habet, ad exponendas ibi sacras scripturas, & causas definiendas. Et ob id Resolutissimus Doctor ait. (b) *In Romano Pontifice sunt duplices claues, videlicet iurisdictionis cõdendi statuta, & decretales; & claues excommunicandi, & absoluendi, & ista vocantur claues in negotijs, & causis definiendis, de quibus habetur in decretis, dist. 20. cap. 1. vbi dicitur: aliud est causis terminum imponere, aliud scripturas sacras exponere.* Ex quibus verbis clarè habetur, conuocationem Generalium Conciliorum ad Romanum Pontificem pertinere.

243 Probatur tamen hęc veritas ex illo Lucæ 1 (c) *Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos:* Etenim Sylueira hæc verba ita exponit. (d) *Hoc quod dictum est Petro, Oraui pro te, vt non deficiat fides tua, dictum*

(a) *Qu. 10. Prol. art. 2.* (b) *quodlib. lib. 3. cap. 17. art. 2.* (c) *cap. 22.* (d) *Tom. 1. Euang. lib. 7. cap. 10. q. 5.*

Digitized by Google

ctum etiam intelligitur Petri successoribus, nempè Romanis Pontificibus, vt docent D. Leo serm. 3. de assumptione: D. Bernardus, epist. 190. ad Innocentium Summum Pontificem. Lucius Papa ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ, & Agatho in epistola ad Imperatorem Constantinum. Orauit Ergo Christus ne Romani Pontificis fidès deficiat, sed integra continuò perseueret; Et non ob aliam causam orauit, nisi quia in ipsa Petrus confirmare debebat fratres suos. *Et tu aliquando conuersus cõfirma fratres tuos.* Sed quali modo amabò, eos debebat in fides confirmare, nisi Euangelij doctrina? In Concilijs generalibus publicè expositа, declarata, & confirmata: Et ecce, quod indictio Concilij ex institutione Christi pertinet ad Petrum, vt fratres suos docturum, cum Generale Concilium sit publicum veritatis Catholicæ Gymnasium. *Confirma fratres tuos*, subiungit Sylueira, *doctrina, admonitione, verbis, & prædicatione, vt caput, & firmamentum Ecclesiæ, quod sæpè fecisse in Actis Apostolorum legitur*; quod verum est, nam,

244 Primò Petrus, tanquam Apostolorum Caput, & Supremus omnium Pontifex, tali auctoritate conuocandi Concilium à Christo sibi collata, in conuocatione Generalis Concilij, pro electione futuri Apostoli, vsus est. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrũm dixit (erat autem turba hominum simul centum viginti) Viri fratres oportet impleri scripturas, &c.*

245 Secundò: pro electione septem Diaconorum, Concilium Apostolicum iterum conuocauit, & sua auctoritate vsus est. *Conuocantes autem duodecim multitudinem Discipulorum, dixerunt: non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, Viros ex vobis boni testimonij septem, &c. Et placuit sermo coram omni multitudine.* Ex quibus verbis aduerte quod ly *dixerunt*, non est intelligẽdum, quod omnes duodecim responderint, sed quod so-

(a) Actor. 1. (b) Actor. cap. 6.

Digitized by Google

solus Petrus ex persona omnium Apostolorum, vt videri potest; locutus sit.

246 Tertio: Petrus tanquam Pastor vniuersalis Ecclesiæ, pro controuersia circumcisionis, propria auctoritate, tertium Generale Concilium Apostolicum conuocauit; vbi definitum fuit, Gentiles ad obseruantiam Iudæorum, minimè cogi debere. (a) *Conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos, &c.* Ex quibus omnibus apertè colligitur, conuocationem Generalium Conciliorum ad solum Pontificem Romanum pertinere de iure diuino.

247 Probatur hæc veritas ex sequenti irrefragabili ratione. Quia quando *Apostolus Petrus* illis temporibus, vti Pastor Supremus, Concilia Apostolica conuocauit: tunc *Tiberius Cæsar*, tanquam Imperator moderabatur vniuersum Orbem, & Herodes, vti Rex Iudæam. Petrus autem non de ipsorum licentia, sed propria auctoritate sibi à Christo collata, Concilia Apostolica indixit. Ergo ad solum Romanum Pontificem, legitimum Petri successorem pertinet Generalia Concilia conuocare.

248 Ad Imperatorē verò spectat tantum potestas *executorialis*, quia quando Pontifices Concilia Geralia conuocabant, Imperatorum opera egebant: tum in comprimendis violentijs Hæreticorum, ne Episcopis ad Concilium venientibus nocerent, sed tutū iter potius præberent; tum in expensis, & similibus, videlicet: Cum Imperator circa temporalia in summo Imperio agnosceretur, in Ciuitate Imperiali, ipso contradicente, Congregatio Synodi non poterat attentari: ideoque Pontifices hoc modo consensum ab eo petebant, sc. vt ipsemet Imperator eorum voluntati etiam cooperaretur, vt minime diabolica superbia contradiceret, eo quod Populi, Imperatorem magis, quam Pontifices timebant: talem autem cooperationem omninò Pontifi-

(a) *Act. cap. 16.*

Digitized by Google

tificibus præstare debebat, quia teste *Bernardo(a)* Imperatores, & cæteri Principes sęculares sunt Ecclesiæ Aduocati. Hinc est quod si Pōtifices Romani quandoque in synodi indictione, Imperatorum, vel Regum consensum expostularunt, hoc non fecerūt ex defectu potestatis conuocatiuæ; sed vt plausibilius, suauius, & sine vlla perturbatione hominum fieret consiliaris Patrum congregatio: & eo maxime, cum ea tempestate lex illa *Conuenticula c. de Episcopis, & Presbiteris*, omnino vigeret, vnde Cōuentus fieri, tyrannicè deuiabat; nec Christi fideles ad diuina persoluenda, conuenire permittebat: Propterea Imperatoris opem, tum ad Gentilium infestationes coercendas; tum ad obtinendas ab ipso expensas, & vecturas, siue subsidium charitatiuum, illa temporum conditio expostulabat.

249 Et ex his omnibus solidè ostenditur, quod si Imperatores, & Reges propria fortassis auctoritate Concilia aliquando conuocarunt, quod omnino negamus: illa non legitimo iure, sed illegitimè, iniustè per tyrannicam vsurpationem, & perfidiam fuerūt congregata. Hinc eorū Acta, nulla, robur nullum, nullamque auctoritatem receperunt, quia hoc ius competit tantummodo Pontifici Romano, ex diuina institutione. Inter ius autem, & factum, datur distinctio: ideoque conceditur quo ad factum; sed quo ad ius, negatur omnino: propterea non Concilia, sed Conciliabula, siuè prædatoria Concilia ipsa nuncupantur iure optimo, à S. Leone Papa; *(b)* cum ius ea cōuocandi, fuerit indebitè vsurpatū; & de tali vsurpatione Papa conqueri debet.

250 Sicut conquestus est Iulius Primus, anno 337. contra Eusebium Theogonium, & Theodorum Episcopos Orientales, eo quod sine sui licentia Concilium Nicænum indixissent; ita inquiēs: *(c)* *Cur nobis inconsultis Episcopos in eam synodum conuocastis, ad quam, nec maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio? Canonibus quippe*

(a) *In epist. ad Conrad. Imper.* (b) *Epist. 51.* (c) *Epist. 1.*

Digitized by Google

pe in Nicæna Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo Concilia celebrari. Nam vti scribit S. Marcellus Primus Papa, qui anno 304. Cathedrã Petri moderatus est: *simulque*, inquit, *ijdem (Domino inspirante) Apostoli constituerunt, vt nulla Synodus fieret, præter eiusdem Sedis auctoritatem: nec vllus Episcopus, nisi in legitima, Synodo suo tempore Apostolica auctoritate conuocata*. Ergo conuocatio Generalis Concilij, pertinet omnino ad Romanum Pontificem.

251 Cõfirmat etiam hanc veritatem S. Damasus Papa, Epistola ad Episcopos Africæ missa, in qua postquam de eis dixerat, quod à Metropolitano poterant ad Concilium Prouinciale conuocari, addidit: (a) *Sed definire eorum, & Ecclesiasticorũ summas querelas causarũ, vel damnare Episcopos, absq; huius Sanctæ Sedis auctoritate minimè licet, &c. nam, (vt nostis) Synodum sine ius auctoritate fieri, non est catholicum.*

252 Propterea Romanus Pontifex Pelagius Secundus, Constantinopolitanam Synodum absque sua licentia indictam, illegitimam vocat, ad eamdem ita scribens. *Relatũ est ad Apostolicam Sedem, Ioãnem Constantinopolitanũ, Episcopũ vniuersalem se scribere, vosque ex hac sua præsumptione, ad Synodum conuocare generalem, cum Generalium Synodorum cõuocandi auctoritas, Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari priuilegio sit tradita, & nulla vnquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta. . . . Multis denuo Apostolicis, & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Vos quoque deinceps, vt nullius hortatu talia præsumatis, si Apostolicæ Sedis communione carere non vultis, &c. Orate fratres, vt honor Ecclesiasticus nostris diebus non euacuatur: nec vnquam Romana sedes, quæ (instituente Domino) Caput est omnium Ecclesiarum, priuilegijs suis vnquã careat, aut expolietur.*

253 Si-

(a) *Epist. 2. ad Stephanum.*

Digitized by Google

253 Siquidem potestas cõuocandi Generalia Concilia à Christo Saluatore nostro Principi Apostolorum collata, non modo à suis successoribus legitimè fuit acquisita, verum & statim ad effectum demandata. Etenim primum Concilium, post Cõcilia Apostolica à D. Petro conuocata, fuit *Concilium Nicænum*, tempore Magni Constantini, à S. Syluestro Papa conuocatum; sicut ex epilogo Romanorum Conciliorũ, ita habetur. *Temporibus Syluestri Papæ, & Constantini pijssimi Imperatoris Augusti, factum est magnum Concilium in Nicæa Bythiniæ, & congregati sunt regulariter eiusdem Syluestri Papæ vocatione in idipsum 318. Episcopi.* Et ita de *Concilio Constantinopolitano*, à Damaso: de *Ephesino*, à Cœlestino: & de *Chalcedonense*, à S. Leone Papa conuocatum, in *cap.* 3. quæstionis præcedentis, probauimus.

254 Quintum *Concilium* fuit *Constantinopolitanum* 2. à Vigilio Papa in Sicilia ob cõmoditatem Episcoporum Occidentalium, & Orientalium indicto: sed postmodum Imperator, suæ commoditati potius, quã Episcoporum consulens, voluit Constantinopoli celebrari: Romanus vero Pontifex ad supplicationem Euthimij Patriarchę Constantinopolitani, & omnium Episcoporum, voluntati Imperatoris annuit, & ratam habuit loci cõuocationem; vt fusè scribit Nicephorus, *lib.* 17. *c.* 27. cui adhæret Euagrius, *lib.* 4. *c.* 37.

255 Sextum: fuit *Concilium Constantinopolitanum* 3. tempore Constantini IV. ab Agathone Papa, contra Sergium, Paulum, Pyrrhum, Cyrum, Theodorum, alioſque Monothalitas cõuocatum, vti scribit Sigonius *lib.* 4. *de rebus Italiæ*, & ei sic arridet Sabellius *Enead.* 8. *lib.* 6. *Constantinus ex Agathonis sententia Cõuentum habuit ducentorum, & amplius Antistitum.* Septimum fuit *Concilium Nicænum* 2. anno 787. ab Adriano Papa cõtra Iconamachos indictum, vbi 250. Episcopi interfuerũt. Octauum, fuit *Concilium Constantinopolitanum* 4. ab Adriano Secundo Papa, anno 870. pro orthodoxis Ecclesiæ dog-

Digitized by Google

matibus conuocatum: vt ex eius Epistola ad Imperatorē Basilium scripta, quæ in ipsa Synodo Act. 1. extat, ita clarè habetur. *Volumus pro vestræ pietatis industria Constantinopoli numerosum celebrare Concilium.* Nonum, fuit *Concilium Generale Lateranense* 1. anno 1123. contra Henricum Imperatorem, & Saracenos, pro recuperatione Terræ Sanctæ à Calisto II. Papa indictum; vt Platina, & Honuphrius referunt: & ibi 947. Episcopi, teste nostro Timotheo, accesserunt. (a) *Nell' anno* 1123. scribit Italico idiomate, *fù celebrato vn Sinodo Generale in Laterano di* 947. *Vescoui per li bisogni del Cristianesimo, e di Gerusalemme trauagliata.* Et ita de reliquis. Ex quibus clarè dignosci potest, ius conuocandi Generalia Concilia, concessum à Christo Apostolo Petro, à suis successoribus fuisse per tot secula legitimè acquisitum, & ad effectum demandatum.

256 Fatentur hanc veritatem ipsimet Imperatores, asserentes, auctoritatem conuocandi Concilia Generalia, nō sibi, sed Romano Pontifici fuisse collatā. Ita primò *Valentinianus* Imperator, in Epistola Leoni Papæ scripta testatur, quæ in præambulis Concilij Chalcedonēsis num. 33. & 34. reperitur, sequentis tenoris. *Ad hoc maximum Imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus Excellentissimi, cunctaq; militiæ. Vnde pro reuerenda, & catholica Religione Christianæ Fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem, Principatum in Episcopatu diuinæ Fidei possidentem, sacris litteris in principio iustum credimus alloquendam: inuitantes, atque rogantes, vt pro firmitate, & statu nostri Imperij, aternam diuinitatem tua Sanctitas deprecetur, vt & tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrādam Synodum te Auctore, maxima pax circa omnes Episcopos Fidei Catholica fiat, ab omni scelere pura, & intemera-*

(a) *Chronist. Mundi lib. 7. cap. 126.*

Digitized by Google

ratio consistens.

257 Deinde *Marcianus Imperator*, altera Epistola ad eumdē Leonem Papam missa, efflagitat, vt Papa circa indictionem Concilij dignaretur mentem suam aperire, ac voluntatem ei significare; & ideò sic scribit. *Superest, vt si placuerit tuæ Beatitudini, in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere ex Religionis affectu dignaretur, nostris vtique desiderijs Sanctitas vestra satisfaciet, & Sacræ Religioni, quæ vtilia sunt decernet: Si vero hoc oneroſum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum nobis proprijs litteris tua Sanctitas manifestet, quatenus in omnem Orientem, & ipsam Traciam, & Illiricū Sacræ vestræ litteræ dirigantur, vt ad quemdam definitum locum, vbi nobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi debeant conuenire, & quæ Christianorum Religioni, atq; Catholicæ Fidei profint, sicut Sanctitas Tua secundum Ecclesiasticas regulas definiuerit, sua definitione declarent.* Ergo ad Romanum Pontificem de iure Diuino spectat, conuocatio Generalium Cōciliorum: Quæ licet pro dirimendis fidei catholicæ litibus non sine simpliciter necessaria, cum Resolutissimus Doctor asserat; (a) *Quod omnem legem vniuersalem, quam cum Cardinalibus Papa condere potest, potest etiam per se.* Sunt tamen necessaria secundū quid, quatenus sine ipsis, idem finis suauiter, cōmodè, & congruēter haberi nō potest. Et ideò, si secundum directionem, & consensum Papæ celebrata sunt, & ab ipso eorum acta confirmata.

258 Cum in ipsis consēsus capitis, & membrorum, videlicet totius Ecclesiæ reperiatur, proculdubio inconcussæ veritatis erunt: Nam Romanus Pontifex, vt testatur *Bachonius* supra citatus, *non vt puri hominis, sed vt veri Dei Vicarius*, scilicet ex directione Spiritus Sancti, in illis se gerit, & ideo non potest errare.

259 Patet hæc veritas ex Sacra Scriptura, videlicet ex *cap. 15. act. Apostolorum.* Coacto

X 2

(a) *In 4. q. 10. Prol. art. 2.*

Digitized by Google

ſio ab ipſis Concilio, definitum fuit, legalia non eſſe ſeruanda, fornicationē eſſe peccatum, multis alijs ibi ad ritus, & Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus, ſtabilitis; & Apoſtoli Conciliares dixerunt ea, Spiritu Sancto ſuggerente, & infallibiliter docente, eſſe ſancita: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; ergo generalia Concilia in Spiritu Sancto legitimè congregata, propter Spiritus Sāncti aſſiſtentiam, ac Magiſterium, erunt inconcuſſæ veritatis.

260 Patet ſecundo ex illo Matthæi, (a) *Vbi ſunt duo, vel tres in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorum.* Ergo in Generalibus Concilijs, adeſt aſſiſtentia Spiritus Sancti docētis, ſicque illorum acta ſunt inconcuſſæ veritatis. Conſequentiam probat Concilium Chalcedonenſe, vbi allegata ſupradicta Matthæi Scriptura, ita ad noſtrum intētum ait: (b) *Si Dominus duobus ſimul Epiſcopis promiſit ſe interesſe, quanto magis plurimis*; Ergo in Cōcilijs Generalibus adeſt aſſiſtentia Spiritus Sancti moderantis, & docentis. Probatur à Cęleſtino Papa, ita expendēte in Epiſtola ad Concilium Epheſinum, allegatum locū Matthęi, (c) *Spiritus Sāncti*, inquit, *præſentiam teſtatur Congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cuius iſta ſententia eſt. Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi Ego ſum in medio eorum, quod cum ita ſit, ſi ne huic tam breui numero Spiritus Sanctus deeſt, quāto magis eum nunc intereſſe credemus, quando in vnum conuenit tanta turba Sacerdotum. Sanctum namque eſt pro debita veneratione Concilium.* Ergo, &c.

261 Patet tertio auctoritate Summorum Pontificum, Leonis Papæ, epiſtola ad Imperatorem Leonem, ita incōcuſſam, & firmam auctoritatē Conciliorum, teſtantis. (d) *De rebus*, inquit, *apud Nicænam, & apud Chalcedonem (ſicut Deo placuit) definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctū fixit*

(a) *Cap.* 18. (b) *Actor.* 10. (c) *Epiſt.* 7. (d) *Epiſt.* 78.

Digitized by Google

fixit auctoritas. Et Gelasij Papæ epistola ad Episcopos Dardaniæ, sic infallibilitati Conciliorũ, testimonium perhibentis. (a) *Quoniam Patres nostri, Catholici, videlicet, doctique Pontifices, in unaquaque hæresi, quolibet tempore suscitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica, atque Apostolica secundum Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, facta semel congregatione sanxerunt, incancussum voluerũt deinceps, firmumque seruare.*)

262 Adhæsere Sanctissimis Petri Apostoli successoribus, Sancti Episcopi; videlicet, Cyrillus noster Patriarcha Alexandrinus, sic ad Herniam alloquens. (b) *Age igitur allatis in medium his, quæ accuratè, & exquisitè, Sancta, & celeberrima Synodo, quæ olim in Nicæa Ciuitate congregata fuit, definita sunt, consideremus, quid reprehensibile sit in his, qui diuersa offerunt. Nam si quis fidem illam, à Sãcta, & Magna Synodo, optimè, & diuino afflatu definitam & expositam dicere voluerit basim animarum nostrarum, fundamentumque inconcussum, & munitum, is vtique probatissimè loquitur, & ab ipso Christo laudem habiturus est, fidelis quoque, & verus adorator relucebit.* Et Sanctus Ambrosius Archiepiscopus Mediolanensis, ita ad Gratianum de fide scribens. (c) *De Conciliis id potissimum sequar, quod trecenti decem, & octo Sacerdotes, tãquam Abrahæ electi iudicio, cõsona fidei virtute victores; velut trophæum toto Orbe subactis perfidis extulerunt. vt mihi videatur hoc esse diuinum, quod eodem numero in Conciliis fidei habemus oraculum, & in historia pietatis exemplum.* En satis probatum, quod ia concussæ veritatis sint omnino Sacra Oecumenica Concilia.



CAP.

(a) *Epist.* 11. (b) *In dialog. ad Herniam.* (c) *Lib.* 1 *in proam.*

Digitized by Google

CAPVT IX.

Romanus Pontifex potest super omni iure positiuo dispẽsare. Indulgentias Christi fidelibus elargiri, Sanctos canonizare, ac Regularium Ordines stabilire.

263 POsse Romanum Pontificem de iure Diuino non solum hæc omnia, verum & alia maiora etiam peragere, ex eo probat Doctor Resolutissimus, (a) *Quia Papa maioritatem, & summam potestatem habet in omnibus, & per omnia, & pra omnibus, & super omnibus Christianis totius mundi, indistinctè*; (b) Vnde q. 10. Prologi art. 2 ait. (c) *Dic ergo, quod hæresis condemnata est per Ioannem XXII. quod Papa non habet potestatem illimitatam, contra Marsilium de Padua, & Ioannem de Gandauo, in Constitutione: licet secundum Apostolum, &c.* Ergo Papa potest super omni iure positiuo dispensare; Christi fidelibus Indulgentias elargiri, Sanctos canonizare, & Regularium Ordines stabilire.

264 Probatur hac alia ratione; Papa super iure positiuo habet omnimodam potestatem; Ergo potest super ipso licitè dispensare. Patet antecedens *ex cap. innotuit, de elect. cap. per Venerabilem, qui filij sint legitimi*. Consequentiam verò probat Sayrus, ad dubium quartum ita respondens. (d) *Sicut enim potest legẽ condere, ità & abrogare: & sicut legis obligatio ex legislatoris pendet intẽtione: ita & modificatio, idque merito, cum lex non possit omnibus casibus infinitum variabilibus prospicere*. Et hoc est, quod Resolutiss. Doctor ait. (e) *Potest Romanus Pontifex in omnibus votis etiam dispensare, seclusis tamen necessarijs obseruationis præceptorum Dei: & etiam potest in iuramentis dispensare; rationabili tamen causa existente.*

265 Quantum verò ad In-

(a) *In 4. d. 4. q. 11. Prol. art. 4.* (b) *Clauis reg. lib. 3. c. 10. n. 6.* (c) *In 4. dist. 28. q. 4. art. 6.* (d) *Dist. 24. q. 1. art. 2.*

Digitized by Google

Indulgentias, ipsemet Resolutissimus Doctor idem etiam dicit; & hanc rationem producit, videlicet: (a) *Indulgentiæ datæ à Papa valent ad tot dies, & annos, quot placet Papæ, quia ipse est Generalis Vicarius Dei.* Et ideò Lezana ait: (b) *Indulgentiam concedere, spectat primariò solum ad Summum Pontificem, aliis verò Prælatis, non nisi quatenus ipsis conceditur ab eodem: & ratio est, tum quia soli Petro, & eius successoribus dictum est Ioan. cap. 21. pasce oues meas; Tum quia quemadmodum distributio thesauri publici solum spectat ad supremum Principem, & ad alios non nisi quatenus ipsis ab illo conceditur: sic etiam distributio Thesauri Ecclesiæ, quæ contingit in concessione Indulgentiarum, solum ad Papam, qui est supremus Ecclesiæ Pastor, spectare primario potest, & ad alios Prælatos ex concessione ipsius.*

266 Sanctorũ verò Canonizationem etiam adipsum Romanum Pontificẽ spectare, *Vualdensis* (c) adducit hãc potissimam rationem; quia Sanctus Petrus primus omnium habitis super vita, & conuersatione Christi, nec non resurrectione eius à mortuis, Apostolorum, testificationibus; Christum deinde Redemptorem nostrum canonizauit; ipsum definiens Sanctum Domini: ac proinde ab omnibus colendum, & adorandum esse decreuit. (d) *Viri Israelitæ*, inquit, *audite verba hæc; Iesum Nazarenum, Virum approbatum à Deo in nobis, virtutibus, prodigijs, & signis, quæ fecit Deus in medio vestri, sicut vos scitis.* Et infra cap. 3. *Deus verò Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit Filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis, Deus autem suscitauit eum à mortuis, cuius nos testes sumus, & in fide nominis eius hunc, quem vos videtis, & nostis, confirmauit nomen eius, & fides, quæ per eũ est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.* Sed hæc Petri canoni-

zan-

(a) *Tom. 3. q. Regul. verb. Indulg. n. 4.* (b) *Tom. 3. tit. 14. cap. 122. n. 3.*
(c) *Act. Apost. c. 2.*

Digitized by Google

zandi potestas, vt ex decisione Alexandri III. *in cap. audiuimus*, & Innocentij III. *cap. cum eo, de reliquijs, & veneratione Sanctorum*, transiit ad eius successores; Ergo Papa potest Sanctos canonizare. Ita supponit Vrbanus VIII. in sua Bulla, quæ incipit, *Cœlestis Hierusalem*, anno 1634. edita; & ita etiam doctissimus Sylueira (a) scribit.

267 Tandem, quo ad Regularium Ordinũ stabilimẽtum, aduerte: quod licet hoc munus olim fuerit etiam Episcoporum, quia vt in Tridẽtina *sess. 23. de Sacramẽt. Ord. cap. 4.* dicitur, in locum Apostolorũ ipsi succedentes, etiã spiritualem potestatẽ à Christo Domino acceperunt; Tamen non nisi subiectam supremæ iurisdictioni Summi Pontificis, acceperũt: & ideò tãdiu in ipsis perdurauit auctoritas approbandi Religiones, quamdiù à Summo Pontifice eis impedita non fuit, scribit (b) *Vasquez in* 1. 2. Nunc autem eis interdictum est hoc munus; & ideò ad solum Pontificem Romanum spectat facultas approbandi Religiones; Doctissimus Lezana testatur *tom. 3. tract. de fide, disp. 8. q. 5. coroll. 2.*

268. Qui addit, esse de fide, Papam, approbando Religiones, non posse errare. *Nam*, inquit, *Papam Religionem aliquam approbare, non est aliud, quàm illam proponere toti Ecclesiæ, vt veram viã ad Christianam perfectionem; sed in hoc Papa non potest errare, alias posset etiam errare tota Ecclesia sequendo suum Pastorem.* Ergo, &c.

269 Nec obstat, quod aliquæ Religiones à Sede Apostolica approbatæ, sint ab ipsa postea extinctæ: Per hãc enim extinctionem, status Religionis non reprobatur, cum sit obseruantia Consiliorum Dei, nempe Obedientiæ, Castitatis, & Paupertatis ex Voto: Sed potius declaratur, quod Religiosi illi, vota, & Constitutiones Religionis, nõ rectè obseruabant, vel quod illis aliquas prauas Consuetudines admiscebant.

270 Et subdit *Lezana*, ita

(a) *Opusc. 2. rel. 21. q. 2.* (b) *Disp. 165. c. 4. num. 38.*

Digitized by Google

ita philosophandum esse de Sanctorum canonizatione, videlicet, de fide esse, Papam non posse errare: & sumitur hoc ex fundamentis adductis in præcedenti Capite: Quia si certum est de fide, Papam in legibus ad Ecclesiam vniuersalem spectantibus non posse errare, nec etiam in canonizatione Sanctorum: quia cum Papa aliquem canonizat; ad credendum Sanctum illum in Cœlis esse, & venerandum, totam Ecclesiã obligat; sicut Vrbanus VIII. in diplomate canonizationis Sãcti Andreæ Corsini testatur, sic inquiens. *Decernimus, & definimus bonę memoriæ Andream, &c. Sanctum esse, ac Sanctorum cathalogo adscribendum, ipsumque Sanctorum cathalogo adscribimus, statuẽtes, vt ab vniuersali Ecclesia anno quolibet in die obitus ipsius, Festum deuotè, & solemniter celebretur.* Ergo totam Ecclesiam obligat, sicque ipsam obligando, Papa errare non potest; quod sic probatur. Quia Summus Pontifex in canonizatione Sanctorum procedit decernendo, & definiendo, vt patet ex verbis supra relatis. Ergo quemadmodum certum est de fide, quod in alijs definitionibus ad fidem, & mores spectantibus, ipse errare non potest, ita & in præsenti: eo quod tam in illis, quam in istis pari modo procedit.

CAPVT VLTIMVM.

Ea, quæ sunt Romano Pontifici absolutè reseruata, & nota digna vocantur, sigillatim hic recensentur.

271 REsolutiss. Doctor Bachonius agẽs in 4. de Papæ potestatis plenitudine Petro, eiusque successoribus collata, ait: Apostolorum Principi præter potestatem communem, limitatam, aliam singularem illimitatam, à Christo Saluatore nostro fuisse indultam, ita scribens; (a) *Maior est auctoritas non limitata, quam limitata, ideſt Auctoritas personalis, & singularis illimitata*

Y ad

(a) *Dist. 17. q. 2. art. 1. de clauib.*

Digitized by Google

omnia, quam auctoritas generalis tantum cum alijs. Omnes Apostoli receperunt potestatem limitatam in communi tantum, siue supra verum Corpus Christi conficiendum, & sumendum, ac alijs ministrandum: quæ quidem auctoritas fuit in Cœna Domini, omnibus Apostolis attributa, quando dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Siue post Resurrectionem, supra Corpus mysticum: dicens Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: & quorum retinueritis, retenta sunt: Siue etiam in Ascensione super omnes fideles, quando dixit eis Matthæi vltimo: Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, &c. Petro hanc potestatem limitatam communem cum alijs concessit: & nihilominus in singulari, illimitatam, ad omnia, cum dixit ei: pasce Agnos meos. Et illimitatè adiecit, Quodcumque ligaueris super terrã, &c. Igitur Petrus habuit potestatem communem, & potestatem singularem, siue personalem. Sicque successor eius Romanus Pontifex, cum præter auctoritatem, quam in præcedentibus recensuimus, habeat etiam quædam alia, quę ita ipsi adhærent, vt sine Papæ speciali mandato, in legatos à latere minimè transeant.; ob hinc, *Nota digna*, dicuntur: (quia in generali commissione reseruata Principi non veniunt, testatur Peregrinus(a) de iure Fisci) de his non pauca in hoc vltimo capite sic referemus.

Potest primo per se solum Romanus Pontifex, decimas laicis concedere, *cap. cum Apostolica de his, quæ fiunt à Prælatis.*

Secundo: potest per se solum, tam laico, quam fœminæ, causam Clericorum committere. *Textus in cap. Mennam 2.q.4.*

Tertio: potest per se solum delegare laico potestatem excommunicandi, absoluendi, beneficia alicui conferendi, & similia faciendi. Nauarrus in manual. *cap. 27. nu. 6.* & Carolus de Graffis *de effectibus Clericorum effect. 1. num. 30.*

Quar-

(a) *Lib. 1. tit. de his, quæ iure fisc. n. 75.*

Digitized by Google

Quarto: potest Romanus Pontifex per se solum, annuas pensiones in beneficijs constituere, constitutas trãsferre, & ius eas redimendi, etiam concedere. Laymanus Theolog. moral. *lib. 4. tract. 2. cap. 18. num. 3.*

Quinto: potest Romanus Pontifex per se solum beneficium ad tempus, etiam cum conditione de futuro, alicui concedere, eique pariter ius ad vacatura impartire. *Cap. Pastoralis 7. qu. 1. cap. si gratiosè de rescription. in 6. & cap. de præbendis 16.*

Sexto: potest per se solum, tam liberam renunciationem admittere, quam ex causa, cum reseruatione fructuum acceptare, *Cap. deliberat. cap. prohibemus de offic. Delegati, lib. 6.*

Septimo: potest per se solum, tam sacros ordines illis tribuere, qui non dum ad legitimam ætatem peruenerunt. *Cap. cum in cunctis de elect.* quam quod extra tempora statuta, ab aliquo Catholico Antistite ipsi ordinentur. Quaranta in summa Bullarii *verb. ordin. vers. de-*

uenio ad secundum, pag. 372.

Octauo: potest per se solum Summus Pontifex tum tollere irregularitatem ab eo qui durante suspensione se Diuinis immiscuit. Lezana *tom. 3. qu. Regul. verb. irregularitas num. 9.* vel tum degradatum ad pristinum restituere. *Glossa in cap. ideo 2. qu. 6.*

Nono: potest per se solum rationabili ex causa committere, vt simplex Sacerdos ministret Sacramentum Confirmationis. Bonacina *tom. 1. de Sacram. Confirm. disp. 3. qu. vnica punt. 2. num. 3. verb. dixi regulariter loquendo.* nec non vt Ecclesiam confecratam reconciliet. Glossa *in cap. quanto de consuetudine.*

Decimo: potest per se solum concedere, vt in loco exempto ædificetur Ecclesia. Barbosa de potestate Episcopi par. 3. allegat. 26. ac etiam potest in beneficijs laicorum Iuris patronatus, sine eorum præsentatione instituere. Parisius de resignat. beneficij, *lib. 2. quæst. 4. num. 32.* & Tuscus *in pract. concl. lit. F. concluf. 596.*

Vndecimo: potest per se so-

Digitized by Google

solum, approbatis Regularium Ordinibus, exemptionem tam à iure, quam ab Ordinariorum potestate etiam concedere. Lezana *tom. 3. verb. exempt. n. 4.*

Duodecimo: potest per se solum concedere exemptis, vt eorum exemptioni renuncient, Laynus *tom. 1. Rerum Regularium prax. tract. 13. de exempt. Relig. q. 10.*

Decimo tertio: potest per se solum Regulari indulgere, vt transeat ad Regulam laxiorem. Laynus supracitatus *tract. 5. de transeunte ex vno, ad aliud Claustrum quæst. 25. num. 1.*

Decimo quarto: potest per se solum Ecclesiam erigere, & erectam in Cathedralem destinare. *Cap. præcipimus 16. quæst. 1.* & Garsia *de benefic. par. 12. cap. 1. n. 1.*

Decimo quinto: potest per se solum, tum in supradicta Ecclesia Cathedrali, tum in aliqua Collegiata nouas Dignitates instituere. Glossa *verb. concessimus in cap. cum olim de consuetudine.* Et Riccius *in praxi forensi Ecclesiæ decis. 382.*

Decimo sexto: potest Romanus Pontifex per se solum supradictæ Ecclesiæ Cathedrali, administratorem tribuere. Azorius *instit. moral. par. 2. lib. 4. cap. 35. vers. 4. il 2.*

Decimo septimo: potest per se solum alienationes, & permutationes rerum grauiũ Ecclesiasticarum admittere. Lezana *tom. 3. verb. alienat. num. 22.*

Decimo octauo: potest per se solum duos Episcopatus in vnum vnire. *Cap. & temporis, cum seq. 16. q. 1. cap. sicut vnire de excessibus Prælatorum.* Garsia *de benefic. par. 12. cap. 2. n. 60.*

Decimo nono: potest per se solum ponere quandoque duos Episcopos in vno Episcopatu. *Cap. non autem 7. q. 1. cap. quoniam de offic. ord. Abbas in qu. 1. col. 3. num. 5. vers. 3.* & Parisius *de consident. q. 18. n. 8.*

Vigesimo: potest per se solum tam Episcopos de vno Episcopatu in alium mutare, quam etiam transmutare eorum Episcopales sedes. *Cap. frater noster 16. qu. 1. cap. nisi de offic. legat. & cap. 1. de inv.*

ca-

Digitized by Google

calum. Renatus Coppia *de ſacr. poliț. lib. 2. cap. 4. num. 10. & ſeq.*

Vigeſimo primo: poteſt per ſe ſolum Epiſcopos iudicare. *Gloſ. verb. cauſatio, verſ. ſolus enim Papa*, Tuſcus *tit. 6. litt. P. concluſ. 41. num. 65.* Nec non electos, proprijs eorum ſedibus reſtituere. Gloſſa ſupracit. *verb. cauſatio, verſ. ſolus Papa reſtituit.*

Vigeſimo ſecundo: poteſt per ſe ſolum Papa, Epiſcopatus renunciationem recipere. Gloſſ. *cap. etiam, verb. Cauſatio. verſ. ipſe ſolus. in cap. præcept. diſt. 12.* Parifius, *de reſignat. beneficij. lib. 1. q. 11. num. 17.*

Vigeſimo tertio: poteſt per ſe ſolum Epiſcopis Coadiutores donare. *cap. 1. de Cleric. ægrotat. lib. 6.* Parifius ſupracit. *lib. 6. q. 20. nu. 14.* & Quaranta, *verb. Archiepiſcopi auctoritas, n. 9. pag. 42.*

Vigeſimo quarto: poteſt per ſe ſolum concedere Coadiutorias cum futura ſucceſſione quorumcumq; beneficiorum. Concil. Trident. *ſeſſ. 2. de reformat. c. 7. is non alias*, decernit Sacroſancta Synodus, *cum futura ſucceſſione detur, quam hac cauſa prius diligenter à Sanctiſſimo Romano Pontifice ſit cognita.*

Vigeſimo quinto: poteſt per ſe ſolum Eccleſiæ Cathedrali vacanti, Viſitatorem deſtinare. *cap. vltim. de ſupplem. negligent. Prælator. lib. 6.*

Vigeſimo ſexto: poteſt per ſe ſolum, Epiſcopatum diuidere. Hoſtienſis, *in cap. cum contingat, nu. 11. de foro compet.* Rota Roman. *deciſ. 324: nu. 2.* Non autem inuito Epiſcopo, niſi rationabili ex cauſa. Abbas in *cap. vlt. ſub num. 12. verſ. & vid. de confirmat. vtil.* Nauarrus *de Spoliȝ Clericorum, §. 3. num. 2.* Si tamen diuidat ſine cauſa, licet factũ tenebit, ipſe verò peccabit. Sanchez *de matrim. lib. 7. diſput. 2. num. 6.*

Vigeſimo ſeptimo: poteſt per ſe ſolum, erigere Eccleſiã Cathedralem, in Metropolitanem. Lotter. *de re benefic. lib. 1. q. 11.*

Vigeſimo octauo: poteſt per ſe ſolum Papa Cardinales creare. Azorius *inſtit. moral. par. 2. lib. 4. c. 1.* & Vualdenſis *tom. 1. diſt. fidei, lib. 2. art.*


Digitized by Google

art.3. c. 54. Nec non eos deponere. *cap. ex gestis, vbi Glossa, de Cleric. non resid. cap. vn. de schismate, lib.6.*

Vigesimo nono: potest per se solum Indulgentias plenarias vbique, etiam pro Defunctis concedere. Azorius *sup. cit. lib.4. cap. 35. vers.47.* & Lezana, *tom.3. verb. Indulgent. num.4.* denique

Trigesimo: potest per se solum Sanctos canonizare. *cap.1. de Relig. & veneratione Sanctorum.* Vualdensis, *tom. 3. tit.14. cap.122.* Lezana *cõsult. var. consult.1. num. 2.* & Sylueira *opusc. 2. resol. 21. quæst.2.*

Et hæc sufficiant de Prima Parte Theologica. Ad laudẽ Dei, Optimi, Maximi, eiusque Genitricis Carmelitarũ Patronæ.



HISTO-

Digitized by Google

HISTORICO THEOLOGICVS

LIBER BIPARTITVS.

Supremum Christi Sacerdotium, Institutionem eius Vicarij, potestatem ligandi, atque soluendi eidem, collatam, & non interruptam hæreditariam permanentiam Successorum eiusdem, amplectens.

PARS II. POLEMICA.

Omnia tela aduersus prædicta, à Luthero, Caluino, cæteriſque eorum Asseclis fallaciter iaculata; fortiter, solidèque, veritatis patefactione, detundens.

PROLOQVIVM.

PLacidè hucusque actum est, acriter post hac decertãdum est; etenim quæ in antehabitis quæstionibus diluci dè, ac solidè tradidimus, adeò perperam ab Ecclesiæ perduellibus commentantur, vocantur in dubium, & falsi eloquij, figmentique arguuntur; vt non solum de ipsis sic meritò Sancta Mater Ecclesia conqueri possit: (a) *Circumdederunt me Viri*

(a) *Hierem.*

Digitized by Google

Viri mendaces, & sine causa flagellis ceciderunt me: verum & Augustinus ita etiam exclamare. (a) *Venit persecutor, & non fregit crura Christi; venit* Donatus, Lutherus, & Caluinus, *& disrupit Ecclesiam Christi. Integrum Corpus Christi in Cruce, inter manus persequentium est; & inter manus Christianorum non est integrum Corpus Ecclesiæ.* Non modo igitur ad tot iniurias Sanctæ Matri nostræ Ecclesiæ immeritò illatas, vlciscendas: verum etiam armis inimicorum eius confrigendis occurrimus, vt ipsis in totum in perniciem deletis; veritas de Supremo Christi Sacerdotio, potestate eius Vicarij, ac de non interrupta hæreditaria permanetia Successorum eiusdem, clarius cunctis pateat, & eluceſcat; cum teste Cassiodoro, (b) *melior sit opinio purgata, quam si desinentibus querelis non fuerit impetita.*

Ad præliandum ergo contra Hæreticos *prælia Domini* audacter insurgimus; & ne more nostri magni Patriarchæ Eliæ vnus quidem ex ipsis: aut vnum ex eorum impiè olim contra Papam, eiusque auctoritatem dictis, per Donatistas, Valdenses, Marsilium de Patauio, Ioannem de Gandauo, & Sagarellum de Parma, damnatos homines sparsis, quæ deinde Vuitclephus, Hus, Lutherus, Zuuinglius, & Caluinus Andabatarum more sequuti sunt, effugiat, vel remaneat: Dei auxilio freti, omnes, & vniuersa confutabimus; ita vt illud Augustini omninò verificetur: *Semper frustra circumlatrantibus Hæreticis, culmen auctoritatis Romana Sedes obtinuit.* Et tametsi istorum primi per Damasum, Gregorium, & ipsummet Augustinum euersi sint, & eorum discipulorum Gigantomachiam, Cardinalis de Vio, Caietanus, Melchior Canus, & Ignatius Fiumi Ordinis Prædicatorum, Guido de Terrena Cathalanus, Episcopus Maioricensis, & aduersus hæreticas prauitates Generalis Inquisitor; Thomas Vualdensis Anglus malleus hæreticorum: Thomas Beuxamis, Gal-

(a) *Enarrat. 2. in Psalm. 33.* (b) *Lib. 4. Epist. 44.*

Digitized by Google

Gallus, Oforum Ecclesiæ debellator, & Henrici III. Galliarum Regis Internuntius, & Ioannes Maria Verratus Italus, Lutheranorum, & Caluinistarum præcipuus expugnator Ordinis Carmelitarum, Gulielmus Lindanus, Ioannes Cochlæus, & Robertus Bellarminus ad exitium omninò perduxerint; abs re non erit, itidem horum doctrinam, & vestigia sequentes, contra ipsos Hæreticos in hac secunda parte, causam pro nostris viribus agitare. Attamen antequam ad rem ipsam conatus omnes paremus; opportunum sanè est, vt quibus Authoribus tot maledicta prodiderint, manifeste appareant, Lutheri, Caluinique vitam, res gestas, & toxicam eorum propaginem hic in *Parergon* breuiter recensere. Quod & si nos magnopere tædeat, tum sordidas Hæreticorum vitas summatim etiam describere, tum librum hunc ipsis turpiter fædare: nostrum Cyrillum Hierosolymitanum, sic loquentem (a) præ oculis habentes: *Quod licet os nostrum, & auditoris aures polluueremus, hoc tamen confert, nè aliquis ex ignorantia in sordes eiusmodi Hæreticorum incidat. Multo enim melius est accusandis, & reprehendendis alijs absurda audire, quam ex insciti in eadem incidere*; ad ipsas epilogãdas alacriter insurgimus, & primo sic de Luthero disserimus.

(a) *Catechism. 6.*

PARERGON

1 ANno redemptionis nostræ 1483. *Islebij*, Saxoniæ Oppido, sito in ditione Comitatus Manofeldiæ, pridie Diui Martini, paulò ante mediam noctem, ex Ioanne Lotter, & Margaretha Lindemana coniugibus, natus fuit, aut potius ex Orco in hanc lucem emersit quidam Infantulus, cui Martini nomen in sacro baptismali fonte fuit impositum, nempe Martis; eo quod totum Christianum Orbem impio bello erat aggressurus.

2 VberibusMatris igiturInfans hærēs, cum ad ætatē peruenisset, qua cætui Puerorum

Digitized by Google

adiungi posset, parentes, teste *Melãchone*, licet inuiti, scholis Islebij eũ mãciparũt. Erat Martinus aeris, facticis, vehementis, pertinacis tamen, atque impetuosi ingenij: cuius duriciem, vt à pueritia Parentes frangerent, paulò arctius filium tenuerunt. At ipse frænj feueriõris impatiens, pluries ab eis aufugit, sed statim comprehẽsus, decies, & quinquies ob hanc causam à Præceptore virgis cæsus fuit. Patriam interea relinquẽs, Magdeburgum primo studiorum causa, deinde ætatis suæ anno decimoquinto, Isennacum hac spe deuenit, vt à quibusdam Matris consanguineis in ipsa Ciuitate degentibus, aliquid subsidij obtineret; cum Parentes adeo modicæ fortunæ essent, vt stipẽdijs ipsũ studijs nequaquam alere possent: & hæc causa fuit, cur Martinus tàm Magdeburgi, quam Isennaci viueret emendicato pane. Positis tamen linguæ latinæ fundamentis, ad discendas artes liberales transiit, inter quas præcipuè Musicam amabat, quam absque præuio documento ad eum modum didicit, vt non tantum viua voce, sed, & Cheli fidibus suauiter cantillaret.

3 Cæterum ex Isennico Erphordiam insignem Thuringiæ Ciuitatem deueniens, vt vberiorem ingenij culturam in ipsa caperet; & adepto ibi bonarum Artium, & Philosophiæ fundamento: studio deinde Iurisprudentiæ Amicorum suasu, se totum impendit. At dum ita ageret, quidam ex ipsius sodalibus, quem Martinus summoperè diligebat, inopinato casu confossus interijt: qui casus non modo ipsum ab incepto Iurisprudẽtiæ studio auertit; verum & vt Religiosum statum susciperet, omninò impulit; eumque admirantibus sodalibus, qui nunquam in pectore Martini scintillam aliquam pietatis, vel religionis, sed omnium potius illius ætatis vitiorum semina inspexerãt, anno 1505. territus horrendo fulmine, Erphordiæ in Conuentu S. Augustini ad diem S. Alexii suscepit. Cum autem paulò post Erphordiam pater eius excurrisset, filium acriter obiurgauit, quod ipso inconsul-

to

Digitized by Google

to Regularis vitæ iugum, quibusdam terroribus impulsus subiisset; terrores præteritos existimans non à bono, sed à maligno potius spiritu immissos; propterea hortabatur, vt habitu S. Augustini relicto, ad sæculum regrederetur. At ille Parentis iudicium nihil moratus, in proposito perstitit, & elapso Tyrocinij anno, professionem suam solemniter emisit, ac studijs scholasticæ Theologiæ se totum mancipauit. Deinde tam minores, quam sacros Ordines de Superiorum licentia suscepit, præsertim anno 1507. sacrum Præsbyteratum, cuius primitias Dominica Quarta post Paschа Resurrectionis, de more celebrauit: sed in principio sacri Canonis, tantus horror eum subito inuasit, vt nisi à suo Priore detentus fuisset, omisso sacrificio, se ex Altari proripuisset. Ceu, & altera die, cum illud Euangelij Lucæ legeretur: *Erat Iesus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum*, iterum terror nimius, eum inuasit, & attonitus cadens in terram, hanc vocem, clamore terribili emisit: *Ab! Non sum Ego, non sum Ego.* Ex quibus terroribus, & similibus, occultum eius commercium cum Diabolo, apertè colligitur; siquidem Scriptores non pauci referunt, Margaretham eius Matrem, ab incubo Dæmone Proxenetæ habitu à Marito hospitio susceptо, compressam, Martinum ex illo concepisse: Hocque *Luthero*, aliquando ab *Erasmo Rotherodamo* per illusionem exprobatum fuisse, Authores multi testantur.

4. Vuittembergam interea ab Erphordia mittitur, vt in illius Vniuersitate Logicam, & Physicam cæteris legeret, eamque in Conuentu Augustiniano docuit; Verum cum eum disputãtem in scholis Martinus Polichius, Millerstadius, Sacræ Theologiæ, Iuris, & Medicinæ Doctor, attentè auscultasset, fertur ita dixisse: *Hic Monachus profundos habet oculos, mirabiles etiam habet phantasias, Doctoribus facessat negotium, & turbas dabit.* Fuit Lutherus viuo, & prompto ingenio, felici memoria, & vernaculæ linguæ, singulari eloquentia. E sug-

Digitized by Google

gestu declamans, velut Oestro percitus, accomodata verbis actione, auditorum animos mirificè percellebat, & velut torrens, quocumque vellet, rapiebat. In labore fuit patientissimus, in legendo, & scribendo assiduus, in quotidiana conuersatione affabilis; sed hęc omnia contaminabant eius ingentia vitia, præsertim insolens, & intolerabilis arrogantia; de qua Gesnerus Lutheranus sic ait. (a) *Dissimulari non potest, Lutherum ingenio fuisse vehementi, & qui neminem, qui cum ipso non sentiret, ferre posset.* hæc ille. Eius tamen lingua adeo virulenta conuicia effundebat, vt vix quisquam Amicorum eius aculeos, & morsus potuerit effugere: etenim nec sanctorum hominũ cineri pepercit, quod non semel, sed pluries ab Erasmo ei fuit exprobatum. *Lutherus*, inquit, *animum suum iniurijs, & conuicijs pascit, nec ijs satiatur vnquam, similis furioso Oresti.*

5 His tamen non obstantibus, Theologiæ lauream, Vuittembergæ in Ecclesia omnium Sanctorum, anno salutis nostræ 1512. ad diem 19. Octobris, per manus *Andreæ Rodolfi Bodenstein*, publica solemnitate suscepit. Hoc honore auctus, Theologiam scholasticam deinde publicè profiteri cæpit; & solita sua arrogantia rectus, ausus est Angelicum Doctorem, Subtilissimum Scotum, nostrum Resolutissimum Bachonium, cæterosque alios Doctores scholasticos carpere inter docendum, & taxare; quasi paulatim ad Theologos explodendos, & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ conculcandam, sibi viam præpararet. Et hic eius conatus fuit, primaque contra Ecclesiam Catholicam machinatio, qua egressus terminos à maioribus constitutos, ruptisque obedientiæ vinculis, in maximam libertatem erupit; ideoque omnia quæ sibi displicebant, pro libidine sua simul, ac semel euertit, cõculcauit, & mutauit, sicut in proprio cognomine etiam fecit: Nam *Lotter*, quod latronis vocabulum latinè indicat; in *Luther*; quod lingua Germa-

(a) *Bzouius ad annum* 1517.

Digitized by Google

matica *Parum* sonat, transmutauit.

6 Sed vt solita eius arrogantia fugillandi Doctores ex voto in scholasticos caderet, sic homo vafer eam occultabat, & dicebat: videlicet synceram Euangelii doctrinam, Philosophiæ eluuione obscuratam esse, hocq; scholasticorum culpa, qui in Christi, Prophetarum, & Apostolorum locum, Aristotelem, Philosophosque gentiles subinduxerunt: hinc factum est, vt quæ primis Ecclesiæ temporibus quondam Theologia fuerat, nunc per Monachos sophistas, omninò in Philosophiam sit transformata. Propterea laborandum erat, vt profligatis ab Ecclesia scholasticorum deliriis, ac Aristotelis philosophia explosa; primus nitor Euangelio, deinde Christo gloria, Apostolis authoritas, & antiquis Patribus dignitas, per sophistas ablata, omninò restitueretur. Huiusmodi autem Lutheri verbis pro munimine hoc accidit, videlicet quod studia linguarum Græcæ, Hebraicæ, ac politioris litteraturæ, sua tempestate in Germania cæperint, & magno cum applausu floruerint, & qui ea sequuti fuerant, diligentes verborum pompam; scholasticos Scriptores deinde fastidiebant: propterea D. Thomam, Scotum, Resolutum Bachonium, aliosque id generis Scriptores, horridos, incultos, barbaros, & linguarum, ac politioris sermonis ignaros vocabat; ideoque ab eorum lectione animum auertebant, se, eorumque Discipulos, & Historicos, Poetas, Rethores, & Scriptores Classicos elegantes auocabant, Luthero coniungebantur, ac propositum suum magnopere laudabant.

7 Talis igitur litteratorum hominum accessio, adeò Luthero spiritum addidit, & ferocitatem adiunxit; vt ipsis omnino hærens, ita Sanctam Matrem Ecclesiam oppugnauerit aperto marte, vt si ad eam tuendam quispiam, Theologicis tantum scientiis nutritus, & non potius Rethorum pigmentis delibutus, aut Poetarum floſculis ornatus in campum prosiliret; ipsum Lutherus non modo tanquam

Digitized by Google

quam indignum, & ignatum exsufflabat; verum & quosdam è suorum litterariorum grege aduersus mittebat, qui posquillos, & dentatos libellos amarulentis scommatibus, scarcasmisque refertos, spargerent: sicque Doctores Theologos, & Viros grauissimos exagitabant; qui nimmo contra ipsos anno 1516. Lutherus, de libero arbitrio disputare voluit, cuius propositiones Tomo primo suorum operum, ad hunc finem fortè inseruit, vt omnes sciremus, illum antequam anno 1517. contra Indulgentias blateraſſet, & bellum aduersus Dei Ecclesiam incepisset, iam animo deprauato, & corrupto fuisse, sicut paulo post, huius rei euentus iam confirmauit; etenim

8 Turgidus eo fermè tempore fama tantarum victoriarum Turcarum Imperator Selimus, impiè satagebat, non modo Romanorum Imperium prædare; verum & Christianorum Templa, receptacula suæ impiæ superstitionis fieri. Hoc Summus Romanus Pontifex Leo X. audiens, ad frenandam eius rabiem, sacram expeditionem in Turcas, omnibus Regibus, & Principibus Christianis indixit: Sed quia belli neruus pecunia est, sine qua nihil quidem geri potest; ad eam in bellum Turcicum conferendam, ad Imperatoris, aliorúmque Principum instantiam, Summus Pōtifex Iubilæum per omnes Christianorum Prouincias enunciauit: vt fideles homines qui ad præliandum prælium Domini minimè pergere poterant; eleemosyna saltem, vel quadam voluntaria contributione, bello succurrerent: sicque argentum, & aurum destinatum stipendiis à deuotis fidelibus colligebatur. Sed cum pro Iubilæi publicatione in Germania Archiepiscopus Moguntinus Sacri Romani Imperii Elector, à Summo Pontifice destinatus esset, & hic ad tale munus subeundum Fratres Ordinis S. Augustini primò assumpsisset, deindè Patrem Magistrum Ioannem Tetzelium, Ordinis Prædicatorum, Virum in publicandis Indulgentiis egregium, & approbatum (eo quod nuper

Digitized by Google

per fratribus Ordinis Militaris Theutonicorum à Moscouitis, aliisque vicinis hostibus angustiatis, amplam eleemosynam acquisiuerat) destinasset; hanc secundam electionem Patres Eremitani malè sensierũt, præsertim Martinus Lutherus Theologiæ Vuittembergæ ordinarius Doctor; propterea vt deuotam Germanorum liberalitatem frigefaceret, cæpit Indulgentias criminare, auaritiam Concionatorũ, & latrocinia exagerãdo, ex qua exageratione, siue melius detractione, quasi ex parua scintilla, tale incendium excitatum fuit, quo totus Christianus Orbis deinde exarsit.

9 Erat tunc Saxoniæ Dux Fridericus, qui summopere, tam supradicto Archiepiscopo Moguntino, quam Ecclesiasticorum magnitudini, & opibus inuidebat; ob hinc Lutheri detractionem statim tutatus est, illis promptas aures exhibens, qui eum prænonuerunt, Germaniam totam à recensitis Quæstoribus expilari, & auaritiam paucorum, totius Populi opibus vix expleri: mandans ipsis, vt tum Archiepiscopo, tum Indulgentiis acriter se opponerent, fauorem, & auxilium promittens. Illi autem Ducis suggestionibus acquiescendo, rem totam Luthero commiserunt, eique mandarunt; vt tam contra Indulgẽtias prædicaret, quam eorum vitia, quibus munus prædicandi illas commissum erat, ac commentitios abusus ab ipsomet somniatos, Populo ostenderet. Lutherus autem ambitione tumidus, quod munus iamdudum expetitum, sibi tandem fuisset demandatum, libens, ac lubens ipsum suscepit, & suggestum conscendens, nunc huc, nunc illuc discurrens, Indulgentiarum abusum, fraudes Prædicatorum, & expilationes mentitus, numquam odiosissimè perstringere, & exagitare cessauit.

10 Et licet ab his enormissimis erroribus, tam à suis Religiosis fratribus, quam ab aliis viris probatissimis, immo per Bullas speciales à Summo Pontifice benignissimè tunc admonitus fuerit, numquam tamen à cæpto proposito desistere

Digitized by Google

stere voluit, & ad semitas veritatis redire; sed rebellis lumini, Numini, Christo, Ecclesiæ, ac Romano Pontifici, in sua impietate, & pertinacia permansit, quam sic publicè cæteris demonstrauit. Lypsiæ dum simul cum Ioanne Eckio disputasset, & arroganter, immodesteque in certamine se gessisset: admonitus à Ducis Saxoniæ Consiliarijs, vt in ipsa Academia modestè ageret, sic temerè & audax eis respõdit. *Nec propter Deum hæc res incepta est, neque per Deum finietur.* Ita igitur maledicus obstinatus, & contumax in sua iniquitate perseuerans, anathemate è Throno Apostolico iure optimo percussus fuit, & vt membrum putridum ab Ecclesia Dei abscissum, Satanæ, cæterisque eius consortibus deinde traditus, & derelictus.

11 Hoc autem Lutherum minimè terruit, sed ei potius omnino placuit: etenim per hoc Diabolo magis hærens, talem familiaritatem cum ipso contraxit, vt non modo quod eum benè nouerit, sed etiam quod eius Magister exiterit, palam cõfessus est, his verbis: (a) *Crede mihi: bene, immo valde bene noui Diabolum; mecum in dormitorio nonnumquam deambulat. Quando cum hominibus sum, non nocet mihi: cum vero me solum deprehendit, tunc docet me mores. Ab ipso enim argumenta audiui, & grauiora quidem. Nam habeo vnum, & alterum Diabolum mirabilem, à quibus diligenter obseruor, & admodum intentè. Sunt enim non vulgares sed magni Dæmones, immo inter Diabolos magni Doctores in Theologia.* Quæ autem lemmata Doctor in Theologia Diabolus Lutherum suum discipulum docuerit, intimus eiusdem Lutheri amicus Doctor *Ionas*, e Germanico exemplari Ienensi, *tom. 6. fol.* 28. sic in latinum vertit, & extat Tomo septimo operum Lutheri, Vuittembergæ, per Typographum Thomam Klug anno 1557. excuso. (b) *A me ipso incipiam, inquit, & coram vobis doctissimis Ia-*

(a) *In colloquiis mensalib. Germanicæ editis fol. 275.* (b) *Lib. 1. de missa angular. & consec. Sacerd. to. 6. Ienensi pag. 28.*

Digitized by Google

Patribus paruam confessionem faciam, reddite mihi bonam absolutionem, quæ vobis non sit dedecori. Contigit me semel sub mediam noctem subitò expergefieri, vbi Satan mecum cepit huiusmodi disputationem: Quemadmodum ille sapissimè alijs noctibus multum mihi negotij facessit. Audi, inquit, Luthere Doctor, perdoctè nosti etiam, te quindecim annis celebrasse Missas priuatas penè quotidiè. Quid si ibi non adfuisset Corpus, & Sanguis Christi, sed tantum panem, & vinum adorasses, & adorandum proposuisses? Quid si tales Missa priuatæ essent horrenda Idolatria? Cui Ego respondi: sum vnctus Sacerdos, accepi vnctionem, & consecrationem ab Episcopo, & hæc omnia feci ex mandato, & obedientia Maiorum. Quare non consecrassem, cum verba Christi seriò pronunciarim, & seriò Missam celebrarim? Hoc nosti: hoc totum inquit verum est; sed Turcæ, & Gentiles etiam faciunt in suis Templis omnia ex obedientia, & seriò sua sacrificia faciunt. Sacerdotes Ieroboam faciebant omnia certo zelo, & studio contra Sacerdotes in Hierusalem. Quid si tua ordinatio, & consecratio falsa esset, sicut Turcharum, & Samaritanorum falsi Sacerdotes, falsus, & impius cultus est? Hic certè sudor, & cor mihi tremere, & palpitare cepit. Diabolus argumenta sua commodè ad oppugnandum disponere, & vrgere nouit, habetq; grauem, & fortem vocem, & huiusmodi disputationes non diu, multumq; deliberãdo peraguntur, sed in momento vna responsio aliam accipit. Atque Ego tum benè expertus sum, quomodo fiat, quod manè homines in lecto mortui inueniuntur. Potest occidere corpus: Hoc vnum: potest etiam Animas in disputando in tantas angustias redigere vt in momento illi migrandum sit è corpore; quo me sæpenumero quam proximè adduxit. Certè in hac disputatione comprehenderat me. Ego vero tam innumerabilium blasphemiarum cumulũ inuitus coram portassem, sed innocentiam meam libenter defendissem. Itaq; attendebam illi, quas causas contra meum Sacerdotium, & consecrationẽ haberet,

Digitized by Google

12 Primum. *Nosti, inquit, nullam te hactenus habuisse cognitionem Christi, nec veram fidem. & quod ad fidē attinet, nihil melior fuisti quouis Turca; nam Turca, immo, & omnes nos spiritus reiecti, etiam credunt, quæ de Christo scripta sunt, Iacobi 3. Hoc est, quando sit natus, mortuus, & ad Cœlum ascenderit: Sed inde nostrum nullus quidquam consilij capit, tamquam de suo Saluatore, sed timemus eum tamquam seuerissimum Iudicem; talem fidem & tu habes, quia vos omnes, relicto Christo, ad Mariam, & Sanctos accedistis, illos pro Christo vt tutelares implorastis; hoc nec tu, nec quisquam Papistarum negare potest. In hunc finem tu ordinatus es, & Missas celebrasti tamquam Ethnicus, & non vt Christianus. Quomodo ergo consecrare potuisti, qui non fuisti persona, quæ consecrari possit?*

Secundo: *Ordinatus es, & consecrasti præter ordinationem, & voluntatem Christi: nam Christus vult, vt Sacramentum, vel Missa sic administretur, vt Christianis, vel alijs porrigatur: nam sacrificulus eris Minister Ecclesiæ, qui distribuat Sacramenta, & concionetur, quemadmodum ipse verba Christi in Cœna Domini, & prioris ad Corinthyos, cap. 11. expressè requirunt: vnde & à veteribus Patribus, communio dicitur, quod non solum Sacerdos sumere, sed alij simul accipere debeant. Iam vero contra huiusmodi Christi voluntatem per quindecim annos semper huiusmodi Sacramentum solus accepisti, nec cuiquā porrexisti: imo hoc prohibitum tibi fuit, nec omnino licuit alijs porrigere. Qualis est hæc ordinatio, et cōsecratio? Qui tibi soli, & nō Ecclesiæ ministrasti.*

Tertio. *Christus vult, vt coram Sacramento de se ipso, & sua morte fiat concio, quemadmodum: Hoc facite in meam commemorationem, hoc est annunciate (vt Paulus loquitur) meam mortem, donec venio; sed tu angularis sacrificulus nullum verbum concionatus es, nec Christum confessus es, in omnibus angularibus tuis Missis solus sumpsisti, solus tecum mussitasti: hoccine est Christi voluntati satisfacere? hiccine est verus Sacerdos? haccine est*

San-

Digitized by Google

Sancta ordinatio? sacrum Clericalem dignitatem, & ordinationē accepisti, & exercuisti?

Quarto. Christus vult, vt sit commune Sacramentum, quod alijs Christianis communicetur: tu autem ordinatus es, quod Deo offeras; nec in Sacerdotem Testamenti, sed in Sacerdotem oblationis ordinatus es: quemadmodum sonant verba Episcopi suffraganei, cùm Calicem traderet tibi in vnctas manus; & diceret: Accipe potestatem consecrandi, & offerendi pro viuis, & mortuis. Hęccine est peruersa ordinatio quod tu tamquam priuata persona ex eo diuinam oblationem facis, quod in communem cibum à Deo per ministerium Sacerdotis Christianis porrigendum ordinatum est? ò abbominationum abbominationem!

Quinto. Christus vult, quemadmodum dictum est; vt Sacramentum hoc distribuatur, quo Christiani eo in fide confirmentur, & Christum publicè laudibus celebrent: at vero tu priuatū inde opus fecisti, quod tuum sit, quod perfecisti absque ministerio aliorum, & huiusmodi opus alijs applicasti, & pecunia vendidisti: Quid horum negare potes? Vbi tam ordinatus es, qui verā fide caruisti? qui contra omnem ordinationem, & voluntatē Christi ordinatus es in priuatum sacrificulū, non in publicum Ecclesiæ Sacerdotem, qui nulli Sacramentum porrexisti: nihil in eius præsentia concionatus es: qui solus contra Christum ordinatus es, ordinatio tua falsa Antichristiana, & re vera nihil est: quamobrē, nec cōsecrasti, sed merum panē, & vinum obtulisti, sumpsisti, adorasti, alijsque adorandum monstrasti.

Vides hic in tua Missa primum, nec Personam esse, quæ consecrare debeat, aut possit, nimirum hominem Christianum, & fidelem.

Secundo, non adest Persona cui debeas consecrare, & porrigere, nimirum Christiana plebs: sed tu impiè, & infidelis Sacerdos solus hic stas, & arbitraris Christum tua tantum causa constituisse, & velle; vt tu solus suum Corpus, & Sanguinem consecres: cum tamen re vera ipsius non membrum, sed bestia existas.

Tertio, non adest ipsissima

Digitized by Google

intentio, & fructus, aut vsus, qualia Christus requirit: nam institutum est Sacramentum, quo Christiani cibentur, & confirmentur, Christum prædicent, & celebrent: Iam Christiana plebs demissa nihil nouit, nihil de te audit, nihil accipit, sed tu tacens, illic in angulo, deuoras omnia solus, qui tamen incredulus es, & indignus, neminem eo pascis, sed vendis, tamquam epus supererogationis.

In his angustijs, in hoc agone, contra Diabolum volebam retundere hostem armis, quibus assuetus eram in Papatu, obijciebamque intentionem, & fidem Ecclesiæ, scilicet quod Missas priuatas in fide, & intentione Ecclesiæ celebrasse: etiam si Ego inquam, non rectè credidi, aut sensi; tamen in hoc rectè credidit, & sensit Ecclesia. Verum Satan, contra vehementius, & fortius instans: Age, inquit, prome, vbi scriptum, quod homo impius, incredulus possit assistere Altari Christi, & consecrare, atque conficere in fide Ecclesiæ? Vbi iussit, aut præcepit hoc Deus? quomodo probabis, quod Ecclesia intentionem tibi impartiatur ad hanc tuam Missam priuatam? si nunc verbum Dei non habes, sed homines hoc docuerunt sine verbo, tunc tota hæc doctrina est mendacium, &c.

13 Hæc est virtuosa sermocinatio Magistri Diaboli cum tuo discipulo Luthero, quam cũ Protestantibus *Bellarminus* obijcijsset, vnus eorum *Ioannes Regius* dictus, eam non negauit, sed solum Bellarmino respondit; Dæmonium illud, quod Lutherus Satanam vocat, non fuisse spiritum nequam, vel si fuerit, in eo nõ fuisse mentitum, dum Luthero Missam dissuaderet. En eius responsionis verba. (a) *Vnde tibi*, inquit, *malum fuisse ipsum Spiritum, qui hoc dixerit? & posito licet malus fuisset, non sequitur, eum mentitum fuisse, qui & vera interdum Diaboli loquuntur.* Sed spiritum ipsum Diabolũ fuisse, non modo ex verbis sermocinationis eius sic apertissimè constat: *Nos spiritus reiecti.* Verum & huic veritati adstipulantur *Zuinglius*, in responsione ad confessionem

(a) *Apolog. pro Confes. August. pag.* 123.

Digitized by Google

nem Lutheranã, ita inquiens: (a) *En vt totum istum hominem Satan occupare conatur?* Vuhitakerus, rationi Edmundi Campiani, ita respondens: (b) *Non terrent ista Vualsigamum, sed nolens persistere in doctrina reuelata à Diabolo, obiurat hæresim, & redit ad Ecclesiam Catholicam*, Ferdinandus Balduinus in libello talis argumentationis, ita referens. *Id quod de Missa, Eucharistia & Ordinis Sacramẽto docuit, & dixit Lutherus, à Diabolo verè, & serio accepit; Diabolo omnino credidit, nec tamen est mendax, quoniam fas est, etiam ab hoste doceri.* Ac tandem Conradus Regius scribens, Spiritum illum non modo Diabolum fuisse, sed ob peccatum Superbiæ immissum fuisse à Deo in Lutherum. (c) *Deus*, inquit, *propter peccatum superbiæ, qua sese Lutherus extulit, verum illi Spiritum abstulit, atque in eius locum, iracundum, fastuosum, atque mendacem spiritum dedit, qui in omnibus his manebit, qui partes ipsius sequuntur.*

14 Quod omnino verum est: Nam, secundum verum Spiritum antea eruditus, pluries signo Crucis se muniens, Sanctissimæ Trinitatis Mysterium cæteros edocuit. A spiritu deinde fastuoso, & mendaci inflatus; precem illam, *Sancta Trinitas vnus Deus*, perfidè è Lytanijs abrasit, quasi nouum figmentũ à Papistis somniatum, & non potius Euangelium D. Matthæi, vbi Christus Discipulis suis ait: (d) *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* sic pariter edoctus prius à vero Spiritu, in Cap. 9. Exodi, Deum esse auctorem peccati negauit: *Quia propria cuiusque culpa est*, inquit, *quod damnatur.* Ab iracundo Spiritu postmodum falsitate imbutus, in suis Assertionibus affirmauit, (e) Deũ esse Auctorem peccati, & ita

15 Antequam Lutherus à Diabolo possideretur, in Eucharistia veram transubstãtiationẽ esse procul dubio agnouit, dum in sermone de Ve-

(a) *Tom. 2. fol. 178.* (b) *fol. 155.* (c) *Lib. German. cont. Ioannem Hessum de Cœna Domini.* (d) *Cap. 28.* (e) *Artic. 36.*

Digitized by Google

Venerabili Sacramẽto, sic eã tuetur: (a) *quemadmodum panis ille, in verum, ac naturale ipsius Corpus, & vinum in naturalem ipsius Sanguinem verè transmutatur, sic quoque*, &c. Factus autem Diaboli Discipulus, in libro de Captiuitate Babylonica, supradictam veritatem retractauit. Sic etiam existens Catholicus, in Euangelio de Festo Deiparæ asseruit, Beatissimam Virginem omnes præcellere sanctitate, sic inquiens: *Nulla mulier tam sancta est, nec fuit, nec erit imposterum, quam Maria*; factus autem totus Diabolicus, in sermone de Natiuitate Beatæ Virginis palynodiam decantauit, blasphemans, quod *Non minus Sancti nos sumus, atque Maria, & alij Diui, quantumuis magni si modo in Christum credimus.*

16 Item Vitam Religiosam gerens in Claustro, in libro de primo præcepto; Sanctorũ suffragia admisit, ita scribens: *Ad Sanctorum suffragia recurrendũ omnimodo, sicut in Iob dicitur, ad aliquem Sanctorum conuerte*, & deinde Hæreticus effectus, in *sermone de Mammona*, supradictam veritatem turpiter negauit.

17 Item mente antea sanus, in concione de confessione, auricularem confessionem per hæc verba asseruit: *Non est contemnenda confessio auricularis propter absolutionem, & Euangelij verbum, quod ex Sacerdote audis.* Insanus deinde factus; in postilla *Domine reminiscere*, sic blaterauit: *Qui habet fortem, & firmam fidem quod dimissa sint sibi peccata sua, is potest confessionem omittere.*

Verum talem blasphemiã attonitus noster Ioannes Maria Verratus audiens, eam acriter arguit, ac sequentibus verbis in terrã reiecit: (b) *Primo igitur aduersus Lutherũ, ac eius fautores sic insto. Christus verus Deus, & homo, dedit Apostolis suis authoritatem, & potestatẽ remittendi, ac retinendi hominum peccata, vt in Euangelio Ioannis cap. 20. liquet; Ergo dedit eis authoritatem cognoscendi peccata. Cõsequentia de se claret, quoniam remittere, vel retinere peccata, est*

(a) *Tom. 7 fol. 20* (b) *Lib. cont. Luth. disp. 6. concl. 1 fol. 129.*

Digitized by Google

rundem cognitionem insinuat. Impossibile est enim, aliquem remittere, vel retinere aliorum peccata, nisi prius praecognoscat illa. Vlterius Apostoli habuerunt authoritatem cognoscendi hominum peccata, igitur & potestatē habuerunt audiendi illa. Consequentia est clara, quia eum peccata, quae confiteri debent, sint secuta, non possunt cognosci, nisi prius audiantur. Ergo manifestè constat, quod si Christus dedit Apostolis authoritatem, & potestatem remittendi, & retinendi peccata; dedit & potestatem cognoscendi simul, & audiendi, ac per consequens, authoritatem super peccatores. Ergo à primo ad vltimum sequitur, Apostolos institutos esse Iudices omnium peccatorum (vt intuenti liquet) quia si secus dicatur, tunc sic insto. Apostoli non sunt Iudices peccatorum; ergo non habent authoritatem remittendi, et retinendi eorum peccata. Consequentia est nota; Consequens vero est contra illud, quod Christus dixit Apostolis suis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: quorum retinueritis retenta erunt. Igitur dedit eis potestatem iudicandi inter peccata dimittenda, & retinenda; & ex consequenti liquidum est, Apostolos constitutos esse Iudices omnium peccatorum. Ergo omnes peccatores tenentur subesse eorum Tribunali, & iudicio; & per consequens ex Diuino praecepto tenentur eis, vel eorum successoribus sua peccata confiteri. At forte Lutherani hac ratione evacti, dicent: Concedimus, Apostolos fuisse Iudices ordinarios omnium peccatorum illius temporis, Sed quod nunc Summus Pontifex, Episcopi, & alij Sacerdotes, sint Iudices ordinarij, sicut fuerunt Apostoli, hoc restat probandum. Respondetur, quod omnis potestas data à Christo Apostolis, in eosdem Sacerdotes translata est, aliter eadem ratione posset probari, quod neque Papa, neque Episcopi, minusve alij Sacerdotes haberent authoritatem, & potestatem baptizandi, nec consecrandi, nec praedicandi, eo quod illa potestas tantum Apostolis fuerit concessa; & sic quaerendum est à Lutheranis, qua authoritate ipsi baptizant, praedicant,

Digitized by Google

dicant, & alijs sacra cõficiunt? Si dicant, hanc plerique facultatem habuisse à Christo, vel ab Ecclesia; Ergo potestas illa translata est ab Apostolis ad suos Successores, & non est maior ratio de vna, quam de alia.

18 Item. Antequam cum Diabolo societatẽ iniret, quia de æterna salute præuijs meritis Christi non parum sperabat; in libro de *Visitatione Saxonica* approbauit, opera bona esse necessaria ad salutem. Reprobus postmodum factus, in libro *de Captiuitate Babylonica*, cap. de Baptismo, & Votis, similem sententiam retractauit. Pluribus tandem omissis in sermone *de Indulgentijs*; celebrationem, & vsum Missæ, sic palam comprobauit: *Mihi dubium non est, Missam pro Defunctis celebratam, efficaciorem, & meliorem esse ad redimendas animas, quam sunt Indulgentiæ per Missam quæstæ.* In libro autem *de abroganda Missa*, tamquam Calephanta, contrarium asseruit, propterea Ioannes Etemberga in suis cõfutationibus de 874. errori-

bus Lutherum convincit.

19 Ex quibus omnibus manifestè apparet, Lutherum in proferendis similibus blasphemijs, non ab alio, quam à suo Magistro Dæmone, tãquam periurum, & mendacẽ instructum fuisse. (a) *Caueamus sollicitè Hæreticos*, inquit Vualdensis, *quia ipsorum vitam non tam Deus, quam Diabolus fortè instruxit.* Quod etiam illud detestabile mendacium, quod in Sermone *de Matrimonio*, & *Epithal.* anno 1522. spurciter docuit, videlicet *Cælibatum indicere Sacerdotibus, & esse omnino tyrannicum*; satis probat. Etenim, illis omnibus, qui in Monasterijs, & Collegijs viuebãt, votis Obedientiæ, Paupertatis, & Castitatis adstricti, ad indulgendum eorum carnalibus desiderijs, simili turpi blasphemia Lutherus ianuam libertatis aperuit, sicut iam in Monialibus Monasterij Nimicensis infaustè cõtigit; quandoquidem vix lectis Lutheri libellis, statim de excutiendo fræno Monastico cogitare cæperunt. Propte-

(a) *Tom. 1. doctr. 8. num. 3.*

Digitized by Google

pterea Parentes instanter rogarunt, vt eos de vitæ molestijs liberare vellent, sed cum illi negligerent; quidam ciuis Torgauiensis, *Leonardus Coppius* nomine, per Lutherum instigatus, nouem Virgines ex ipso Nemicensi Cœnobio vna nocte abstulit, & penès Vuittembergã deduxit. Quãtum Luthero gratum fuisset hoc graue peccatum, incredibile est dictu: Nam statim edito libello, non modò tantũ scelleratissimum facinus summoperè commẽdauit; verùm & raptorem Coppium ad sydera extulit, ipsum *Beatum raptorem* nominans, vtpotè, qui bonas Virgines Deo sacratas, in carnis libertatem posuerat.

20 Ex fugatis autem nouem Monialibus vna fuit, *Catharina de Bore* nomine, quã obtentu matrimonij per biennium inter scholares Vuittẽbergẽses sortatã: anno deindè 1525. incestuosis nuptijs Lutherus ipse copulauit, refert Osiander his verbis. (a) *Catharinam Boram Monialẽ, ipse Monachus, re cum Amicis haud communicata, vespere vocatis ad Cænam Pomerano, Luca pictore, & Apello Causidico, sibi desponsauit. Hæc ex Epistola Melanchthonis ad Ioachimũ Camerariũ.* Sicq; recensitis nuptijs omninò euersurã tyrannidẽ cœlibatus, Lutherus existimauit. Sed quanti scandali hoc enormissimum peccatũ fuerit, Orbis vniuersus est demiratus, Rex Angliæ Henricus VIII. literis ipsum ita Luthero exprobauit. *Admiror quod te non pudet serio leuare palpebras, & vel in Deum, vel in hominem probum oculos intendere, qui te passus sis, instigante Diabolo, in eam ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptias, & obscœnas libidines: cũ Frater Augustinianus esses, Monachã Deo dicatam, scelerato complexu violaris.* Ioannes verò Oecolampadius Monachus Brigittanus, Lutherum vocauit, *Gnatonem, adulatorem, Principum deceptorem, seductorem, pseudoprophetam, Anti Christi proximum consanguineum, lasciuum, suem cum sanguine, Mactatorem Christi, qui monstruosa dogma-*

(a) *Epitom. centur. 16. pag. 97.*

Digitized by Google

sa in Ecclesia Dei docet, qui sui cerebri figmenta, non secus, ac Dei oracula haberi vult, & Haresiarcham se declarat. Sed ipse parum similibus iniurijs aures adhibens, immersus totus in mundi, & carnis illecebras, iuxta illud Psalmi: *Facti sunt velut ea, quæ dilexerunt, & transierunt in affectu cordis*; Non amplius Christū cognoscebat, sed hæc verba tantum pro solatio suo eructabat. (a) *Ego Martinus Luther, vix vllam consolationem ex Morte, & Resurrectione Christi capere possum: bonis autem corporalibus à Deo acceptis, vt edere panem, & bibere cerusiam, optimè possum.*

21 At, quantū verum est illud *Augustini*, videlicet quod in omnibus Mundi delectationibus, nulla reperitur requies: *inquietum est cor nostrum*, inquit, *donec in te Domine requiescat*. Etenim nec ingluuie, aut immodica libidine Lutherus satiatus, grauissimis conscientiæ stimulis cæpit deinde valde agitari; eo quod Monacus voto castitatis adstrictus, publico incestu, & sacrilego cōcubitu, Virginem Deo consecratam sub matrimonij nomine temerasset. Ipsum audiamus cōscientiæ suæ testimonium, libro de abusu Missæ ita perhibentem. (b) *Quam sæpè mihi cor palpitauit, meque coarguit, atque obiecit; tune solus sapiens, cæteri omnes errant, ac tanto tempore errarunt? Quid si tu erres, ac tot in errorem seductos perpetuo supplicio condemnes?* Sed iterum conscientiæ tortricis cruciatus, in sermonibus conuiualibus sic aperuit: *Pergraues mihi fuerunt ista cogitationes: Tu solus purum, atque immaculatum Dei verbum habes? cæteri omnes eo destituuntur? Quod Christiana Ecclesia decreuit, totque annos credidit, tu impugnas, ac tanquam falsum euertis? Quin & tua doctrina Politicum, atque Ecclesiasticum regimen conturbat.* Et denuo in colloquijs (ab Aurifebro eius Auditore, & Discipulo ex proprio ore Magistri sui collectis) sic fol. 258. 273. & 291. intimis cordis suspirijs,

(a) *Tom. 3. de Christianis* (b) *Tom. 2. Ienensi lib. de abus. Miss. fol. 9.* (c) *Fol. 10.*

Digitized by Google

rijs, Lutherus exclamauit: *O quam magnam multitudinem hominum per doctrinam tuam seduxisti! omnem hunc tumultum tu fecisti!* Ob hinc pœnitebat eum à Sancta Fide Catholica defeciſſe. *Istas cogitationes*, proſequitur, *nunquam ex animo demitto, quin optimè vellem hanc me causam numquam incepisse*. Sed vt eum lic triſtem *Melanchon* fidus Achates lætificaret, hilariotibus colloquijs eſt conſolatus; in epiſtola ad Ioachimum Camerarium ipſemet ſcribit. (a) *Quoniam*, inquit, *Lutherum quodammodo triſtiorem, & perturbatum ob vitæ mutationem cerno, omni ſtudio, ac beneuolentia conſolari eum conor*. Sed in caſſum, cum nec dulcia, aut familiaria Melanchonis colloquia; nec etiam veſci capreis, ceruis, cuniculis, anſeribus, turdis, cæteriſque auiculis: Nec non lucanicis, aut iuſculis quibuſdam, quæ non ſolum opiparè condiuntur, ſed etiam ſanguine, vel liquido tinguntur, vel adipe craſſo, & coagulato forciuntur; inteſtinum Lutheri malum, animique ſui paſſiones nequaquam ſanari, aut tegi potuit; (b) *Quia nulla pœna grauior eſt*, inquit Iſidorus, *quam pœna conſcientiæ*; cum ipſa, teſte Seneca, ſit (c) *ante peccatum frænum, & poſt peccatum flagellum*. Propterea ipſum cum amplius ſuſtinere nequiret, veritatem tandem Lutherus confeſſus eſt, videlicet, (d) *Sanctiorem ſe fuiſſe in monachatu, quam eſſet cum Apoſtata viueret: ſe in Papatu verâ Caſtitatem ſeruaſſe, Paupertatem, & Obedientiam, Ieiunijs, & Orationibus deditum fuiſſe*: (e) *modò autem ferueo libidine, pigritia, otio, ſomnolentia, & ab octo diebus nihil orare*.

22 His tamen conſcientiæ ſtimulis nihilo placatior factus, aut melior effectus, ſed in ſua feritate potius magis, ac magis oſtinatus; ſolo prædicationis ſuæ biennio, Papã, Cardinales, Eccleſias; harumque turres ſe iactabat deuaſta-

(a) *Lib. conſil. Euang. p. 1. pag. 38.* (b) *Lib. 2. ſoliloqu.* (c) *Epiſt. 97.* (d) *To. 5. latin. comment. ad Galat. 1.* (e) *Epiſt. ad Melanch. lemæ impr. latin.*

Digitized by Google

tutum. At non modò optato biennio; verum, quod maximè mirum est, septemnio prędicationis suæ elapso; non Papę Cardinaliumque victorem, (a) sed à Zuuinglio Carolitadij Discipulo superatum, & deuictum se agnouit. Propterea contra ipsum sic colericè paulò ante mortem protestatus est, (b) *Ego iam morti proximus, hoc ante Tribunal Dei testimonium, ac gloriam feram, quod toto corde condemno, ac reijcio Zuuinglium, Carolitadium, Oecolampadium, eorumq; sequaces, nec cũ quoquã eorum amicitiã inibo, nec cũ eis per litteras, scripta, verba cõmunicabo, quẽadmodũ præcepit Dominus.* Intellige *Diabolũ*. Cæterũ, teste Baronio, improuiso laqueo iugulatus, Islebij in ędibus paternis miserabiliter interijt, & in Infernum abijt, flammis perpetuis, cum Angelis desertoribus arsurus. Eius portò funus, Dæmones, scribit Zilmannus Brẽdembachio, solemniter celebrarunt. (c) *Dæmones*, inquit, *cum interrogarentur, vbi pridiè delituissent, responderunt. Principem ipsorum, & Archidæmonẽ præcepisse, vt vniuersi spiritus maligni ad sui Propheta, & fidelis coopenarij D. Martini Lutheri exequias confluerent; congruere enim, vt qui quamplurimos ad Inferos ipse duxisset, & à quamplurimis ad eosdem solemniter duceretur.* Cadauer verò, Islebio, vsque Vuittembergam sepeliẽdum, Corui plurimi comitarunt, refert apud Augustinum Mannum supracitatus Zilmannus. (d) *Cum cadauer Islebio Vuittembergam veheretur, toto illo itinere innumerabilem Coruorum, horrendum in modum crocitantium multitudinem scimus superuolitasse, ac Vuittembergam vsque comitatum suũ præstitisse. Atque hi fuerunt illi, qui mandato Principis, & Archidæmonis sui, ad exequias Martini confluxerũt, nè quisquam istorum tantis deesse videretur solemnijs.* Morti proximus hãc inscriptionem iussit tumulo suo apponi; *Pestis eram viuens, moriens mors ero tua Papa.* Viuens verò pestis, & itidem moriens extitit: Cũ enim

(a) *Bellarm. in notis Ecclesiæ Dei* (b) *Tom. 2. German. de Cœna Domini fol. 174.* (c) *Lib. 7. c. 39. collat. sac. Verbi.* (d) *Hist. select. cap. 26.*

Digitized by Google

enim eius cadauer in media hyeme, quo tempore corpora mortua sine fœtore in multos dies conseruari solent, clausum in arca stamnea benè occlusa, Islebio vsque Vuittembergam sepeliendum deferretur, (a) tam *tetrum odorem* spirare cæpit, vt eum ferre potuerit nemo: Proinde in itinere ipsum relinquere portitores coacti fuerunt. Sicque pestis viuens & moriens Lutherus fuit. An autem Papæ, Cardinalium, Monachorum, ac totius Ordinis Ecclesiastici, vt se iactabat, extiterit etiam morsè euanidus, & frustatorius comprobauit euentus; & tantum abest, vt Papatus, & Ordo Ecclesiasticus interierit, vt ex perduellium fidei oppugnatione magis illustrior, & vegetior euaserit. Ridicula quædam miracula in vita edidit, sed quia nos tam à risu, quam ab effanijs recensendis omnino abstinere debemus, ad *Ioannem Cochlæum*, *Gulielmum Lindanum*, & *Surium* ipsa narrantes, remittimus lectorem.

ET HÆC VITA, ET GESTA Impijssimi Martini Lutheri sunt, quænam autem fuerit eius

TOXICA PROPAGO? licet sparsim existat in *Panoplia* (b) Lindani; per seriem tamen à nobis collecta, sic ordine annorum seruato, cæteris eam exhibemus.

23 LVTHERO iam diabolicè hæreticanti, Philippus *Melãchon* (c) Monachus Brigittanus: Desiderius *Erasmus* Rotheradamus, Canonicus Regularis Sancti Augustini, & Andreas *Carolitadius*, Archidiaconus Vuittembergensis, sese comites adiunxerunt: Verum, Lutheri doctrinam sequi dedignantes, varias Lutheranorum sectas ob hanc causam erexerunt; inter quos præcipuè sunt Mollium, Rigidorum, & Mixtorum.

24 MOLLES, sunt Lutherani à Philippo *Melãchone* progeniti, puram Lutheri doctrinam minimè retinentes, sed Confessionem Augustanam; Interim Cæsareum, & omnes Lutheri libros enu-

clean-

(a) *Apud Cochlæum in Actis Luth.* (b) *Postrem. edition. Colon. Agripp.* 1376. (c) *Ibid. sup. fol.* 310. *fol.* 96. & 106.

Digitized by Google

cleantes, & corrigentes; & hos sequuntur,

Adiaphoristæ, sic dicti, eo quod cæremonias, & Constitutiones Ecclesiasticas, inter *Adiaphora*, hoc est, indifferentia collocarunt: videlicet, siue seruentur, siue non seruentur, in pari iure sunt. Pro bono tamen Religionis, & pacis, permittunt suos cæremonijs Catholicorum vti.

Pœnitentiarij, anno 1539. ex staphylo orti, & sic dicti, eo quod doctrinæ *de Sacramento Pœnitentiæ* septem errores perniciosissimos admiscuerunt; & inter hos, Periti Lypsiæ, & Vuittembergiæ numerantur.

Trisacramentales, anno 1540. etiam ex staphylo orti, & sic dicti, eo quod tantum *tria Sacramenta*, (a) nempè Baptismum, Cænam, & Absolutionem confitentur.

Quadrisacramentales, anno etiam 1540. nati, & sic dicti, eo quod supra recensitis tribus Sacramentis *quartum*, (b) nempè Sacerdotium addunt.

Biblistæ, anno 1543. sic autem vocati, eo quod in dogmatibus propugnandis, *purum tantum scripturæ textum* proferri volunt; Patrum verò expositionem reijciunt, studia Philosophica execrantur, & suos ad opera tantum mechanica adstringunt.

Maioristæ, anno 1550. à Georgio *Maiore* (c) progeniti; & hi docēt, opera bona etiam Infantibus necessaria esse ad salutem, quod olim Augustinus damnauit. Denique

Eberiani, anno 1568. à Paulo *Ebero* originem ducentes, & tam Lutherum molliter, quam adiaphoras Melanchonis opiniones, de necessitate operum, & de Cæremonijs defendunt: laudant etiam summopere Melanchonem, eo quod multa Lutheri placita correxerit.

25 RIGIDI verò Lutherani illi dicuntur, qui *Confessionem Augustanam*, (d) libros Lutheri, & interim Cæsareum, tamquam purum Dei verbum venerantur. Auctorem eorum *Matthiam Flaccum*, Illiricum agnoscunt, & ipsos sequūtur.

Con-

(a) *Lindan. lib. 4. c. 6.* (b) *Ibid. sup.* (c) *Ibid. sup. c. 47. & 48.* (d) *Lindan. lib. 3. c. 28. in fine.*

Digitized by Google

Confessionistæ, anno 1530. nati, & à *confessione Augustana* (a) sic dicti, quam Lutherus excogitauit, & Melanchthon descripsit; cuius finis est omne ferè dogma, quod in Fide Christiana Catholicum est, radicitus pessundare; quam confessionem Carolo V. Imperatori in Comitijs Augustanis obtulerunt, & eius articulis Carolus non modo eruditissimè, catholicèque respondit; verum & omnes acerrimè confutauit.

Mansfeldenses, anno 1532. ita vocati, eo quod confessionem Comitum *Mansfeldensium* sectantur, & Lutheranis nouam doctrinam inuehunt.

Amsdorphiani, anno 1533. à Nicolao *Amsdorphio*, dogmata Lutheri, præsertim illa, quæ opera necessaria ad salutem excludunt, contra illud *fides sine operibus mortua est*, defendentes; cõtra quos olim exclamauit Augustinus: *Fides quæ opere caret, fides non est, sed vana credulitas.*

Manus Impositorij, anno 1535. sic dicti, eo quod altercantur, verum *manuum impositio*, sit Sacramentum.

Antinomi, anno 1538. legem Mosaicam adeo abominantes, vt asserant, decem præcepta Decalogi ab Ecclesia eliminanda esse, existimantes fuisse abrogata per Christi mortem.

Spandebergici, anno 1539. à *Spandebergio* Lutheri discipulo sic vocati, docentes, nihil esse Deo gratum, nisi quod ab ipso præceptum est. Et ideo tum Christi, tum *Apostolorum* consilia damnant.

Inuisibiles, anno isto, ita dicti, quia *nullam visibilem* Ecclesiam in terris agnoscunt, sicut prius dixerunt Lutherus, & Melanchthon, sed palynodiam postea decantarunt.

Iustificatorij, eodem anno 1540. sic nuncupati, quia doctrinam Lutheri sectantes, ab ipsa postea in *articulo de iustificatione* difformes sunt reperti.

Antisuuenkfeldiani, anno 1545. ita dicti, eo quod *Suuenkfeldio* per diametrum se opponunt, literam omninò proijcientes, & omnia sua inspiritu locantes. Item, omnem viam

(a) *Ibid. sup. & lib. 4. cap. 51.*

Digitized by Google

viam salutis in vocali verbo ministerij Ecclesiæ reponunt, sed bona opera, & sacras traditiones negant.

Aeriani, anno 1546. sic vocati, eo quod *Aerij* hæretici errores renouãtes, sacrificium offerẽdum esse pro defunctis, Purgatorium, iciunia, &c. sicut alij Lutherani impiè negant.

Antipapæ furiosi, anno 1548. ita dicti, eo quod propositionẽ illam Matthiæ Flacci, videlicet *non esse quietem, vel pacem sperandam, nisi Papatus eradicetur*; crapulati à vino furiosi obseruare conantur.

Bisacramẽtales, anno 1549. ita dicti, eo quod *Baptismum, & Eucharistiam*, quam Cœnam Domini vocant, absolutè inter Sacramenta ponunt.

Antiosiandrini, anno 1553. *Osiandrum* docentem, hominẽ & iustitia iustum esse, qua essentialiter iustus est Deus, omninò impugnantes, vnde Antiosiandri dicti sunt: at in similem errorem etiam ipsi inciderunt, dum asserunt, hominem iustum tantum esse imputatiuè, videlicet verbo, non autem re.

Anticaluiniani, anno 1555. sic nuncupati, eo quod contra Caluinum rectè sentiũt, Christi Corpus, in Eucharistia verum esse, & naturale: integrã tamen Ecclesię doctrinam minimè sequuntur, cum transubstantiationem non admittant, & personã Christi in vsu tantum esse confiteantur.

Belliani, anno 1559. à *Bellio* Montfortio ita dicti, & asserunt, hæreticos non esse puniendos, & occidendos.

Adessenarij, anno 1560. sic vocati, eo quod asserunt, Corpus Christi in Eucharistię Sacramento adesse, & cæteri eorum dicunt adesse sub pane, alij adesse cum pane, alij circa panem, alij verò supra panem.

Antidiaphoristæ, etiam eodem anno 1560. ita dicti, eo quod *Adiaphoristis* opponuntur: etenim secundum libros Lutheri, & confessionem Augustanã, nullas in Ecclesia cæremonias esse debere, asserunt.

Vualdenses, anno etiam 1560. sic vocati, eo quod licet

(a) *Lind. lib. 4. cap. 53.* (b) *Lind. lib. 4. cap. 6.*

Digitized by Google

cet Lutherani sint, tamen Posnaniæ, & in alijs Poloniæ confinibus, multos errores antiquorum *Valdensium*, præsertim circa auctoritatem Summi Pontificis, Purgatorium, & Indulgentias, eodem anno suscitarunt, &

Hesshuſſiani, anno 1562. ex Tilmanno *Hesbussio* ita dicti, inter cæteros suos errores asserente, Trinitatem, esse Vnitatem; Vnde Arrianum Bagnius eum vocat.

26 MIXTI tandem Lutherani illi dicuntur, qui nec cū Mollibus, nec cum Rigidis sentiunt, sed falsa ab vtrisque dogmata suffurantur; & sunt,

Extrauagātes, anno 1530. orti, sic tamen dicti, eo quod licet *Confessionem Augustanam* oppugnent, Principum tamen metu, tamquam Confessionistæ se gerunt; in rigore autem tales non sunt.

Semitransubstātiatores, anno 1540. ita vocati, eo quod licet *transubstantiationem* admittant, speciem tamen Corporis Christi accedere ad speciem panis, postea fatentur. Sicque, speciem Sanguinis, ad speciem vini; & ideò particulam illam *Trans*, idem sonare, ac *Præter*, asserunt.

Suuenkfeldiani, anno 1541. à Gaspare *Suuenkfeldio* sic dicti, docente, in expositione verborum Sacramentalium, prædicatum hoc modo in subiectum transponi, videlicet Corpus meum est hoc, panis, vel cibus.

Stankariani, anno 1543. à Francisco *Stankaro*, Mantuano, impiè blasphemante, Personam æternam Filij Dei, non esse Personæ Patris coæternā, & dici Verbum Dei per quādam metaphoram; Nec locos in scripturis hypostasim significare; ac in Christo fuisse duas personas & vnum Christum esse humiliatum, & exinanitum; alterum verò, nec humiliatum, nec exinanitum.

Osiandrini, anno 1551. ab Andrea *Osiandro*, se iactante alterum Enoch fuisse; ac delirante, Christi passionem nullum fructum nobis attulisse, &

Antistākariani, anno 1555. ita vocati, eo quod supradictis *Stankari dictis* per diametrum se opponunt, vnum

Digitized by Google

Christum confitentes; sed simul Crucifixum cum Diuinitate, postea delirantes. Et hæc de geminata Lutheranorũ secta, quæ vt asserũt Viri grauissimi Societatis Iesu, Pater Alphonsus Salmeron *to.3.in Euang.*(a) & Ioseph Andres in *Decore Carmel.*, opera, & industria nostrorum Carmelitarũ *Huberti Leonardi* Episcopi Darienſis, per Germaniam Inquisitoris Generalis, & Euerardi Billici extincta, adhuc permaneret, nisi postea resilisset; & ideò adduntur Lutheranis.

27 SEMILVTHERANI, quorum aliqui dicũtur *Pastillarij* anno 1540. ortisic dicti, eo quod asserunt, sicut farina est in *pastillo*, ita præsentiam Christi esse sub pane.

Alij verò eodẽ anno 1540. & vocantur *Melanchonici*, eo quod derelicto Luthero, Melanchonem sequuti sunt.

Alij itidem eodem anno, & dicũtur *Consubstantiatores*, eo quod haruspicant Christi Corpus in Eucharistia esse sub pane, cum pane, in pane verè, & realiter: taliter, vt remanente in pane substantia panis, ad ipsum panẽ accedat substantia carnis.

Alij, anno 1544. & nuncupantur *Maiestatici*, eo quod asserunt, in omnibus rebus Maiestatẽ Corporis Christi esse, & comedi posse.

Alij, anno 1545. & vocãtur *Antidæmoniaci*, eo quod negãt Dæmones, aut quoscumque Spiritus in vniuerso esse; vnde incantationes, & maleficia, figmenta vocant.

Alij, anno 1548. & dicuntur *Interimistæ*, ab Interim confecto, contra Interim Potentissimi Imperatoris Caroli V. quo permittebatur, in Religionis negotio nihil interim innouari, donec Concilium celebraretur; Et ex istis Interimistis, alij sunt Lypsienses, cæteri verò Francici.

Alij, anno 1550. & vocantur Vbiquistæ, siue *Brentiani*. (b) à Ioanne Brentio, asserente, Corpus Christi post Ascẽsionem, ob vnionem hypostaticam, vbique esse, videlicet in omnibus arboribus, folijs, Cãtharis Cyatis, ceruisia, ac proinde pane, &c.

Alij,

(a) *Decor* 53. (b) *Panoplia lib.*1. *fol.*4.5.6.7.

Digitized by Google

Alij, etiam eodem anno, & nuncupantur *Accidentarij*, eo quod autumant, peccatum originale realiter esse accidés, quo natura hominis corrupta est.

Alij, pariter eodem anno 1550. & dicuntur *Substantiarij*, eo quod per diametrum Accidentarijs se opponũt, asserentes originale peccatum essentiam ipsam, ac substantiam hominis esse.

Alij, anno 1560. & *Centuriatores* vocantur, eo quod fuerunt centuriarum Architecti, & gesta, ac doctrinam Ecclesiæ per sexdecim fere sæcula decurrentem, ex omni Scriptorum genere summatim texere conati sunt, vt ex ipsis Confessio Augustana magis comprobaretur; at ex Scriptoribus, contraria omninò eorũ desiderijs inuenerunt; propterea in cassum laborarunt, & tãtum somnia in Sole sibiipsis finxerunt.

Alij, anno 1560. & *Iscariotistæ* nuncupantur, eo quod negant Iudam Iscariotẽ Corpus Christi sumpsisse.

Alij, denique eodem anno, & dicuntur *Concordistæ*, eo quod librum Concordiæ Bernensis, ex Confessione Augustana, Apologia Melãchonis, Catechismo Lutheri, & ex Articulis Smalcadicis cõcinnarunt: & his etiam adiungũtur Calixtini.

ET TAM AD HOS semilutheranos, quam ad recensitos superius LVTHERANOS accedunt etiam Lutheri Nepotes, videlicet.

28 Carolstadiani, ab Andrea *Carolstadio* Ecclesiæ Vuittembergæ Archidiacono, & Lutheri dilectissimo filio, progeniti; qui minimè in doctrina Præceptoris sui Lutheri persistens, sed ab ea potiùs discedens, Magistro suo se opposuit, impiè docens (a) in participatione Dominicæ Cenæ, *verum Christi Corpus, & Sanguinem* minimè distribui. Et ex hac impia Carolstadiana Secta.

29 HVLDERICVS Zuuinglius, Canonicus Cõstantiẽsis, anno 1523. ortus est; qui ad perturbandam pacem Ecclesiæ, primus omniũ in agro Tigurino, Berengarij, & Hel-

(a) *Lind. lib. 2. cap. 53. in fine.*

Digitized by Google

uentiorum hæreſes, magnã ex parte ab Inferis ſuſcitauit. Is phantaſtico, ac tumultuario ſpiritu ductus, fortiſſimam gentem bellis ciuilibus permiſcuit; effecitque, vt multis diebus prælio, directaq; acie crudeliſſimè pugnaretur, multique ex vtraque parte hoſtilibus gladijs caderent. Tandem, & ipſe cum alijs acriter pugnans, tamquam gladiator, non autem Concionator, aut Propheta, in bello ſaucius vitam infelicem inter execrabiles blaſphemias, & diuini nominis eiurationes, fædo exitu finiuit. Eius corpus tanquam hominis hæretici, excommunicati, in cinerem prę uijs flammis, æquo iure redactum fuit, teſtatur Cochlæus, his verbis. (a) *Zuuinglius, omnis perfidiæ, diſcordiæ inter Heluetios auctor, à duobus Catholicis, pronus in facie, adhuc ſpirans, quem illi non cognoſcentes, interrogarunt, an vellet confiteri. At ille tacuit velut mortuus. Superueniens autem alius, qui eum agnouit, lethale inflixit vulnus, Capitaneiſque protinus indicauit. Qui in ſe-*

runt eum ſiſti in publico iudicio, in quo ſanè iudicatus eſt, vt proditor, atque combuſtus, vt hæreticus. Hic, ſicut Magiſter ſuus Carolſtadius à Luthero, ita & ipſe à Carolſtadij doctrina recedens, verba conſecrationis, *Hoc eſt corpus meũ*; ſic impiè interpretatus eſt; Hoc ſignificat Corpus meũ. At verò contra tantam impietatem, abſurdumque noſter Verratus eo tempore ſic inſurrexit. (b) *Ait Chriſtus*: Qui manducat meã Carnẽ, & bibit meum Sanguinem, habet vitã æternam. Caro enim mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. *Ecce dicit*, verè, *non figuratiuè, neque myſticè, neque ſignificatiuè; ideò ſubdit*: Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet, & ego in illo. *Ergò ſub Sacramento Euchariſtiæ eſt vera Caro, & verus Sanguis Chriſti; & ex conſequenti ipſum Corpus gloriosũ, quod quemadmodum eſt ſpirituale, ita verus ſpiritualis cibus animæ eſt*. Suæ tamen hæreſi, plurimas alias hæreſes, homo proditor turpiter addit

(a) *in Actis Lutheri ad ann.* 1531. (b) *De Sac. Euchar. concl.* 1. *fol.* 186.

Digitized by Google

dit; Vnde ex ipsa.

30 Zuuinglio Caluinistę nati sunt, illi videlicet, qui partim cum *Zuuinglio* (a) sẽtiunt, Panem in Eucharistia significare Corpus Christi. Et partim cum *Caluino* asserunt, talem Corporis Christi significationem nudam non esse, sed veram: ideoque Corpus, & Sanguis Christi verè manducatur, & bibitur, mente tamen, & spiritualiter; Christi Corpore ad dexteram Patris residente. Item, &

31 ANABAPTISTÆ, (b) anno 1525 orti, sic dicti à Baptismi reiteratione, qui adeò mirum in modum excreuerunt, vt ad ipsos omninò pertineant.

Muntzeriani anno 1524. à Thoma *Muntzerio*, siuè Monetario, asserente tanquam Scripturarum irrisore, Baptismum Infantium non esse à Deo, & propterea oportere rebaptizari.

Libertini, anno 1525, à *libertate*, quam prædicant, & temerè asserunt; nullum esse peccatum, nisi opinionem eorum, qui peccare se putant. Blaterant etiam, Infernũ nihil aliud esse, quam Dei timorẽ, quo cõscientia cõuincitur: Et Paradisum eamdem conscięntiam esse, Diuini iudicij timorem contemnentem.

Communia habentes, anno 1534. sic dicti, eo quod cum bonorum *communitate*, Vxores communes etiam faciũt.

Hofmannici, anno 1535. à Melchiore *Hofmanno*, impiè blasphemante, Christum ex Virgine minime carnem assumpsisse, sed ex semetipso factum esse carnem, vnã tantum naturam habentem. Item, hominem semel à gratia excisũ per peccatum, numquam in pristinum gratiæ statum restitui posse.

Adamitæ, eodem anno, ob æmulatam *Adæ nuditatem*, sic dicti: vnde exiguis foliis præcincti, nudi per hortos aberrant, sub arboribus matrimonium contrahunt, & arbores ipsos nudè conscendunt, Cælestem panem tamdiù expectantes, donec illo frustrati, famelici in terram deindè corruant.

Antimariani, anno 1538. ita

(a) *Lind. lib. 4. c. 42. fol. 279.* (b) *Pappop. lib. 1. fol. 2.*

Digitized by Google

ita vocati; eo quod *Beatissimæ Viginis Deiparæ* singularia priuilegia Virginitatis, Maternitatis, & eximiæ Sanctitatis, omnino impiè negant.

Cathari, siuè Sanctuli, anno 1540. à Dogmatibus, quibus asserunt se sine peccato esse, sic vocati: propterea in oratione Dominica, particulam illam, *dimitte nobis debita nostra*, omittunt; & falsò docēt, Infantes sine peccato nasci: licet Caluini doctrinam circa Eucharistiam sequantur.

Sabbatharij, anno 1542. ita nuncupati, eo quod *Sabbathum*, & non diem Dominicum colendum esse, asserunt. Delirant etiam, Patrem, & nō Filium, aut Spiritum Sanctum inuocandum esse.

Silētes, anno 1543. ab obseruatione *Silentij Pythagoræ*, sic dicti; & docent, de Religione nec concionandum, nec disputandum esse.

Clancularij, anno etiam 1543. ita vocati, à studio *latendi*, existimantes sibiipsis licere, si interrogentur ab aliquo, an Anabaptistæ sint, ad euitandum vitæ periculum, negare.

Manifestarij, anno 1544. ita appellati, eo quod *Clancularijs* opponuntur, putantes impium esse, si dum rogentur, negent, Anabaptistas esse.

Condormientes, anno etiā 1544. sic dicti, eo quod docēt sub eodem conclaui, *loco*, & *lecto*, Viros, & fœminas dormire debere: vnde extinctis luminibus, canino more, permiscuè se immiscent.

Pedobaptistæ, etiam eodē anno, ita dicti, eo quod baptismum vsque ad *ætatem adultam* differunt; & asserunt, ipsum Circumcisioni non successisse; ac proinde non tanti faciendum, sicut hactenus factum est.

Elutherobaptistæ, etiam eodem anno, & sunt illi, qui blaterabant, cuique liberum esse *si rebaptizari velit*, etiam si sit in adulta ætate, sua conscientia tamen hoc sibi dictante.

Linguatarij, etiam anno 1544. ita dicti, eo quod aiebant, donum *linguarum* sibiipsis tamquam legitimis Apostolorum hæredibus, & successoribus concessum fuisse.

Augustinobohemi, eodem an-

Digitized by Google

anno, sic nũcupati ab *Augustino Bohemo*, somniante, Cœlestes fores adhuc clausas esse, fore tamen aperiendas extremo Iudicij die: Propterea suffragia pro defunctis, & Purgatorium negabat; asserens, animas tum Beatorum, tum dãnatorum sub certis rẽpagulis vsque ad supradictum Iudicij diem, recludi.

Orantes, itidẽ anno 1544. sic vocati, eo quod asserebãt, ab *oratione vocali* nunquam cessari debere, cum summa fidei, & spes salutis, in sola oratione consistat. Propterea omnia alia christiana media tollebant, immo omni re familiari destituta, & famulis commissa, soli Deo vacare, se ostendebant.

Impeccabiles, anno 1545. ita dicti, & quod insulsè asserunt, hominem baptizatum, lethali peccato amplius *coinquinari non posse*: ideoque si aliquid pateretur humani, virtute baptismatis omnino deleri, & Dei iram minimè prouocare.

Mennonistæ, eodem anno; sic nuncupati à quodam *Mẽnone Simonis*, non modò omnia Anabaptistarum deliria, in doctrinæ methodum redigente; verum, præter violationem baptismi, Christum Dominum, ex carne Virginis, aut humana substãtia natum, etiam negante, corpus verò de substãtia Patris cœlitus attulisse, concedente.

Hamstadei, anno 1550. ab Adriano *Hamstadeo*, delirante, cuique liberum esse, per aliquot annos absque baptismate seruare Infantes; nec in hac re conscientiam illius adstringi posse.

Polygamistæ, etiam eodem anno, ita dicti, eo quod asserunt, licere vni, eidemque viro, *plures vxores eodem tempore habere*; immò licere fratri, vxorem fratris sui adhuc viuẽtis, in propriam sibi vxorem copulare.

Ægidiani, anno 1566. ab *Ægidio* Aquensi, baptizatos ab Anabaptistis, iterum rebaptizante; vocans illorum baptismum nudam, & simplicẽ, suam autem renouationem, veram hominis veteris depositionem esse, ideoque, à singulis quos rebaptizabat, tres nummos coronatos exigebat;

pro-

Digitized by Google

propterea in magnam auri copiam deuenit.

Circumcisi, anno 1570. ita dicti à *Iudaizando*, & renouãdo carnis circumcisionem; propter quam, neminem saluari posse absque circumcisione, docuerunt.

Fratres Amoris, anno 1579. & isti negãt Magistratus, *Vxoresque communes* faciunt, simulque docent, neminem ab eorum secta dissentientem, posse saluari: multòminus baptizatos à Protestãtibus posse salutem æternam obtinere, si decedant ante statum, siuè vsum rationis.

Angelici, anno 1596. sic vocati, eo quod asserunt, vnicuique eorum sectæ assistere *Angelum Domini*, & quæ vera Religio sit, & quæ superstitiosa, suggerere: & ideo, supradicto Angelo, per quamdam verborum formulam, fidem, obedientiam, & homagium præstant. Quibus omnibus.

CALVINVM (a) tamquã Lutheri doctrinam suffuratũ, ipsaque vtentem, iure optimo etiam subcenturiamus; propterea summatim vitam eius sic exordimur.

32 Anno 1509. à mundo redempto, *Nouioduni* in Piccardia, ex Gerardo Chauuino, & Anna Fronæa coniugibus, ad decimam diem Iulij natus est *Ioannes Chauuinus*, blasphemus homo; eo quod haud superfluum est, mordacitatem sui ingenij, turbolentiam, & stultitiã non incõgruè cunctis ostendit. Adolescens vero, omninò diuini timoris expertem, (licet non palam, cum hypocrita extiterit) ambitiosum, ac nefandis flagitijs deditum esse, satis omnibus se demõstrauit. Cæterum, ad artes liberales discendas scholis adiunctus, & iam literarum fundamentis adeptis, ad Iurisprudentię studium deinde animum applicauit, eiusq; tyrocinia Aurelianis, sub *Petro Stella* didicit. Auaricum Biturigum postmodum profectus, Magnum *Alciatum* ibi leges explicantem audiuit; Sed cum *Melchior Volmarus* Lutheranus apud Bituriges accessisset, Caluinus ab ipso seductus fuit, vt Iusti-

(a) *Panop. lind. lib. 4. & lib. 3. c. 16. & 19.*

Digitized by Google

Iustiniani codice despecto, ad Theologiæ, omnium scientiarum Magistræ studium, animũ viriliter dirigeret: cuius dictis Caluinus cum obtemperasset, Volmarus adeò eum pestifero Lutheri veneno imbuit, vt breui tempore perfidissimus euaserit hæresiarcha, & multa Animarum millia in ignem æternum secum transtulerit. Huius rei interea per *Vniuersitatem Sorbonæ* Rex Galliæ certior factus, nõ modò Volmarum effundere amplius in Gallos, cæterosque eorum Incolas Lutheranum virus prohibuit; Verum, ipsi, omnibusque ab eo vafrè deceptis aqua, & igni interdixit, ac deindè Regni finibus eos expulit. Hinc Caluinus relicta Parisiorum Academia, & in Patriam redire coactus, ibidem Genitoris sui opera Curati officium assequutus, fructibus Ecclesiæ illius Noviodvno in aliquod tempus vixit.

33 Domi propriæ interim Caluinus degens, dum se totum Animarum saluti, tamquam Canonicus, siue Curatus impentere debebat; Puerorum amicitiæ, & vitio sodomitico adeò se denouit, vt de ipso nefando scelere publicè fuerit accusatus, & conuictus: propterea in id vitæ discrimen venit, vt scribit eius amicus (a) *Hieronymus Bolsecus*, & meus *Cortolanus* refert, (b) vt igni concremandus traderetur, nisi Vrbis Episcopi commiseratione, moderata pœna, tantum ferro candenti eius dorsũ à Magistratu Noviodunensi ter obsignari ei fuisset intultum, atque exinde Ecclesiasticos munere spoliatus, è Patria pulsus, & in exilium missus, Lutetiam Parisiorum iterum appulit, ibiq; minimè se tutum arbitratus; *Engolismã*, vltimum Lutetiæ Parisiensi terminũ petijt, vbi *Ludouici Tilij*, Canonici, & cuiusdam *Curionis Claixensis* sumptibus per triennium Græcam linguam (cuius notitiam exiguè nouerat) ludi Magistri opera exercens, se sustentauit. In ipsa Officina, vt olim Vulcanus, suas pestilentes, & hæreticas opiniones cudens, eas deinde vndequaque ciacula-

Dd uit.

(a) *In Vita Caluini* (b) *Summ. Conciliorum prælud 9 pag 91.*

Digitized by Google

uit. Sed cum iterum ob detestabile Sodomiæ vitium à primario *Bonnurtensis Collegij* Sodali accusarerur, & Pueris eũ in crimen vocantibus nihil obijcieos, fuga sibi consulendum duxisset, licet absens, sodomiæ reus iterum damnatur; & Engolismam relinquẽs, in Germaniam profectus est; ibique ad instar sui *Præcursoris* Lutheri mutato nomine; pro *Cauuino*, modò Carolum de *Happe*, modò *Caluinum*, ac sic deinceps se nuncupari fecit; supradictus eius Amicus *Bolsecus* testatur.

34 Igitur, in Germaniam profectus, statim omnes Catholicæ fidei aduersarios ibi visitauit; & cum à *Buccero* duceretur ad *Erasmum*, & hic aliquot anfractibus inuoluta Religionis capita inter sermocinandum proponeret; ad Buccerum deindè conuersus, Caluinum indicans, ait. *Video magnam pestem oriri in Ecclesia, contra Ecclesiam.* Quod quidem vaticinium in cassum non fuit: Nam, omnia spurcissima Lutheri dogmata ibi audiens, ea non modo accuratè didicit; verum & intellecta, tamquam prauitati suæ consentanea, in proprijs Institutionibus deindè, vt legentibus patebit, sic inseruit.

35 Preces illas, *Sancta Trinitas vnus Deus*, Lutherus è Litanijs impiè abrasit. Et hoc graue peccatum in epistola *ad Polonos* sequutus est Caluinus, ita de tanto ineffabili Mysterio ibi turpiter loquens *Mihi non placet, & sua planè barbariam redolet.*

Lutherus in Psal. 15. ad illa verba: *Non derelinques animam meam in inferno*; hæreticè ait. *Animam Christi passam fuisse dolores inferni.* Quam blasphemiam à Luthero abstulit, & *lib. 2. institut. cap. 16. §. 12.* Caluinus inseruit.

Scripsit Lutherus in Serm. de diuite, & Lazaro: *Sanctos vita functos, ante resurrectionem non videre Deum.* Et hanc falsitatem Caluinus à Luthero abstulit, & *lib. 3. institution. cap. 20. §. 20.* inseruit.

Finxit Lutherus in Assert. cap. 2. Originale peccatum per baptismum minimè tolli; dum sic diabolicè ibi blaterauit. *Baptismus omnia peccata dimittit, sed nullum penitus tollit*

Digitized by Google

lis. Et hoc Lutheri scommata Caluinus suo *lib.4. de institut. cap.15.§.11.* inseruit.

Ait Lutherus ad Valdenses, in libris anno 1522. scriptis, fol 78. *Christi, & Sanctorum Imagines esse abolendas*; Et hoc graue Lutheri peccatum, Caluinus lib.1.de instit. cap.11.§.10. insecuit.

Docuit Lutherus lib. de Captiuitate Babylonica cap. de confirmat. *Confirmationem non esse Sacramentum, sed potius Ecclesiæ Cæremoniam*. Et hanc Lutheri gerram, Caluinus *lib.4. de instit. cap.* 19.§.5. inseruit.

Blasphemauit Lutherus in supradicto libro. *cap. de Pœnitent. Confessionem Sacramentalem à Christo non esse præceptã.* Et hoc nefandum Lutheri scelus, Caluinus *lib.3. de institut. cap.4.§.30.* inseruit.

Subiunxit Lutherus eodem lib. cap. de Eucharistia: *Panem in Corpus Christi minimè conuerti.* Et hoc Lutheri delirium Caluini *lib. 4. de institut. cap. 17.§.14.* inseruit.

Item: eodem lib. de Captiuit. Babylonica, cap. de extrema vnctione, Lutherus ait. *Extremam vnctionẽ nõ esse Sacramentum*; & hoc detestabile facinus à Luthero desumpsit, & *lib.4. de institut. cap.19.§.18.* Caluinus inseruit.

Pariter in supracitato libro scripsit Lutherus: *Ordines Ecclesiasticos, qui inter Papistas conferuntur, non esse Sacramẽtum.* Et hanc offaniam Lutheri, etiam Caluinus *lib.4. de institut. cap.19.§.22.* inseruit.

In sermone de Matrimonio asserit Lutherus: *Matrimoniũ non esse Sacramentum.* Et hoc Lutheri mendacium, Caluinus *lib.4. de instit. c. 19.§. 34.* etiam inseruit.

Deliraut Lutherus in suis Assertat. artic. 36. *Hominem non esse liberi arbitrij.* Et hoc Lutheri absurdum, Caluinus *lib 2. de instit. cap.2. §.4.* identidem inseruit.

Item in sua Cõfessione anno 1524. edita, sic de Sacro cornicatus est Lutherus: *Missam esse summam abominationem.* Et hanc perniciosissimam pestem, à Luthero Caluinus desumpsit, & *lib 4. de instit. cap.18.§. 18.* deinde inseruit.

Item ad Valdenses scripsit Lutherus. *Nullum esse Purga-*

Digitized by Google

torium. Et hunc manifestum errorem à Luthero Caluinus etiam abstulit, & *lib.4.de institut.cap.5.§.6.* inseruit.

36 Et reliqua omnia Caluini dogmata à Luthero per ipsum fuerunt suffurata, & sui Institutionibus callidè inserta. Quæ cum *Iustus Caluinus*, sicut sãguinis, ita Religionis eius consors legisset, attetèque considerasset; tamquã Sacræ Scripturæ, & Sãctorum Patrũ testimonijs omninò cõtraria, detestauit, anathematizauit, abiurauit, ac Caluinismum relinquens, ad Sanctam Fidem Catholicam se detulit, sicut ipsemet in Apologia de tali sua conuersione *fol.5.* sic testatur. *Alterum*, inquit, *quod tãquam grauissimum telum mentem meam expugnauit, & ad Romanam Ecclesiam, tamquam à melioribus stantem partibus, rectiusque Scripturas Sanctas interpretantem, impulit; Sanctorum Patrum Augustini in primis, & Cypriani lectio est, à diuino Numine clementissime mihi suasa, & ad perpetuã Animæ meæ salutem, dexterrimè gubernata. Augustinum è Patrum bibliotheca habebam, item Cyprianum, & nonnullos Patres alios.* Magna igitur confidentia Caluinum legens *lib.3.institution.cap.3.§. 10. & lib. 4. cap.14. §. 26. ad Augustinum, tamquam ad fidelissimum, atq; optimum testem antiquitatis, quin, & Theologorum Coryphæum prouocantem: faciendum mihi putabam, vt ipse quoque ad eius libros, tamquam ad illustre armamẽtarium confugerem, vndeque tela contra Catholicos, & Lutheranos, quibus tũ omne certamen indixeram, colligerem. Adeo quam primum Augustinum, explico, benè instructam armaturam inuenio, sed non ad militiam Caluinianam Omnia ladebant me, omnia vulnerabant, & Catholicis patrocinabantur. Quod miratus, Cyprianum capesso, an fortè ille æquior meæ causæ: sed omnia similiter habebant: nihil hìc de nouiter exorientibus Reformatoribus, nihil de prouincialibus angustijs Ecclesiæ Reformatæ: Doctrina, regimen Ecclesiasticum, ritus, omnia Romana erant: Omnia Romanam Ecclesiam sonabant, eiusq; perpetuam durationem, & à perfidia immunitatem, valentissi-*

tissimis argumentis astruebant. Hic mihi cor palpitare, maleq; de nostris ominari cepit. Quamuis enim fidem meam humanis assertionibus nõ facilè concederem, tamen, & fraus Caluini me pessimè habebat, & tutius iudicabam in controuersijs fidei quæstionibus, antiquissimos Patres sequi Duces, qui vel coram Apostolis, tanquã diuinæ scripturæ commentario audiuissent, vel alioqui miraculis, & doctrina clari; totius Ecclesiæ iudicio dexterrimi semper scripturarum interpretes habiti essent. Qui denique, vt Augustinus ait libro 2. contra Iulianum pelagianum. Nullas nobiscum, vel vobiscum amicitias attendissent, vel inimicitias exercuissent: neque nobis, neque vobis irati, neque nos, neque vos miserati essent: quod à parẽtibus acceperunt, hoc filijs tradidissent, &c. tandem tamen vel inuitus in sententiam Catholicorum transire, & manus veritati præbere coactus sum. Qua in re nõ postulo, vt fidem mihi quisquam gratis tribuat: faciat quæso ipse periculum: legat primo Patrem vnum, atque alterum, vel curiositatis saltem causa inquirat quænam sit illa fides prisca, quibus fundamentis nixa, à qua superiori sæculo maiores nostri magna sua infamia defecerunt, & contra quam hodiè tàm imperitè multi dicaculi Ministri deblaterant: fidem depono, si non multi (omnes enim asserere nolim, quia fides non omnium est, neque par etiam omnium in legendo dexteritas, aut intelligentia) breui sententiam mutaturi, & cum illis Donatistis apud Augustinum epistola 48. ad Vincẽtium dicturi sunt. Nesciebamus his esse veritatem, nec eã discere volebamus: falsis rumoribus terrebamur intrare Ecclesiã, quos falsos esse nesciremus, nisi intraremus. Gratias Dono, qui trepidationẽ nostrãabstulit, expertos docuit, quam vana, & inania de Ecclesia sua mendax fama iactauerit. Hinc iam credemus, & illa falsa esse, quæ auctores huius hæresis criminati sunt, quando posteri eorum falsa, & peiora finxerunt. Hæc contra dogmata cõsanguinei sui Caluini, iustus Caluinus, quem Dominus deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnũ Dei.

37. Quod

37 Quod autem omnia fœdissima sua dogmata ex putridis Lutheri fontibus Caluinus hauserit, sic ipsemet confessus est. *Testamur nos habere Lutherum prò insigni brisli Apostolo: cuius maximè opere, & ministerio, restituta hoc tempore fuit Euangelij puritas.* At in ipso hoc mirum nō est, cum ad miscenda, corrumpenda, & deprauanda aliorum dicta, continuò versipellem se gesserit: Ad detorquendas verò, peruertendas, & despiciendas communes sententias, incredibilis audaciæ extiterit. Paruæ lectionis, multæ scriptionis, nullius antiquitatis, inanis doctrinæ, & quod magni momenti est nulla actionis elegantia instructus, vnde illius sermo fastidium, & nauseam afferebat: nihilominus rudem, & diabolicam suam doctrinā, vtpotè ex Luthero haustam; spretis Sanctorum scriptis, sic ad astra extollebat: (a) *Doctrinam nostram*, scribit ad Regē, *supra omnem mundi gloriam sublimem; supra omnem potestatem, inuicta stare oportet: quia non est nostra sed Dei viuentis; & Christi eius, quem Pater Regem constituit.* Verius tamen dixisset, si ita Caluinus locutus fuisset: *Non nostra est, sed magni diaboli Lutherum illam docentis.*

38 E Germania tandem iterū in Galliam reuersus, *Pictauium* Caluinus se contulit; ibique conciliata sibi aliquorum Doctorum amicitia, virus hæreseos, quibus tūc summopere abundabat, ibi tanta astutia effundere cæpit, vt incautos quamplurimos illicò deceperit, & magnum sectariorum hominū numerum sibi asciuerit. Anno verò salutis nostræ 1535. ætatis suæ 26. relinquens Pictauium, *Geneuam* deuenit, & à *Vuilhelmo Farello*, Ciuitatis Ministro in honorem exceptus, ac in Pseudo Theologię Lectorem institutus, magnam tunc Geneuæ famam, prę quijs lectionibus, sibi acquisiuit: Populumque illum rudem, beneuolū etiam sibi reddidit: at eximium beneficium à Farello ei illatum, maleficio Caluinus rependit; etenim in Farellum ipsum resiliens omnia eius decreta rescidit, & deleto Farelli nomine

(a) Epist. pag. 2. 3.

Digitized by Google

ne, suum de more; sicut fecit in rebus Lutheri, supposuit: vnde Genevenses nō amplius Farelliste, sed Caluiniste postmodum nuncupati fuerunt. Cæterum, Senatus, & Populus Geneuanus interea animaduertens, Farellum, & Caluinum, apud Populum maximam auctoritatem sibi conciliasse, timens nè ex nimia ipsorum arrogantia, aliquod malum ineuitabile accideret Reipublicæ, lato ducentorum Senatorum decreto, eos è Geneuæ domino proscripsit, & eiecit his verbis. *Quia in libera Ciuitate Tyranni esse voluerūt.* At paulò post Farellus ad hęrentium fuorū gratia, Geneuā redijt; & ad Farelli, & Bucceri preces, Geneuam etiam Caluinus iterum venit, vbi reassumpta solita sua superbia, & arrogantia, Auctores, & complices eiectionis suæ, in maximas angustias redegit, meritasque pœnas in vindictam luere compellit, præsertim *Michaelem Seruetum*, eo quod aliqua contra ipsum, & Catholicam Ecclesiam Scripserat; viuum igne, & flammis publicè combussit.

36 Verum huius impijssimi hæresiarchæ, & virulentum ingenium, non tantum thema eius genethliacum; verum & propria eius scripta palam indicant, cum ipsis Reges, & Principes, non modo bruta, bestias, & stultos vocet: sed eis minimè obediēdum, quin imò ipsorum faciem conspuēdam esse, perperam etiam decernat, Ceù, & titulum, quo *Dei gratia* ipsi se subscribunt, pariter ridet, & subsannat. Nemo certò, scriptum aliquod mendacius, & virulentius vnquam legerit, quam nequissimi huius Viri contradictorias Institutiones, & Lutheri Scommatibus haustas; & vtrigeris & conuigijs omnino refertas, duodecies ab ipso mutatas, semper sensu, & verbis contrarijs. Et enim quicquid accensabilis, & calculi: quidquid quartana febris, quæ eius medullas cōterebat ipsi insinuabant, in suis Institutionibus inepte effudit. Execrabilis porrò istius detractoris maledicentiam, nemo melius nouit, quam *Volmarus* eius Magister, propter quam de ipsa ad Farellum sic scripsit. *Id enim*

Digitized by Google

enim vitij aptum est, rebus nostris, vt in magnum assertorẽ nostrorum dogmatum euadat; Non enim facilè capi poterit, quin maioribus tricis aduersarios inuoluat.

40 Fuit etiam Caluinus adeò in superbiã elatus (eius discipulus Victor Caicrus refert) vt cæteris euangelizare se Prophetam esse, minimè erubesceret. (a) *Constat*, inquit, *Caluinum publicè pro concione, & in suggestu Prophetæ nomen sibi ipsi tribuisse, atque eo dementiæ prouectũ, vt non Principibus tantum, verum etiam Magno Regi maledixerit, eo quod suorum subditorum mortem, contra illos vlcisci noluisset; atque ita excanduisse, vt non sine graui scandalo, & tumultu, pileum è suggestu proiecerit, sæpè illud repetens: Experientimi vos me Prophetam esse.* Quod etiam Hieronymus Bolsecus sequentibus verbis sic testatur. (b) *Ego Propheta sum, Ego Dei spiritum habeo.* Immò, comitante sibi hac superbia, non modò Prophetã, sed etiam Apostolum esse, sic ostendit. Propterea, sponsiones Christi Domini Apostolis factas, sibi etiam arrogauit; tamquam & ipse super sedes duodecim, ad iudicandum duodecim tribus Israel, vniuersum Orbem, & Angelos, etiã cõstituẽdus esset. (c) *Nos*, inquiens, *meminimus tanti esse Deo verbi sui obedientiam, vt in ea, & Angelos suos, & Orbem vniuersum nos iudicare velit.* Spiritum autem hunc superbiæ, sicut & scripta, ita etiam à Luthero desumpsit; quandoquidem in libro contra statum Ecclesiæ, ità pariter Lutherus ait. *Sed volo audiri, & iuxta doctrinam S. Petri, doctrinæ meæ rationem, & fundamentum ostendere coram vniuerso mundo, eamque iniudicatam à quolibet, etiam à cunctis Angelis: Cum enim de ea certus sim, volo per eam & vester, & Angelorum quoq; iudex esse.* Hinc vt ipsi adamussim in omnibus cõformis, & uniformis esset, intelligens Lutherum sibi *Catharinam Boram* desponsasse, statim Caluinus *Idelectam Buren*

sibi

(a) *In formul. suæ prætens. Relig.* (b) *In vita Caluin.* (c) *Lib. 4. institut. cap. 17. § 43.*

Digitized by Google

sibi in vxorem etiam adiunxit.

41 Huius Diabolici viri nefarios conatus, sanguinaria in leges, & Reges cõsilia, quibus fanis exustis, Templis solo æquatis, Cænobijs dirutis, sacris vasibus profanatis, Christi, & Sanctorum Imaginibus confractis, ac consacratis hominibus dirè per eius Asseclas trucidatis; Christianum Orbem nõ semel ipse conculcauit, & oppressit, nemo facilè explicare potest, licet Franciscus Romulus (a) pauca sic enarret. *Quis nescit*, scribit, *quot sacra Templa, quot Monasteria, quot Pagos, quot Oppida spoliauerint, ac diripuerint Caluinistæ? Quot in locis altaria euerterint, sacra vasa profanauerint, Imagines Christi, & Sanctorum confregerint, reliquias effoderint, excusserint, in flumina, & in cloacas abiecerint, globulis tormentarijs petierint? Quid vero de cædibus immanissimis dicam? Nonnè infantes, vt olim Arriani, medios diuiserunt? Nonnè Sacerdotum vultus excoriarunt? Nonnè eorum capita vno ictu, in duas partes secuerunt? Nonnè auriculas Ecclesiasticorum pro torquibus, & monilibus gestauerunt? Nonnè quibusdam viuentibus, ac videntibus viscera lento tractu explicauerunt? Nonnè plurimos ad stipitem alligatos, ictibus bombardarum animi gratia petierunt? Nonnè multos in altissimos puteos, aut alibi in profundissimas valles præcipites egerunt? Nonè aliquos etiam viuos sepelierunt? Nonnè Sacerdotem quemdam in prima Cenomanorum Ciuitate amputatam sui corporis partẽ vorare coegerunt, & paulo post adhuc viuẽti, & spiranti, ventrem aperuerunt, quod se cognoscere velle dicerent, num concoqueret edulium incoctum stomachus humanus?*

42 Sed nec Catholicos tantum hoc diabolico bello, per suos nefarios Caluinus oppressit: sed etiam Cælites omnes proprio ore imperiuit; & quidem primo aduersus nostrum S. Patriarcham Eliam frœna suæ solitæ maledicentiæ vrgendo, similia hæc verba ei affricauit. (b) *Elias*

Ee in-

(a) *Apolog. prosucceſſ. Henrici 4. in Gall. Regem.* (b) *Cap. 11. ad Romaſ.*

Digitized by Google

inquit, *fuit homo deprauatus, turpiter vocationem suam deseruit, vitam præferens diuinæ vocationi; nec simpliciter, nec rectè Deo respondit, cum ab eo interrogaretur. Peccauit etiam quæritando se solum è clade, ac à persuasione superstitem restare.* Sed an Elias deprauatus homo fuerit, Diuum *Ignatium* Antiochenum, ita ad Philadelphios scribentem, audiat Caluinus. (a) *Elias*, inquit, *erat in virginitate, vt prærogatiua virginitatis, immortalitatem prædicaret mundo, & cum corpore incorruptibilitatem.* Cui Sancti *Gregorius, Ambrosius, Hieronymus* etiam adstipulantur. Si ergo Elias ob virginitatem, continebat in corpore immortalitatem; cur homo deprauatus? forsan quia secundum Caluinum, *vocationem suam deseruit, vitam præferens diuinæ vocationi?* sed quomodo vocationem suam deseruit, & vitam anteculit diuinæ vocationi homo ille, de quo legitur in 4. Regum, *quod abijt, quocumque eum ferebat voluntas Dei?* Si in hac sequela Diuinæ volutatis, summa, & perfecta obedientia manet, testantur *Suarez*, & *Bellarminus* (b) Ergo Elias vitam non antetulit Diuinæ vocationi, sed potius ad ipsam omninò adimplendam, tanquam homo Euangelicus, totum se ipsum abnegauit; *si abijt quocumque eum ferebat Voluntas Dei.* Pari modo: *cur non rectè, nec simpliciter Deo respondit*, si ab ipso interrogatus, *quid hic agis Eliæ?* sic ait; *zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Zelo zelatus sum, Vatablus sic vertit; *mira zelotypia teneor pro Domino meo; crucior cum videam Synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficere, & ad Baal, quasi ad adulterum trãsire.* Propterea animam Eliæ quærebãt inimici Dei, vt ipso è viuis sublato, nullus deinde Propheta, siue zelator esset, qui pro Dei honore dimicaret, & Baalitis se opponeret, sicut se opposuit Elias, qui teste Isidoro, (c) *Tyrannos verberauit, & sacrilegos interfecit.* Ex hinc solus quæritando

(a) *Serm. Anacratus appellat.* (b) *Tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 2.* (c) *Lib. de Pat. lib. antiq. Testam. cap. 48.*

Digitized by Google

do è clade; ac persecutione superesse superstes, peccauit secundum Caluinum, cum ipse voluerit, vt etiam à Baalitis Elias interfectus esset, ne ipse superstes sacrilegos occideret, hocque occisionis exẽplo, ansam sacrilegos omnes occidendi cæteris præberet, eo quod tunc ipse etiam sacrilegus existebat. Sed quid moror in purgatione criminis nostri Eliæ, quando eius gloriosa facinora ipsemet Caluinus, verius, vt Vertũnus sic declarat. (a) *Sub Eliæ persona in transfiguratione Domini repræsentatos fuisse omnes Prophetas, quia si Moysem excipias, omnium præstantissimus extitit. Verum Dei cultum ex integro restituit. Fuit incomparabilis restaurato, & propugnator legis diuinæ, pietatis, & religionis.*

43 Similibus scommatibus etiam Sanctos Dei Prophetas Noè, Abraham, Iacob, Isaiam, Danielem, &c. homo vafer ineptissimè impetiuit: nimis tamen furiosè in Deiparam Virginem (b) *debacchatus est*; prohibendo tum ipsam peccatorum Aduocatam, Refugium nostrum, & matrem misericordiæ, ad quam *clamamus nos exules filij Euæ*: tum Cælitem aliquem, vnquam esse inuocandum. Sed temerè Caluinus os suum posuit in Cœlum, nempè in Beatissimã Virginem Mariam, *Cœlum & Thronus Cherubicus*, ab Epiphanio appellatam; *humani generis reparatrix*, à S. Augusno: *Imperatrix Clementiæ, Reparatrix rerum*, à Bonauentura: *Et causa salutis vniuerso generi humano*, ad Iæneo. Ab Andrea Cretensi verò, *Tabernaculum gratiarum Dei*, ab Anselmõ: *Templum misericordiæ Dei*, & à Damascenos *Pelagus gratiarum*, *Pelagus sanationum*, dicta. Tandem, *Dextera Christi, ad lapsos omnes erigendos extensa*, à Mæneis Græcorum: *Anchora, portusq; tutissimus*, ab Ignatio martyre: *Scala cœlestis, scala peccatorum*, à Fulgentio: *Terror Diaboli*, à Laurentio Iustiniano: *Fidelium fax*, à Methodio: *Et Mediatrix Dei; & hominum. Mediatrix ad Mediatorem*, ab Ephresyro nuncupata. in il-

(a) *In cap. 17. Matth. vers. 3.* (b) *Lindanus lib. 3. cap. 26.*

Digitized by Google

lam, iniquam, temerè Caluinus posuit os suum, quam nec Maumethus, imò teste Maumetho, nec Satan aliquando tãgere, ausus est. *Nullus nascitur de filijs Adæ*, testatur *Maumeth* Pseudo Propheta, *quem nõ tangat Satan, præter Mariã, & eius filium.* Caluinus autem tangere voluit: (a) an ergo, *tangẽdo Deiparam*, peior Maumetho, & Satana ipse extiterit, iudicet lector. Hoc tamen vnum, nũquam silentio omittam, videlicet id, quod de Caluino *Ioannes Carduinus*, (b) sic enarrat. Cum quædam deuotè mulierculæ Geneuanæ, talem Caluini blasphemiam aduersus inuocationem Deiparæ impiè prolata, ferre non possent: in tanti nefandi criminis pœnam, necem ipsi inferre meditatæ sunt. Propterea, cum Caluinum solum prope ripam Rhodani fluuij ambulantem inueniissent, statim validè eum tenuerunt, vt iam iam in aquis immergerẽt; & simul cum nefando flagitio, flagitij auctorem suffocarent. At Caluinus, tanquam Vulpis à Venatoribus deprehensa, vt sibi instantem mortem aufugeret, ad astutias recursum habuit, ipsas mulieres enixè efflagitans, vt tantillum spatij ei concederent, quo se possit ad benè moriendum præparare. Et cum Caluini precibus illæ annuissent, illicò genua sua in terram posuit, & deuotè Apostolorum Symbolum recitauit. Sed cum ad verba illa peruenisset, *Natus ex Maria Virgine*: totis viribus Beatissimæ Virgini Mariæ, Peccatorum refugo commendare se finxit. Et cogitantes illæ simplices mulieres, Caluinum re vera Beatissimã Virginem inuocare, eique humilibus precibus se commendare, viuum reliquerunt.

44 Viuo igitur à mulieribus Caluino relicto, ex his, quæ ei acciderunt, suam sectam citò exterminandam fore optimè cognoscere cæpit, propterea hæc verba eructauit. (c) *De posteritate sic Ego anxius sum, vt vix cogitare audeam, nisi enim mirabiliter Deus è Cœlo succurrerit, videre-*

(a) Lind. lib. 3. cap. 19. (b) Epist. ad Regem Hispan. de sua Conuersione.
(c) In præfat. Catechis.

Digitized by Google

re mihi video in extremâ barbariè impendere Orbi. Ad ipsâ ergo saltè in America firmandam, Nuncios in eadem Regione misit, Iustus Caluinus testatur (a) *Sed diuina prouidentia factum est, inquit, vt in itinere Apostata illi Apostolatum explerent, & vitam præsentem cum morte æterna commutarent.* Geneuæ vero suam Cacangelicam doctrinam, sequenti hoc ridiculo miracolo stabilire decreuit, scribit Hieronymus Bolsecus; (b) videlicet: *Cum quendam, cui Brullei nomen, & Patria Ostunum, in visum reuocare cogitaret, & moliretur, vt Sancti, ac gloriosi Prophetæ Dei, miraculorumque patratoris nomen sibi, & famam pararet, eius vafram, & subtilem machinationem præterire non debeo. Historia talis. Is, quem dix, Brulleus Ostuno, Geneuam demigrarat, vt cum inops ipse esset, & Vxor eius, Caluini gratia aucupabantur, vt ei commendati peculij pauperum fierent participes. Eis Caluinus vitæ subsidia benignè pollicetur, si ipsi contra suam operam sibi non negarent, ad rem quamdam, quam per eos fieri vellet, sed opus esse fide, & magna taciturnitate. Vicissim autem illi ad hoc, quod iubere vellet, prõptos se offerunt: & quemadmodum à Caluino edoctus, & instructus fuerat miser Brulleus, morbum simulat, & se in lectũ abijcit. Ministri pro concione Populo commendant, vt precibus iuuarent, & eleemosynis paupertati succurrerent. Non diù post persona mortui induit, & quidem mortuum se simulat. Hic Caluinus clam admonitus, quasi tamen omnium rerum ignarus, deambulantem prodijt, sed comitatus pro more suo magna caterua amicorum, sine quibus vix quidem de domo efferebatur. Postquam autem eo ventum est, vbi clamores, & eiulatus Vxoris, quæ miserlam, & desolatam aliquam mulierem egregiè exprimebat, exaudiret: quidnam hoc esset scisciatus, domum ingreditur, vbi in genua ipse, & reliqua caterua prouoluitur, precibusque alta voce profusis, Deum obtestatur,*

(a) *In notis ad August. de vnit. Eccles. cap.* 17. (b) *In vita Caluin. cap.* 13.

Digitized by Google

tur, potentiam suam ostendere, & huic mortuo vitam restituere, gloriamque suam sic vniuerso Populo declarare vellet, & simul manifestum facere, se Caluinum peculiarem, sibique gratum seruum esse, & à se Euangelij sui ministerium, atque Ecclesiæ reformationem, singulariter, & verè vocatum. Post quas preces, ad mortuum appropinquat, & miseri hominis manu apprehensa, in Dei, & Filij eius Domini nostri Iesu Christi nomine imperat, vt se erigeret, denique sic gratiam manifestam faceret. Repetit iterum, sapiusque eosdem sermones, voce etiam altus eleuata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque se commouet mortuus: iusto enim Dei iudicio, qui fucos, mendaciaque detestatur, is qui se mortuum simulabat, verè mortuus repertus est: & Vxor quidquid eum abitaret, quomodocumque eum impelleret, neque vocem extorquere, neque vt se commoueret, efficere potuit: sed totus frigebat, rigebat totus: quo animaduerso, plorare, vlulatus seriò edere, & ex animo cepit Vxori & in Caluinum inuecta, impostorum eum, Sicarium, Latronem, qui Maritum interemisset, appellans: ex ordine rem, quo modo erat gesta, clara, altaque voce exposuit: quæ cum neq; admonitionibus vllis permoueri, neque minis satis terreri posset, vt taceret: Caluinus apud Maritum mortuum ea relicta, illinc se subduxit, in vulgus spargens, mœrore, & mariti obitu deliram, ideoque excusandam: & conuentum cum ea deinde, Vrbe vt excederet, & est ipsa Ostunum reuersa, nupsit postea Ministro, quem Couldreum vocabant. Negent enim hoc quantum velint Caluini mancipia; exploratum, & cognitum satis fuit, & veritas rei satis probata: immo per ipsammet Vxorem confirmata, quæ nihil minus erat, quam mente capta, vt quæ nihil loqueretur absonum, neque quod à ratione alienum esset. hactenus Bolsecus.

45 Hoc igitur casu, & plerisque, aliter atque ipse optabat cedentibus, turbatus Caluinus, cæpit interea conscientiæ stimulis acrius agitari, propterea tam suos, quam aduenas Geneuam aduenientes, quid-

quidquid de ipso Mūdus sentiret, continuò interrogabat: & cum in hanc curiositatem non parum incumberet, accidit (testatur ex Ioanne Glano, (a) Henricus Lancellotto) vt quidam *Binchiensis Canonicus* simul cum quodam *Rhemensi Musico* è Gallia discederent, Romam pergentes; cupidine videndi Caluinum, eo quod apud Francos, & Belgas omnium sermonibus eum audierant memorare, Genevam Vrbem Sabaudię simul accesserunt. Cumque ibi essent, & reuerenter Caluinum salutassent, in hac parte ipse multa humanitatis indicia eis ostendit; deindè, quinam de se Francorum, & Belgarum sermones essent, est percontatus. At ipsi eius cæsum, & ab Ecclesia recessum, magnopere deplorati. Ad hæc Caluinus plangere, & execrari cæpit illam horam, qua animum ad studia applicuisset, affirmans, *Scientiam tantæ ruinæ causam dedisse, de cætero se extra viam salutis esse: hoc in dubiè cognoscere, & fateri.* Illi rursus pro sua modestia ita respondetur. *Domine erroribus tuis renunciare, & ad Ecclesiam reuertere. Sed quibus: serius est*, replicat Caluinus, *scio enim me à Deo excommunicatum, & ideo totius spei expertē.* Illi nihilominus: *semper aperta recipiendis peccatoribus, & amplectendis pœnitētibus brachia Dei esse, testantur. Verum*, subiungit Caluinus, *sibi nullam superesse pœnitentiam, quippe qui probe sciret, quali Berengarius respuerit panitentia.* Hos sermones præuio iuramento, præfatus Canonicus confirmauit.

46 Melioribus autem verbis ad Animæ suę salutem, respondere non poterat ebrius homo, in gurgitationibus, & opiparis conuiuijs ita assuetus, vt vinum, quo ipse vtebatur, nullum esset in tota Ciuitate delicatius, scribit supra citatus Bolsecus; quin, & subiungit. (b) *Cum ad quemquam Amicorum pransum ibat, vel cænatum, suum vinum in argentea langenula eo ferendum curabat, quod Domino, scilicet Caluino, eiusque palato seruabatur. Habebat præterea pistorem, qui singulari modo panes*

ei

(a) *Lib. Hæret. Quatu. fol.* 470. *n.* 14. (b) *In vita Caluin.*

Digitized by Google

ei, e vsque ori sapidos pinseret ex nobilissimo farinæ flore, aqua rosacea, saccaro, cinnamomo, anisso macerato, & bis deinde cocto, qui panis per singularem excellentiam, panis Domini, puta Caluini vocabatur. Nil igitur mirum, si cõtinuo morbis ipse afflictabatur, videlicet calculis, podagra, hemoroidibus, respirandi difficultate, morbo pediculari, præter sibi familiarem hemicraniam, quia omnia ista testatur Chrysostomus, ab immodica ingluuie sumonq; originem. *An non videtis quotidiæ*, inquit, *ex sumptuosis mensis, & immodica ingluuie, infinita morborum genera induci? Vnde podagræ, vnde capitis dolores? Vnde corruptorum humorum abundantia? vnde innumerabiles alij morbi? nonnè ab intemperantia?* Ab his ergo omnibus, toto vitæ suæ tempore vsque ad extremam horam, Caluinus non modo fuit angustiatus, verum & circa pudẽda à vermibus consuptus. Propterea inuocaris disperatè Dæmonibus, animam magnam adeò miserrimè exhalauit, vt Bolsecus, & Hartendius eius Ministri, ex tali horribili morte conterriti; abiuratis Caluini erroribus, & hæresibus, ad fidem Catholicam, tamquam ad veræ salutis fundamentum deuotè se contulerint. *Ad extremos Caluini annos deueniamus*, prosequitur Bolsecus, (a) *quam varijs ante obitum morbis afflictus, consumptusque fuerit, scribit Beza, ptysi, colica, calculo, podagra, hemorroidibus vexatum fuisse, præter sibi familiarem hemicraniam, & acres capitis dolores, quibus plerumque torquebatur. En tibi varia, & diuersa, quę simul in ipsum ingruerunt morborum genera, & cum quibus valdè miserè per multos annos, immo vero, vsque dum spiritũ exhalaret constatus fuit; certum, & expressum diuinæ iræ aduersus eum indicium, & testimonium. Sed peculiaris morbus, qui ipsum præ cæteris angustiauit, pedicularis fuit. Nam & hi vermes totum eius corpus peruaserunt, & fœtidissimo, ac virulentissimo vlcere circa verenda, vermibus bas sic fœde vlceratas partes miserrimè*

(a) *In vita Caluini cap. 22.*

Digitized by Google

mè corrodentibus, percussus est. Sic quondam Hunericus Secũdus Vuandalorum Rex, postquam Ecclesiam Orthodoxam annos octo persecutus fuisset, pediculari tandem morbo consumptus est. Sic Arnulphus Imperator, Caroli Crassi successor, Magnus Templorum violator, vastatorque. Sic Maximianus immanissimus Christianorũ hostis. Sic Antiochus Epiphanes, homo summè nefarius, impius, & magnus veterator, qui Templo Hierosolymitano nefariè expilato, ad veri Dei contemptum, Iouis in illo simulachrum statuit, & erexit. Sic crudelis Herodes, qui Innocentes pueros sustulit, sibique Dei honorem, & titulum vsurpauit. Sic inquam, homines nefarij, & scelerati à vermibus corrosi, extincti sũt. Sic demum alij plures hypocritæ, Deique hostes, qui prætextu, & colore sanctitatis, atque zeli assumpto, veritatem oppugnauerant, iusto Dei iudicio, & vindicta, in hac vita à pediculis grauissimè vexati, & à vermibus miserè corrosi, post longum, & diuturnum cruciatum, exterminati sunt, morteque extincti, & post hanc, in alteram illam longè miserrimam mortem, ad æternas illas infernales pœnas in perpetuum cruciandi, sunt præcipitati. In quos illud Psalmistæ verissimè quadrat (duplici contritione affixit illum) quomodo sanè duplici consumptione Caluinus dici potest consumptus. Nam, quidquid scribit Beza, quantumuis se illis, qui mortem eius impiè traductæ vitæ amplum satis testimonium tulisse censent, apponat, & Caluinũ filiorum Dei morte ex hac vita excessisse intendat; verissimum tamen est, quod grauissimos dolores, & asperrimos cruciatus, quibus Dei in illum seuera, grauissimaque manu ingruente excruciabatur, non ferens, Dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, & blasphemans, miser expirauit. Idcircò neget quantum volet Beza, negentque alij satis. Sic se rem habere exploratum est, immo hoc etiam, quod diem, atque horã detestatus sit, atque execrauit, quam vmquã studijs, vel scriptionibus impendisset, cum ex vulceribus, totoq; corpore grauissimi fœtores emanarent: ob

Digitized by Google

quorum grauem olentiam, & sibi ipsi grauis, & quæ eum circumstabat, familia erat. Quã causam fuisse etiam, vt eius domestici narrarunt, quod visitari se nollet. Hactenus Bolsecus Caluini Discipulus.

47 Cui, Conradus Schlusselburgius, Archiminister Lutheranus, sic adstipulatur. (a) *Deus*, inquit, *in virga furoris sui Caluinum visitans, atque horribiliter eum puniẽs, ante mortis infelicis horam tremendam (nam Deus manu sua potenti adeò hæreticum percussit, vt desperaret) Dæmonibus inuocatis, iurans, execrans, & blasphemans, miserimè animam malignam exhalauit. Obijt ante Caluinus morbo pediculari, vermibus circa pudenda, in apostemate, seu vlcere fætentissimo crescentibus, ita vt nullus assistentiũ fætorem amplius ferre posset. Hæc publicis scriptis Caluino obijciuntur (in quibus etiam de ipsius varijs flagitijs, & sodomiticis libidinibus, ob quas stigma ferri candentis dorso Caluini impressum fuit à Magistratu, horrenda narrantur) ad quæ non dum video solidã, & luculentam aliquam refutationem à Sacramẽtarijs editam esse, &c. Scio, & lego Bezam, eadem hæresi, eodemque peccato nobilitatus sit, vt historia de Andebertulo, & de Candida eius meretricula testatur, nemo ipsi in hac parte fidem habere potest.*

48 Mortuus est ergo impius Caluinus, anno 1564. salutis nostræ; ætatis suæ 55. die 27. Maij, Geneuæ, Idelectam Viduam relinquens, & sepultus est in Inferno: immo non obijt, sed potiùs ad Inferos tanquam homo damnatus abijt, perpetuò ibi arsurus cum Dæmonibus. Etenim, *qui diligit iniquitatem, odit Animam suam.*

HÆC VITA, ET ACTA SVNT iniquissimi CALVINI, simioli Lutheri, cui deinde per diametrum se opponens.

VIPERINAM SECTAM ANTILVTHERANORVM, siue Caluinistarum, aut Sacramentariorum genera uit, qui cum secti, & dissecti inter se pugnent, alij dicuntur.

49 Cal-

(a) *Lib. 2. Theolog. Caluinist. art. 9.*

Digitized by Google

49 Caluinomemorialistæ, anno 1550. exorti, & sic vocati, eo quod asserunt Eucharistiam nihil aliud esse, nisi *memoriale*, siue signū, ad memoriam Passionis Christi excitandam. Corpus autem, & Animam, ex carne Christi pasci, non quia māducatur corporaliter, sed quia quodam imputatiuo modo, per fidem imputatur. alij verò vocantur.

Caluinoenergici, anno 1551. nati, & ita dicti, eo quod dicunt, Corpus Christi in Eucharistia, pro *energia* Corporis intelligi oportere, quasi effectum pro causa per metonymiam accipientes; videlicet quod panis & vinum sint signa efficacia Corporis, & Sanguinis Christi. alij.

Caluinobezitæ, anno 1556. à *Theodoro Beza* Burgundo, Caluini Discipulo, & successore progeniti. Is enim ob dignos igne, & morte concubitus, ex Gallia aufugiens, Geneuam venit, & cum Caluino non modò per aliquot annos est conuersatus; verum, post eius mortem, prætensam illam reformatam Synagogam, per annos trigintanouem, perfidè rexit, & auxit. Pedophthorus iste, parum de propria salacitate erubescens, fui pueri Andebertuli, & concubinæ Candidæ, vt refert *Conradus*, & *Coriolanus* meus Conciuis(a) descripsit amores; & suis in fædissimo cæno se volutantis more, multa execranda dogmata in vulgus sparsit; præsertim, quod Anima Christi ad Inferos nō descēdit, sed quieuit tantum in Sepulchro; interpretans Infernum, Sepulchrū esse. Et ob id *Sepulchrales* anno 1564. ex ipso nati sunt. alij

Caluinopapistæ, siue Antipuritani, anno 1560. orti, & sic dicti, eo quod à *Caluinistis puritanis*, puram Caluini doctrinam sequentibus, in multis dogmatibus, & cœremonijs dissentiunt. Dicuntur tamen Caluinopapistæ, quia *Papistarum more* (sic nos Catholicos vocant) Crucem tāquam Christi trophęum, venerabantur. Item, Calices, vestes Sacras, Organa, cantus suscipiebant; nec non quædā Festa celebrabant; ac iuxta

(a) *In Vita Beza. Summ. Concilior. prælud. 9.*

Digitized by Google

veteris Ecclesiæ normam, Archiepiscopos, Episcopos, Archidiaconos, Decanos, Diaconos, Canonicos, & Cancellarios cum redditibus etiam habebant. alij

Caluinomastigæ, anno 1566. Reformatores Caluinianę, & Bezanæ doctrinæ de Cœna Domini, dicti: nam, licet Caluinum in omnibus obseruent, in doctrina tamen de Cœna, palàm ei aduersantur. alij

Caluinopacifici, anno 1570. sic vocati, eo quod licet doctrinę Caluini, quæ de Religione est, ipsi *acquiescant*; illā tamen, quæ ad seditiones ducit, *respuunt*; idcoq; tum Caluinopacifici, tum Caluinopolitici vocantur. alij

Caluinistæ liberi, etiam eodem anno; & illi sic vocantur, qui Consistorijs, eorumq; decretis *obedire renuunt*; nec libertatem vllam ex Magistratuū legibus, sibi adimi patiūtur. alij

Caluinistæ Cauffarij, anno 1572. & illi ità dicuntur, qui in Orbe Christiano omnia perturbantes, Regum, & legū perduelles sunt, ac publicæ tranquillitati infensissimi hostes. Hi æneorum tormentorū globulis, & armorum strepitu, suum Euangelium disseminant: Caluinistipacificis ex diametro appositi. Et istis adduntur.

Gummariani, anno 1603. à Francisco *Gummaro* Caluinista progeniti, qui Caluino per omnia adhęrentes, implacabile tamen bellum cum Arminianis gerunt.

Arminiani, etiā anno 1603. ex Iacobo *Arminio* Caluinista prædicante, in Hollandia orti. Hi, in materia de Iustificatione, peccato, libero arbitrio, & prædestinatione, à Caluinistis dissentiunt, in reliquis tamen cum ipsis conueniunt.

Piscatoriani, pariter eodem anno, ex Ioanne *Piscatore*, Caluinista Argentinensi nati; Is diabolica superbia hallucinatus, ausus est dicere, plus sibi, quam cæteris omnibus esse concreditum; propterea multa impiè docuit. &

Polyandristæ, à *Polyandro* Caluinista progeniti, nisi ab Anastasio Coclet Carmelita, (vti asserit Vir inter innumeros, quibus Illustrissima Religio Dominicana pollet, ce-

le-

lebertinus, Domianus Grauina,) (a) omninò subuersi essent.

QVIBVS OMNIBVS, sequētes Antilutheranos etiam annectimus, videlicet.

50 Buccetianos, anno 1531 à Martino *Buccero*, (b) à fide, & à Lutheri, & Zuuingli secta, Apostata; qui in Angliam vna cum Petro Martyre profectus, varium doctrinæ suæ venenum ibi sparsit, ac totus in Iudaismo conuersus, dubitauit an Christus verus Messias fuerit: propterea tanquā damnatus homo miserabiliter interijt.

51 Martyrianos, anno 1549., a supradicto *Petro Martyre*, Canonico Regulari, à Fide, & Religione Apostata, impiè docente; Deum sub speciebus panis, minimè Christū exhibere posse: & ob hinc etiam non posse fieri, vt manens ibi verum Corpus, in pluribus locis deindè existat: hocque ad illud rerum genus pertinere, ad quod Dei potētia non se extendit.

52 Oecolāpadianos, anno 1525. (c) orti ex Ioanne *Oecolampadio*, Monacho Basilēsano, proprio suo marte insulsè asserente, verba consecrationis intelligenda esse per tropum, & eodem modo dici, *Hoc est corpus meum*: ac cum Paulo Apostolo, *Petra autem erat Christus*. Sicque per ly Corpus, tantum figura corporis significari, & figurā dictionis in prædicato, & attributo, non vero in verbo *est* constituente.

53 Farelliſtas, anno 1530. à Vuilhielmo *Farello* Ministro Geneuano, insaniente; Spiritū Sāctū nihil aliud esse, quam motū, creatū in rebus.

54 Tigurinos, anno 1538. è *Schola Tiguri* ortos, in materia Cœnæ, Zuuingli sectatores. Circa reliqua, adeo Caluiniſtis inimicos, vt Caluini libros, asserentes Deum auctorem, & impulsorem peccati esse; & cætera omnia absoluta necessitate etiam fieri, publicè tradiderint flammis.

55 Apologeticos, ex *Apologia Ecclesiæ Anglicanæ*, quā ipsi in omnibus sequuntur, & proprio eorum marte ineptè asse-

(a) *Lib. Vox Turt. p. 2. c. 26. ver. longior.* (b) *Lind. lib. 4. c. 17. 41. & 54.* (c) *Lind. lib. 3. cap. 16.*

Digitized by Google

afferunt; vnitatem, non esse notam Ecclesiæ: Quæstionem de Paschate, & fermẽtato, futilem esse; ac ad laicos, licet Clerus repugnet, fas esse anti quam fidem, & fidei disciplinã instaurare; sicut ad Principes sæculares de dogmatibus iudicare. Item, illicitum esse vno, eodéque die, & Tẽplo, plures Missas celebrari, & Ecclesiam in materia fidei, errare posse; Infantes verò antequam Sacramentis initientur, ad Dei Populum pertinere: Quæ omnia scommata, sacrosancta œcumenica Tridẽtina Synodus, palàm damnauit.

56 Erasmianos, à Desiderio *Erasmo*, Rotherodamo, secundum spiritum filio Lutheri, natione Batauo, Spurio, vtpotè ex Patre Presbytero, & famula generato, in Ciuitate Gondanæ nato, educato tamen Rotherodami, Ordinis Canonicorũ S. Augustini professo, & desertore: Luthero verò adeò intimo, vt ex nimia eorum coniunctione, illud populare adagium per totam Germaniam prodiderit: *Erasmus innuit, Lutherus irruit. Erasmus dubitat, Lutherus asseuerat. Erasmus parit ouã, Lutherus excludit pullos.* Tandem, *aut Lutherus Erasmizat, aut Erasmus Lutherizat*. Is infamis Apostata, tam insulsè de Sanctissima Trinitate sensit, vt de auctoritate Euangelij Diui Marci, & de Symbolo Apostolorum dubitauerit, nec non Apocalypsim de canone deleuerit. Arrianæ perfidiæ Patronus extitit, & errores Pelagij acerrimè defendit. Purgatoriũ deniq; cũ Luthero modò affirmauit, modò negauit, ac Infernũ Cœlo miscuit; immemor eorũ, quę in *Diatriba* cõtra Lutherum scripserat. Eius Sectarij ab ipso anno 1520. sumpserunt originem, Iudaizantes, totam Ecclesiam labefactantes, ac tandem suã falsam doctrinam in Belgium introducentes, parum tamen, siue nihil proficientes, quia, (vt scribit Ioseph Andres Iesuita,) (a) Nicolaum de Egmunda, Carmelitam, ea tempestate Belgij contra hæreticam prauitatem Inquisitorem Generalem, tum in Scholis, tum

(a) *Decor Carmeli dec. 53. num. 229.*

Digitized by Google

tum in Templis maximum oppugnatorem, & Erasmianæ doctrinæ extirpatorẽ, habuerunt; sicut Louanienſis Vniuerſitas in ſuis faſtis Academicis, de Nicolao ita teſtatur. *Vir fuit ingenio acri, hæreſeſque tunc pullulantes, & nouas Eraſmi doctrinas, tum in Scholis, tum in Templis inſectator fuit vehemẽtius. Ideoque in epiſtolis Eraſmianis tot paſſim in Nicolaum querimoniæ, & inuectiuæ*, (quia ſcilicet, per Carolum V. Imperatorem Maximum, Inquiſitor contra hæreticam prauitatem per Belgium præerat inſtitutus) *habentur*. Et magis, quãtò vt Sanderus in *Chronographia Sacra* ſcribit: (a) *Iacobum Præpoſiti ad hæreſum ſuarum palinodiam coram Imperatore in Templo S. Godulæ Bruxellis* Nicolaus *compulit*. (b) Propterea Nicolao mortuo, hoc carmẽ Eraſmus liberiore lingua rependit: *Hic iacet Egmũdus, telluris inutile pondus: Dilexit rabiem, nõ habeat requiẽ.* Et quot quot hodie Libertinorum, Epicureorum, Politicorum, Atheorum, Apoſtatarum, Rebellium, & Tranſfugarũ in omnibus Vrbibus, & Chriſtianis Prouincijs greges diſcurrũt, à diabolico Luthero, vel ab eius Simio Caluino prodijſſe, dicuntur.

57 Qui, vt cæteris appareant ſapientes, & hoc colore inſontes decipiant, fucata dialectica, eiuſque ſophiſticis continuò vtuntur; cum ſophiſtica nihil aliud ſit, vel ſonet, quam apparens ſapientia: ad cuius rei veritatem, nonnulla dicam. Et nè in hoc à Reſolutiſſimi Bachonij doctrina diſcedere videar; quæ ipſe inhærendo Ariſtoteli, de Sophiſticis in quarta parte Summularum egit, ea hic referam; videlicet diuiſionem argumenti formati à vocibus ſubſtitutis, in Argumentum verum & apparens. Eſt autem Argumentum verum, quando voces pro terminis, & conceptibus ritè ſubſtituuntur, vt tres terminos tantum, & eſſentialiter inuariatos, cum debita illatione exprimant.

58 Argumẽtum verò ap-

pa-

(a) 2. *Elench. c.* 1. (b) *Logic. Aym. artic.* 2. §. 5.

Digitized by Google

parens, est, quando ipsæ voces in eorum repetitionibus, non terminos inuariatos, sed potius diuersos, ex diuersa suppositione vocum supponunt; & ideò, tum in antecedenti, tum in consequenti diuersæ fallaciæ oriuntur: quæ si in argumento assumunt voces tantum, dicuntur fallaciæ dictionis: si verò in argumento non voces, sed res assumunt, tunc fallaciæ extra dictionem vocantur.

59 Fallaciæ autem in dictione, siue in apparentia vocis, sex sunt; videlicet Æquiuocatio, Amphibologia, Accentus, Compositio, Diuisio, & Figura dictionis. Fallaciæ verò extra dictionem, sunt septem; nempè Accidens, Secundum quid ad simpliciter, Ignorātia Elēchi, Petitio principij, Consequens, Non causa, Ex causa: & his omnibus Hæretici, ad decipiēdos Christifideles, continuò vtuntur; præsertim fallacijs æquiuocationis, Ignorantiæ Elenchi, Accidētis, & Petitionis principij: de quibus, tamquam de principalioribus, omissis alijs, breuiter hic agemus; & primo.

6o Fallacia *æquiuocationis* tunc est, quando eadem vox diuersos terminos materialiter tātum significat, vt est vox ista canis, in sequenti syllogismo.

Omnis Canis latrat,
Quoddam Sydus est Canis,
Ergo quoddā Sydus latrat.

In hoc argumento negatur consequētia, eo quod medius terminus, nempè canis, diuersos terminos materialiter tātum significat, & non est idē medius terminus *inuariatus*. Siquidem canis in maiore supponitur pro cane terrestri, & in minore supponitur pro cane cęlesti: & ita argumentū non constat tantum ex tribus terminis inuariatis, sed ex quatuor; v3. maiore, minore & medio termino, in canem terrestrem, & cęlestem geminato: & talis medius terminus dicitur æquiuocus à casu, eo quod adest alius medius terminus, qui vocatur æquiuocus à consilio, & est, quando ipse medius terminus plura significat, diuerso tamen modo; videlicet vnum significat propriè, & alterum impropriè, vt in sequenti syllogismo patet.

Quid

Quidquid ridet habet os,
Sed prata rident,
Ergo prata habent os.

In isto argumento distinguitur maior; videlicet, quidquid ridet propriè habet os, concedo: quidquid ridet impropriè, nego. Prata enim rident impropriè, ac proinde non habent os, & in medio termino fit æquiuocatio. Pari modo respondendum est huic alteri argumento; videlicet propriè, vel impropriè, siue transumptiuè.

Quidquid currit habet pedes,
Sed aqua currit,
Ergo aqua habet pedes.

Respondetur: quidquid currit propriè habet pedes, concedo. Quidquid currit impropriè, & transumptiuè habet pedes, nego. Aqua enim currit impropriè, siuè transumptiuè, & ideo non habet pedes: sicque in medio termino fit æquiuocatio.

Simili autem fallacia æquiuocationis, lib. 4. instit. in nomine Ecclesiæ sic vtitur Caluinus. (a) *In Symbolo, vbi nos profitemur credere Ecclesiam: id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur; sed ad omnes quoque electos Dei, in quorum numero cõprehenduntur etiam qui morte defuncti sunt.* Etenim in istis Caluini verbis medius terminus non habetur inuariatus pro sola, & vera Ecclesia, sed æquiuocus, situs in illis verbis. *Id non solum ad visibilem, de qua nunc agimus, refertur, sed ad omnes quoque electos Dei, &c.* Quia, cum suam nouam Ecclesiam, minimè ante se esse ostendere possit; vt Catholicorum retia euadat, pluribus astutijs vtitur, & modo dicit, quod Ecclesia est visibilis, modo inuisibilis; Modo soli Deo nota, modo nota omnibus; modo vniuersalis, modo particularis. Nũc *omnes electos Dei amplectens*, etiam Lutheranos, & Zuuinglianos: nunc solos Caluinistas, &c. Et hoc astutè facit, vt scilicet interrogatus de sua Ecclesia, habeat semper rimam in promptu, per quam elabatur; sicut eius discipuli diligentissimè obseruant; modo huc, modo illuc,

(a) Cap. 1. 2.

Digitized by Google

ad instar auis saltantes.

Pariter, eodem lib. 4. instit. (a) alia æquiuocatione in hac voce *Corporis* vtitur Caluinus: Nam, verba illa Iesu Christi Redemptoris: *Hoc est Corpus meum*, diuersimodè interpretatur; & modo per ipsum Corpus, intendit verum Corpus, modo vim substantialem, modo signum, modo testamentum in Corpore, &c. vnde terminus inuariatus per vocem Corporis minimè habetur, sed potius variatus, plura significata amplectens. Hoc autem facit ad hunc finem, vt cum ex vi argumentorum cogitur fugam arripere, habebat asylum quo se recipiat, & aduersariorum tela eludat.

Item lib. 1. institut. Dum formam veræ doctrinæ tradere intendit Discipulis suis, sic vafrè alia æquiuocatione vtitur Caluinus in hac altera voce, Verbum Dei, (b) *Meminerimus hic*, inquit, *vt in tota Religionis doctrina tenendam esse vnam modestiæ, & sobrietatis regulam, nec de rebus obscuris aliud, vel loquamur, vel sentiamus, vel scire aliquid appetamus, quã quod Dei verbo fuerit nobis traditum.* libro verò 2. instit. ita subiungit. *Vltra Euãgelij simplicitatem progredi, fas non est.* In his autem vltimis verbis, nempe *Quam quod Dei verbo*, & etiam, *Vltra Euangelij simplicitatem*: non reperitur terminus inuariatus, sed dolosa æquiuocatio potius abscinditur; eo quod per ly; *Quam quod Dei verbo*; solam sacram scripturam ipse intelligit; *Et sacram Traditionem*, quæ est etiam Dei verbum, licet non scriptum, vt in cap 1. quæst. 3. notauimus, vafrè explodit. Lector autem minimè animaduertens talem æquiuocationem, sed hærens verbis Caluini, putat Catholicos Dei verbo destitui, si expressum sacræ scripturæ textum non allegent; cum ipsum solum, & ad credendum necessarium, explicitè admittat Caluinus: Sacram vero Traditionem implicitè neget, licet ipsam lib. 1. institut. sic confessus sit. (c) *Neq; Moyses nouum Deum comminiscitur: sed quod de eter-*

(a) *cap.* 17. §. 11. (b) *cap.* 14. §. 4. (c) *cap.* 8. §. 3.

Digitized by Google

æterno Deo longa temporum serie à Patribus, quasi per manus traditũ acceperant Israelita, proponit. Et ob hinc sic definitur fides. *Est virtus à Deo infusa, cuius lumine mens omnis illustrata, firmiter assentitur ijs omnibus, quæ Deus reuelauit, & Nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue illa Sacris Literis expressa sint, siue non.* Idest, siue per verbum scriptum, siue non scriptum, sed nobis traditum per Apostolos. Vidisti igitur quomodo Caluinus tamquã Calephanta se implicat, & callidè æquiuocationis causa fideles decipit. Sed ex fallacia æquiuocationis, ad illam Elenchi amabo transeamus.

61 Fallacia ex *ignorãtia elenchi*, siue argumenti, est fallacia ex ignorantia Syllogismi contradictorij orta, contradictoriũ ipsũ, ob defectũ alicuius sui modi non rectè, sed apparẽter tantum concludentis; eo quod vt Syllogismus contradictorius rectè concludat, requiritur, quod in se quatuor modos habeat, iuxta quatuor cõditiones, ad verum contradictorium requisitas; videlicet quod sit ad idem, secundum se, secundum modum, & eiusdem temporis. Quoties autem syllogismus contradictorius aliquo ex assignatis quatuor modis caret, toties fallacia secundum talem modum committitur, v.g.

Tunc committitur fallacia *in primo modo*, quando syllogismus non est ad idem, sicut est sequens syllogismus.

Duo sunt duplum unius, & non trium.

Ergo duo sunt duplum, & non sunt duplum.

In isto syllogismo negatur consequentia, cum ipsemet syllogismus non sit ad idem, sed secundum diuersum.

Fallacia vero *elenchi* in secundo modo, tunc committitur, qnando syllogismus non est secundum idem, v.g.

Petrus est paruus respectu montis, & magnus respectu muscæ.

Ergo Petrus est paruus, & magnus.

Negatur etiam in hoc argumento consequentia, quia syllogismus non est sicut debet esse, videlicet secundum idem.

Digitized by Google

Fallacia *in tertio modo* tunc committitur, quando syllogismus contradictorius, non est secundum eumdem modũ; v.g.

Iste homo est indiuiduum;
Sed homo non est indiuiduum.
Ergo homo est, & non est indiuiduum.

In hoc argumento respondetur, syllogismum ipsum variare in petitione, quia petitio ipsa non est similis, & eadem, sed diuersimodè.

Fallacia tandem *in quarto modo* tunc committitur, quãdo syllogismus contradictorius non est secundum idem tempus, v.g.

Petrus hodie non currit, cras currit,
Ergo Petrus currit, & non currit.

Respondetur negando consequentiam, eo quod in argumento non reperitur identitas temporis, ad syllogismum contradictorium requisita, & necessaria.

Caluinus autem Sanctorum inimicus, vt eorum meritorum virtutem, & efficaciam omnino delere posset, supradicta fallacia elenchi in primo modo, sic lib. 3. instit. vsus est. (a) *Quo enim poterat sadius profanari Christi sanguis, quãdum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad satisfactionem; nisi velut arescentis: & exausti defectus aliundè suppleatur, & sufficiatur.* Ecce in istis Caluini verbis fallacia elenchi ex contradictorio nõ ad idem orta. Etenim quæstio penes ipsum non est de efficacia sanguinis Christi, quia de ipsa magnificentius sentiunt Catholici, quam impius Caluinus, sed quæstio est de meritis Sanctorum, videlicet à Christo ex quadam dignitate labores martyrum, & aliorum Sanctorum assumi, non ad delendam culpam, & pœnam æternam peccatorum; sed tãtum ad redimendam eorum pœnam temporalem, in quam illa pœna æterna, iuxta Diuinæ iustitiæ dispositionem, cõmutata est. Hoc autem negat Caluinus, & quia argumento ad idem deinde probare non potest, præuia fallacia, omnia ad valorem Sanguinis Christi cal-

(a) Cap 5 §. 2.

Digitized by Google

callidè refert.

Item, vt liberum hominis arbitrium omninò etiam deleretur, ad ipsum abrogandũ ac alia fallacia elenchi Caluinus lib. 2. institut. vtitur. (a) *At qui, dum Paulus charitate Thessalonicensium animos repleri optat, satis fatetur sine profectu in auribus nostris sonare legem, nisi totam eius sũmã cordibus nostris Deus inspiret.* Et §. 7. subiungit. *Quare, nè amplius ista virium nostrorum cũ legis præceptis proportio vrgeatur, ac si Dominus, quam in lege daturus erat iustitiæ regulam, ad modulum nostræ imbecillitatis exegisset.* Ecce secundam fallaciam elenchi nõ ad idem, à Caluino astutè efformatam: siquidem nullus Catholicorum vnquam negauit, ad Dei legem seruandam opus esse auxilio diuino; nec solis liberi arbitrij viribus superari posse tentationes, aut peccata euitari; Sed id quod contra ipsum Catholici asserunt, hoc est; videlicet, quod homo diuina gratia adiutus, potest pro suo modulo legem Dei implere. Hoc autem negat Caluinus, & quia recto argumento ad idem nequit probare; illata fallacia, omnia ad diuinam gratiam dolosè reducit, & liberum arbitrium nequiret explodit.

Ceù, & hac alia *fallacia elenchi*, lib. 1. institut. sic nititur Caluinus infirmare auctoritatem Sacræ Scripturæ. (b) *Inualuit apud plerosque pernicioſissimus error, scripturæ tantum inesse momenti, quantum illi Ecclesiæ suffragijs conceditur.* Sed apertè in hoc etiam mentitur, cum communis Catholicorum sententia hæc sit; videlicet Sacræ Scripturæ auctoritatem, & momentum, nõ ab Ecclesia, aut hominibus, sed tantum à Spiritu Sancto, esse. Id autem quod Catholici dicunt, hoc est; ad videndũ scilicet, aliquis liber sacer sit, vel prophanus: aut quod Epistola Diui Iacobi canonica sit, vel ne? ad iudicium & testimoniũ Ecclesiæ hoc pertinere, cum ipsa sola Iudex talis litis sit. Propterea dicere solebat Augustinus: (c) *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ cõmoneret auc-*

cto-

(a) *cap. 5. §. 6.* (b) *cap. 7. §. 1.* (c) *Contr. epist. fund. c. 5.*

Digitized by Google

Eloritas. Ex quibus dictis, ad fallacias Accidentis transeamus.

62 Committitur talis fallacia tunc, quando subiecto tribuitur id, quod conuenit Accidenti v. g.

Esse Doctorem est accidens,

Sed *Petrus est Doctor.*

Ergo Petrus est accidens.

Est autē hæc fallacia adeò omnium periculosissima, vt etiam Docti non rarò ipsa decipiantur, testatur Aristoteles: (a) Propterea Caluinus vt decipiat insontes, lib. 1. institut. sic ipsa vsus est, in maxima commendatione Verbi Dei. (b) *Verbum Dei, rectior, & certior ad Deum dignoscendū via; quam totius Mundi theatrum, quod omnium Gentium oculis est expositum.* Et immediatè ad ly *Verbum Dei*, scripturæ nomen addit; & ita hęc duo, Verbum Dei, & scripturam permiscet, vt lector præter Sacram Scripturam, nullū aliud verbum Dei imaginetur: Et sicut benè sequitur; *hoc traditur in scriptura, ergo & in verbo Dei.* Ità callidè per Caluinum etiam hæc fallacia Accidentis sequi videtur; nempè *Hoc non traditur in scriptura, ergo neque in verbo Dei.* Quod omninò falsum est. Nam, quod hoc non sit in scriptura, videlicet in verbo scripto, accidentaliter sē habet: *Multa alia signa fecit Iesus, & non sunt scripta:* sufficit quod sit in verbo Dei non scripto, id est, in Sacra Traditione, vt suprà ostendimus, etiam teste ipso Caluino.

Item. Contra Sacramenta Ecclesiæ cur septem sint, & non plura, aut pauciora; hac simili alia fallacia Accidentis, lib. 4. institut: sic pugnat Caluinus. (c) *Pulchrè omnia, & venustè: sed vbi Dei verbum, quod Spiritus Sancti præsentiam hic promittat? nè iota quidem obtendere possunt.* Vbi Dei verbū Caluinè tum in Scriptura, tum in Sacra Traditione, quæ etiam per se est verbum Dei. Siquidem argumentum hoc; *Non legitur Christum hoc fecisse; ergo non fecit*: reprobatur inquit Resolutissimus Doctor, (d) de celebratione Missarum *cap. cum Marthæ.*

Sed

(a) 1. *Eleneh. c.* 5. (b) *cap.* 16. §. 1. (c) *cap.* 19 §. 5. (d) 1. *in* 4. *dist* 7. *q.* 1. *art.* 1.

Digitized by Google

Sed quali nunquam tu Caluine vrbo Dei scripto, aut nō scripto satis probabis, quod Sacramenta Ecclesię sint tantum duo, nempè Baptismus, & Cęna; nec plura, aut pauciora, sicut *cap.* 18.§.2. superius somniasti? Nullò certè ideoq; à tua prolata superius sententia palam recedis; & nos etiam à fallacia Accidentis recedendo, ad illam Petitionis principii pergimus.

63 Fallacia denique *Petitionis Principij* tunc committitur, quando idem, tantum verbis mutatis, etiam per ipsum idem ostenditur, & non per propriam, & veram sui probationem, v.g.

Anima rationalis extincto corpore non desinit.
Ergo Anima rationalis est immortalis.

Idem hic, mutatis tantum verbis per idem probatur: quia probatio Antecedentis, cur anima rationalis extincto corpore non desinat; est eius consequentia, videlicet quia est immortalis. Et probatio eius consequentis, quare immortalis est, est ipsum antecedens, quia non desinit extincto corpore, Vnde sumitur tanquam iam probatum id quod probatione omnino eget, Hæc autem fallacia maximè familiarissima est tam Luthero, quam Caluino, vt discurrenti patebit.

Quantum vero ad Lutherum; libro contra Regem Angliæ sic nimia iactantia ipsa vtitur, *Certus sum, dogmata mea habere me de Cœlo, qui etiam aduersus eum triumphaui, qui in vnguc nouissimo plus habet virtutis, & astutiæ* (idest Satan) *quam omnes Papæ, Reges, & Doctores.* hactenus Lutherus. Sed quod eius dogmata sint Cœlestia, & ipsa è Cœlo habuerit, minimè probat; sed tantum iactat; cum nobis, & cęteris manifestè cōstet, ipsa diabolica esse. Item, neque certitudinem illam, qua scit dogmata sua habere eum de Cœlo, satis ostendit; sed tantum dicit, vnde petendo Principium, assumit tamquam certum id, quod maximè probare debet; vt absque vllo obstaculo promptè talis fallacia, imperitos decipere possit.

Circa autem Caluinum, in epi-

Digitized by Google

epistola suis constitutionibus inserta, scribens ipse ad Regem Gallię, ita etiam vtitur simili fallacia. *Doctrinam nostram appellant nouam,* (Papistæ) *& nuper natam, dubiam, & incertam cauillantur; rogant quibus confirmata sit miraculis.* Et pag. 4. sic prosequitur. *Principium, quo nouam appellant, Deo sunt vehementer iniurij, cuius sacrum verbum, nouitatis insimulari non merebatur.* Hæc Caluinus. Sed quod pernicioſiſſimum suum verbum, sit verbum sacrum, verbum Dei, & minimè ambiguum, nulla ratione probat, sed tantum suo marte dolosè supponit. Vndè Lutherizando de more, assumit tamquam certum, & in vulgus spargit, id quod omnino probare debet.

Item ad probandum, quod eius Synagoga sit vera Ecclesia, lib 4. institut. ita supradictæ fallaciæ innitur Caluinus. *Hinc nascitur nobis, & emergit oculis nostris Ecclesiæ facies, vbi enimcumque Dei verbum sincerè prædicari, atque audiri: vbi Sacramenta ex Christi instituto administrari videmus, illic aliquam esse Dei Ecclesiam, nullo modo ambigendum est.* Sed in hoc etiam apertè principum petit. Nam quod inter Caluinistas Dei verbum sincerè prędicetur, & Sacramenta pariter administrentur ex Christi instituto, Caluinus non probat, nec vnquam probare potest; quia contra ipsum primò Lutherus insurgit, eum arguendo, quod verba illa Christi, *Hoc est Corpus meum*, non sincerè sit interpretatus. Deinde Anabaptista quærendo ab ipso, cur infantes absque vllo scripturæ testimonio baptizet. Demum omnes Catholici, eo quod pluribus mēdacijs, blasphemijs, & imposturis sacram doctrinam permiscet. Et quis vnquam indoctus, synceram verbi prædicationem, & administrationem Sacramentorum ex Christi instituto, Caluino concedet? si diuinam scripturam adeo miserè torquet, & Sacramentorum administrationem deturpat, vt in quouis liquore baptizare, & in quouis cibo, & potu cēnam sumi, insulsè permittat. Certò nullus vnquam: & ideò

sanè

fanè testatur, quod Ecclesiæ suæ facies, Caluinistarum tantum oculis (oculis nostris superius inquit) & non aliorum insurgit. Heu miser Caluine sic deprehensus, quid facies? ad aliam petitionem principij, nempè ad illam, quã lib. 1. institut. vafrè scripsisti, proculdubio confugies. (a) *Antequam tamen respondeam*, inquit, *monitos iterum volo Lectores, cauillum hoc non in me, sed in Spiritum Sanctum torqueri*. Sed quomodo probas Caluine, quod qui tuis dictis se opponit, Spiritum Sanctũ torquet? certò probare non potes, & ideò semper tecum in petitione principij manemus.

Ad hęc autem lib. 1. instit. sic respondit Caluinus. *Quidquid dicant Lutherani, Anabaptistæ, & Papistæ, certus sum meam doctrinam esse de Cœlo: idque ex arcano spiritus testimonio*. Sed scio hunc modum probandi quæstionem, & soluendi difficultatem, sicut & cætera alia, hausisse etiam ex Luthero, Caluinum. Miror tamen, cur suam cacãgelicam doctrinam Pythagorico more probet, videlicet manet ei pro ratione voluntas: *Certus sum meam doctrinam esse de Cœlo*. Cum eam ita esse, nũquã probauerit; nec quodnam sit arcanum testimonium spiritus: immò quod talis spiritus fuerit Dei, & non nequitiæ, siue Satanæ, aut illius Lutheri; satis etiam ostenderit, sed solum blaterauerit: vnde cum ipso semper in petitione principij sumus *Incidit*, Caluine *in Scyllam, qui cupit euitare Charybdim*. hactenus de fallacijs: de Hæreticorum autem.

64 LOGICA aliqua nunc dicere debemus; quam cum ipsi eruditè discere debeant, nè deinceps similia scommata committant: Caluinus, dum ab his erroribus suos imperitos corrigere debet, eis lib. 3. institut. Catholicos ità afficit. (b) *Sic proficiũt quotidiè rixando, vt ne prima quidem Dialectica elementa teneant*. Sed an potius de ipso quam de Catholicis vera sit similis iniuria; ex sequẽtibus, apertè patebit Lectori benevolo.

(a) *Cap.* 18. *s.* 3. (b) *Cap.* 2.

Digitized by Google

65 Primò enim certũ est, quod ex præmissis puris affirmatiuis, fieri non potest syllogismus rectus in secunda figura; videlicet in Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Caluinus autem, tamquam Dialecticæ ignarus, ex præmissis puris affirmatiuis, syllogismum rectum in secunda figura cõponit; vt lib. 4. institut. in explicatione textus D. Pauli palam potest videri. (a)

66 Secundò: Modus argumentandi à propositione particulari, (præsertim in materia incerta, & contingenti) ad propositionem vniuersalem; v.g.

Petrus hoc dixit.
Ergo omnes dixerunt.

Non valet, ideoque omninò prohibitus est. Caluinus autem veræ Dialecticæ expers, manifestè vtitur tali argumentandi modo: nã cupiés duo Sacramenta ad inuicem permiscere; videlicet Baptismum & Pœnitentiam: ex incerta auctoritate vnius, puta Augustini; ineptè lib. 4. institut., deducit hoc Axioma vniuersale. (b) Per vulgatum, inquit, *instar certissimi Axiomatis: Nam in libello de fide ad Petrum, qui Augustino inscribitur, Sacramentum fidei, & Pœnitentiæ dicitur. Et quid ad incerta confugimus.*

67 Tertio. etiam pro cõperto habetur, quod verus syllogismus ex tribus tantum terminis, nempè maiore, minore, & medio termino essentialiter debet constare: & si his vnus terminus deerit, tunc vocatur syllogismus truncus, videlicet Enthimema. Si verò plures termini ei addãtur, vel saltem vnus, tunc nullus dicitur syllogismus. Caluinus verò fucata dialectica de more vtens, suas argumentationes, modò quatuor, modò quinque terminis composuit: vt lib. 1. institut. manifestè patet. Ibi enim contra Imagines Iesu Christi, & Sanctorum arguendo, sic debacchatur.

Gentium simulacra sunt detestanda, &
Prophetæ illa subsannant.
Ergo etiam & Imagines Iesu Christi.

68 Quarto. Certum est, quod quælibet species, sub ge-

(a) *Cap. 7. §. 25.* (b) *cap. 19. §. 17.*

Digitized by Google

genere continetur. Caluinus autẽ hoc omninò ignorãs, ponit aliquid à parte rei sub genere, quod non reperitur sub aliqua specie: vt lib.4.instit.ut. manifestè inspicitur. Ibi enim loquens de legibus, & obedientia præstanda Magistratibus, ait. (a) *Si Principibus obediẽdum est non pœna tantũ, sed etiam Conscientiæ causa: sequi videretur, in conscientiã quoque dominari Principum leges. Quod si verum est; idem, & de Ecclesiasticis dicendum est. Respõdeo, primum inter genus, & speciem, hic esse distinguendum. Nam, & si leges singula conscientiam non attingant, generali tamen Dei præcepto tenemur, quod Magistratuũ auctoritatem nobis commendat.*

69 Quinto. Notum est omnibus, quod præcipuum logicæ munus est, vt ignota, per nota: & obscura, per clariora, nobis manifestet: sicut etiam fecerunt Sancti Patres, obscuras scripturas, per lucidissimũ Ecclesiæ lumen declarando: & scripturam difficilem, per aliã faciliorem exponendo. Caluinus autem hunc ordinem euertendo, claram Ecclesiæ scripturam, per doctrinam obscuram manifestat: videlicet, clarissima illa Christi verba, *Hic est sanguis meus*: Per hæc verba caliginosa interpretatur, nempè *Hic Calix nouum testamentum est in meo sanguine*. En quomodo ipse, non autem Catholici, *prima quidem dialecticæ elementa minimè habet.*

70 Si autem quæras, à quonam Magistro didicerunt Lutherus, & Caluinus similem logicam? ab Vuiclepho, Vualdẽsis noster respõdet. (b) *In omni disputatione*, inquit, *quã fecit iste Ioannes memoriæ ter dãnatæ de formis idealibus: sola logica quam inuenit, meretur vexillum portare paternum. Nihil extraneum dixit in Theologia, ponendo rationes Creaturarum in Creatore perennes. Nil nouum in metaphysica, ponendo eas plures, quãuis in fonte suo, & centro illius infiniti circuli indistinctas. Propter hæc, & similia suscitare lites, ventilare calumnias, libros conscribere, pingere paginas, iactare nouitates: la-*

(a) Cap.10.§.5. (b) Tom.1.de Sacram.c.1.pag.14.

Digitized by Google

boris consumptio fuit, non vegetatio disciplinæ. Quid ergo nouum ipse attulit mundo, hac sua noua logica, vtique tam nouella, quam nulla; de qua dicit in secũdo cap. de Ideis, quod non erit aliquis capax ad intelligendum æquiuocationis sensum in prædicta materia, nisi in suis logicalibus primò prolixius fuerit nutritus. Sed quę est eius logica? nisi quod ipse à quid, ad simpliciter, approbat bonam consequentiam esse, sic dicendo. Petrus intelligitur. Ergo simpliciter Petrus est. Et iterum: Petrus est in Deo secundum esse intelligibile; ergo Petrus est Deus. Hactenus Vualdensis. En vsus fallaciæ ex Vuiteleph, à recentioribus Hæreticis deinde excerptus, quem non vt fallaciæ, sed potius vt vsum veræ scientiæ cęteris ipse ostendat; negat modum secundum quid, modum aliquem esse, vt hoc neglecto, valeat eius argumentum, & consequentia teneat. Sed cõtra ipsum Vualdensis sic inclamat. *Consule Sophistam, vt doceat te modum dictum secundum quid, non esse aliquem modum. Ethiops enim, & si secundum dentes albus: nullo tamen modo est albus. Ideò sola logica te facit hic distare à fideli.* Nil igitur mirum si Lutherus, & Caluinus distãt à fideli: sunt enim logicæ, fallaciarumque Ioannis Vuiteleph damnati hominis publicè professores.

71 Vt igitur Hæretici ipsi similibus ambagibus Christi fideles decipiant, ad tegendam suam fraudem non modo labefactantur logicam: verum, & sæpè sæpius incidunt in legem Corneliã. Primo, Auctoris verba corrumpendo, sicut ad explodenda opera bona, lib. 3. instit. fecit Caluinus, ita inquiens. (a) *Etsi pertinaciter (Catholici) urgeant operum mercedem, regerere illud Petri licebit, vitam æternam, fidei esse mercedem.* Sed mendax Caluinus in hoc magnoperè ostenditur, cum Apostolus in sua Epistola ita dicat. *Finem fidei vestræ*; non dicit *mercedem fidei vestræ.* licet merces operum, fidem requirat: non est tamen fides ipsa adeò sola, vt bona opera tamquam socia, mi-

(a) Cap. 18. s. 3.

Digitized by Google

minime exigat, ſicut Caluinus aſſerit: quia Apoſtolus dicit, quod *fides ſine operibus mortua eſt.*

72 Secundo. Deprauando loca, & textum Auctorum corrumpẽdo, ſicut lib. 2. inſtitut. fraudolenter fecit Caluinus, falſo ibi citans Auguſtinum. (a) *Audiamus nunc*, inquit, *Auguſtinum ſuis verbis loquentem, libro de correptione, & de gratia ad Valentinum cap. 2. Primam fuiſſe libertatẽ, poſſe nõ peccare: noſtram multò maiorem, non poſſe peccare.* Sed in hoc etiam multipliciter Caluinus mentitur. Primo, quia citat caput 2. & eſt Caput vndecimum. Secundo, quia corrũpit verba Auguſtini, etenim S. Doctor ita loquitur. *Prima erat perſeuerantiæ poteſtas, poſſe bonum non deſerere: nouiſſima erit felicitas perſeuerantiæ, bonum non poſſe deſerere.* Caluinus autem vt ſenſum ſibi accomodet, pro ly *nouiſſima*, vafrè legit *noſtra*: & pro ly *erit*, intendit, *eſt.* Tertio, peruertit ſenſum Auguſtini; quia Sanctus Doctor loquitur de libertate nouiſſima in Regno Cælorum habitura, ad non poſſe deſerere Beatitudinem aſſequutam; non autem quod nunc homines non poſſint peccare, cum propter hanc cauſam ipſe Iouinianum inter hæreticos numerauerit.

73 Tertio, citando vnum pro alio, vt loco non inuento, diù fraus lateat, & defectus impreſſori imputetur; ſicut Caluinus lib. 2. inſtitut. in expreſſa impugnatione partitionis Decalogi, contra Catholicos fecit, ipſos ſic aggrediens. (b) *Suffragatur*, ait, *Auguſtinus ad Bonifacium*: & dicere debebat ad Ianuarium, ac etiam Auguſtini epiſtolam citare quod facilè feciſſet; niſi manifeſtam patefactionem ſui mendacij timuiſſet; eo quod Auguſtinus in ipſa partitione Decalogi, palam Caluino repugnat.

74 Tandem, citando vagè, ſine Auctore, & ſine libro in aere; ſicut ad abolendum omninò Clericorum cælibatum lib. 4. inſtitut. Caluinus fecit, ita inquiens. (c) *Quid amabo faciẽt omnibus vetuſtis*

Pa-

(a) *Cap.* 3. §. 13. (b) *cap.* 18. §. 10. (c) *cap.* 12. §. 20.

Digitized by Google

Patribus, quos certum est, non modo, coniugium Episcoporum ordine toleraſſe, ſed etiam approbaſſe. ſed hoc Caluini delirium primò adinuentum fuit à Iouiniano. (a) ſcribit Auguſtinus. *A Iouiniano quodam Monacho, iſta hæreſis orta eſt ætate, cum adhuc iuuenes eſſemus: citò tamen oppreſſa, & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum ſacerdotum potuit peruenire.* Secundo teſte Vualdenſe noſtro (b) fuit ab Vuitclepho propalatũ, contra quem ſtant omnes priſci Patres, præſertim Papa Clemens, ita decernens. (c) *Non licere Epiſcopis, Præſbyteris, & Diaconis poſt ordinationem, ad nuptias amplius venire.* Cauſam autem Auguſtinus ſic adducit. (d) *Quia licet vita coniugalis in ſe ſit mũda, comparata tamen miniſterio Dei, non eſt munda: ſicut lucerna eſt lux, vel lucida; cõparatione autem Solis, eſt tenebra.* Sanctus Ambroſius verò ita ſubiungit. (e) *Veteribus enim idcircò cõceſſum eſt Leuitis, aut Sacerdotibus Vxores ad vſum habere, quia multum tempus otio vacabant à miniſterio, aut Sacerdotio... Nunc autem ſeptem Diaconos eſſe oportet, aliquantos Presbyteros, vt bini ſint per Eccleſias, & vnus in Ciuitate Epiſcopus. Ac per hoc omnes à conuentu fæminę abſtinere debere: quia neceſſe eſt eos quotidie preſto eſſe in Eccleſia, nec habere dilationẽ, ut poſt conuentũ legitimè purificentur.* Venerabilis tandem Beda, ſuper illud Lucæ, (f) *& factum eſt, vt adimplerentur dies officij eius, abijt in domum ſuam*: ſic ad intentum noſtrum ait. *Quia vicis ſuæ tempore Pontifices Templi tantum officijs mancipati, non ſolum à complexu Vxorum, ſed ab ipſo quoque domorum ſuarum abſtinerent ingreſſu. Vbi noſtri temporis Sacerdotibus, quibus ſemper Altari ſeruire iubetur, perpetuæ ſeruandæ caſtitatis datur exemplum. Quia enim tunc Sacerdotalis ex ſtirpe Aaron ſucceſſio quærebatur, neceſſariò tempus ſubſtituendæ ſoboli procurabatur. At quia non car-*

(a) *Tom. 6. contr. Iouin.* (b) *Tom. 2. de Sac. Ord. cap. 78.* (c) *Lib. 6. Conſt. Apoſt. c. 17.* (d) *Sup. cont. Iouin.* (e) *To. 2. Epiſt. 1. ad Thimoth. c. 3.* (f) *C. 1.*

Digitized by Google

carnalis succeſſio, ſed perfectio ſpiritualis nũc inquiritur, conſequenter Sacerdotibus, vt ſemper Altari queant aſſiſtere, ſemper ab Vxoribus continendum, ſemper caſtitas obseruãda præcipitur. Conſule Sylueiram *to.1.Euang. lib.1. c.4. q.32.n.74.* Contrarium autem aſſerere inquit noſter Guido (a) de Terrena, ſiue de Perpiniano, Maioricenſis Epiſcopus; *inter errores Hæreticorum Vualdenſium, (quibus vrente carnis libidine, omnis carnalis mixtio eſt licita) error decimus octauus numeratur.*

75 Quia autem omnes ſupra recenſitæ Hæreticorum fallaciæ, & fraudolentiæ, præuia Theologia Scholaſtica, à Catholicis dignoſcuntur: nè vmquam deinceps amplius dignoſcantur; Hæretici adeò Theologiam ipſam odio habent, vt modo, *Aceruum ignorantiæ, & machinarum*, per Iacobum Latomum, eam vocent; Modò *Prophanam, & impiam facultatem*, per Melanchthonem, nuncupent: vtpotè qui Ieſu Chriſti Euangelium cruentauit, & eius fidem occidit. Ac tandem *Antichriſti lupanariam*, per Lutherum ipſam nominẽt: omiſſis tamen Caluino, Beza, Ianſenio, cæterisque alijs Eccleſiæ perduellibus, ita Scholaſticos Theologos inſultantibus: *Ad quid hæc noſtra Theologia Scholaſtica, futilibus, & inextricabilibus quæſtionibus quotidiè immerſa? quæ nullum fructum afferunt, nec nocent Hæreticis, ſed tãtum ſcholaſticos exagitant.* At quid respõdeam ad hæc? vt Theologicę domgaticę omninò faueat; eo quod ad Theologiæ dogmaticæ tuitionem, Scholaſtici ordinem in rebus tractandis, ſubtilitatem in proprijs argumentis proponendis, & aduerſariorum ſoluendis: formam veræ doctrinæ dialecticæ, vim rationum, & diſtinctionem veri è falſo, ab ipſa Theologia Scholaſtica, tamquam à proprio fonte continuò hauriunt: & hæc eſt præcipua cauſa, cur ipſa odio habeatur, & timeatur ab Hæreticis. Teſtem adhibeo fide digniſſimum, omni exceptione maiorẽ, vtpotè Eccleſiæ Oraculum, Sixtum V. in ſua Cõſtitu-

(a) *Lib. de hæreſib.*

Digitized by Google

stitutione, quæ incipit, *Triũphantis*, ita loquentem. *Theologia, Catholicæ fidei dogmatibus confirmandis, perneceſſaria eſt. Ipſi veritatis inimici ſunt Iudices, quibus Theologia Scholaſtica maximè eſt formidoloſa: qui profectò intelligunt, apta illa, & inter ſe nexa rerum, & cauſarum cohærentia; illo ordine, & diſpoſitione, tãquam militum in pugnando inſtitutione, illis dilucidis diffinitionibus, & diſtinctionibus. Illa argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus, lucem à tenebris, verum à falſo diſtingui, eorumque mẽdacia multis præſtigijs, & failacijs inuoluta, tamquam veſte detracta, pateri, & nudari.* Hanc maximã autem Summi Pontificis veritatem, in multis Sacris Oecumenicis Concilijs ad effectũ demandarunt contra hæreticos, plures Ordinum Mendicantium Illuſtriſſimi Theologi; præſertim Ordinis Carmelitarum, cum ipſi non vni, duobus, vel tribus, ſed planè omnibus Sacris Oecumenicis Concilijs interfuerint, quod Hiſtorici non pauci teſtantur. Et quidem exordiẽdo à Cõcilio Hieroſolymitano, ab Apoſtolis indicto, in quo penitus excila fuit Circumciſio; in ipſo ſcribit Ieſuita Andres, (a) *Carmelitarum quamplures reperies, atteſtante Euſebio Cæſarienſi lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 8. Fuerunt Prophetici Ordinis Viri quamplurimi. Idem etiam teſtatur Sigibertus in Chronico Hieroſolymitano.*

76 Concilio Niceno poſt ipſum Concilium Apoſtolicũ celebrato, adfuit noſter Sanctus Spiridion, Trymithunſis Epiſcopus, de quo Rufinus in Hiſtor. Eccleſ. ſic refert. (b) *Huic Niceno Concilio adfuit Spiridion, Vir vnus ex Ordine Prophetarum.* Qui Philoſophũ Ethnicum Chriſtianæ Religioni inſultantem, miro prorſus modo deuicit, & ad fidem perduxit. Vnde dexterũ Spiridionis oculum à Maximiano Imperatore ob defenſionẽ Catholicæ fidei erutum, Magnus Cõſtantinus tunc reuerenter eſt deoſculatus.

Concilio Conſtantinopolitano

(a) *Decor Carmeli decore 54.* (b) *Lib. 10. c. 4.*

Digitized by Google

cano 1. noſter *Euſebius* Prior Monaſterij Eliæ interfuit; ſicut ex Actis eiuſdem Concilij, Concilio Chalcedonenſi anno 451. celebrato, inſertis; apertè patet.

Concilio Epheſini Præſes, de mandato Cęleſtini Papæ, noſter Sanctus *Cyrillus* Patriarcha Alexādrinus extitit; qui Neſtorium hæreticū declarauit, & Beatiſſimam Virginem veram Dei Matrem eſſe, palā decreuit.

Concilio Chalcedonenſi adfuit *Generalis Eliotarum*, ſiue Prior Generalis Montis Carmeli, ſucceſſor immediatè Capraſij, ad quem Capraſium Ioānes 44. Hieroſolymorum, anno 412. librum de inſtitutione primorum Monachorū miſerat; vt Lezana ſcribit. (a)

Concilio Cōſtantinopolitano ſecundo, Silos interfuit, ſicut ex ipſo Concilio ſic legitur: *Silos Præſbyter, & Prior Monaſterij Eliæ, rogatus ſubſcripſi*. In ſex autem diuerſis ſupradicti Concilij locis, ob Silæ abſentiam, vel mortem; poſt Actionem V. ita ſcribitur. *Babylos Præſbyter, & Archimandrita Monaſterij nominati S. memorię Elię, ſubſcripſi.*

Concilio tertio Conſtantinopolitano, plures *Eliani* interfuerūt, licet proprijs eorum nominibus ſuppreſſis, cum Concilium indiſtinctè de ipſis loquatur (videlicet, *præter Monachos Occidentales, etiam Monachi Orientales adfuerūt*) & ea tempeſtate, omnes, vno communi vocabulo Monachi vocabātur, ſcribit Lezana. (b)

In Concilio ſecundo Niceno, Vita, & pretioſa mors S. *Anaſtaſij* Carmelitæ examinata fuit, atque decretum: eius *effigiei aſpectu Dęmones fugari, morboſque repelli*: & hoc non niſi ad Elianorum preces, ibi inſtantium.

Concilio Lugdunenſi, proſequitur Ieſuita Andres, (c) *interfuit Ioānes de Sublouio. Ferrarienſi Gualterus Venantius. Terraconenſi, & Lugdunenſi, S. Simon Stochi. Viennenſi, iuſſu Clementis V. Papę Guillelmus Rodingius pro diſcutiendis Tēplariorum articulis. Albigenſi, Ioannes Vualſinghamus. Baſi-*

(a) *To. 3. Annal. ad ann. 451.* (b) *To. 3. ad annum 678. vſque 682.*
(c) *Supra Decor Carmeli.*

Digitized by Google

liensi Ioannes Theutonicus. Cõstantiẽsi, Robertus Maschalus, ab Angliæ Rege *missus*. Et ex Vghello (a) *Antonius fidei Episcopus Caluensis. Pisano, Thomas Vualdensis, qui fundamenta exorti schismatis Gregorij & Benedicti, vt Harsfeldius notat, euertit. Florentino Vualtherus Hunt. Senensi, sed Patauiæ postea à Martino V. finito, Io: Bostonus; iussu Pontificis ad reprimẽdas hæreses ex Transalpinis pullulantes. Lateranensi, Bernardinus Landuccius. Tridentino demum, Nicolaus Audebius, Balthasar Limpus*. Episcopus Portugallensis, deinde Archiepiscopus Bracharensis, & Lusitaniæ Primas; sessioni sextæ anno 1547. ad diem 13. Ianuarij celebratæ se subscripsit: sessioni septimæ interfuit, ac tandem in sess. octaua mentem suam Apostolici planè Ministri indicem aperuit, refert Sfortia Cardinalis Pallauicinus. (b) Item, *Laurentius Lauretus*, postea Episcopus Adriensis, in ipso Tridentino concionem ad Patres *Dominica* 4. *Aduentus* anni 1561: & *Dominica* 4. *Aduentus* ãni 1562. eruditè habuit. *Didacus de Leon* Episcopus Colũbriensis, etiam concionem ad Patres die 20. Ianuarij 1562. habuit. Iulius Superchius Episcopus Acciensis, *Dominica Sexagesima*, quæ incidit pridie Februarij 1562. pariter in ipso Tridentino orauit. *Desiderius à S. Martino*, tanquam Theologus à Monarcha Hispaniorum missus, & postea Episcopus Vgẽtinus, concionem itidem ad Patres, *Dominica* 4. post Pẽtecostem anni 1563. habuit. *Vincentius de Leone* Episcopus Bosanensis, anno 1551. Concilio Tridentino interfuit. *Abbas Michael Iustinianus*, (c) testatur. *Euerardus Billicus*, tamquam Theologus à Sereniſsimo Romani Imperij Electore Rodulpho, Archiepiscopo Coloniensi, in Concilio Tridentino missus, à quo, & à fratre suo Antonio, Suffraganeus Colonienſis, & Episcopus Cyrenensis postea fuit denominatus. *Is*, subiungit

(a) *To. 6. Ital. Sacr. de Episc. Caluens. Indice part. eiusdem Concil.* (b) *In hist. Conc. Trid.* (c) *In 3.*

Digitized by Google

git ſupracitat. Andres Ieſuita, *cum Luthero, aliiſque huius generis Eccleſiæ hoſtibus manus inſeruit, & ſumma, qua pollebat ſapientia, & eruditione compeſcuit. Antonius Marinarius, Apulus, qui in eodē Concilio, egregium ſui ingenij ſpecimen dedit: quinquaginta enim hæreticorum argumenta ſuo ordine recenſens, ac eorūdē rationes, et Authorū teſtimonia, quibus firmabantur, adducens: ordine retrogrado, ab vltimo, vſque ad primum, clariſſimis ſcripturæ teſtimonijs, & argumentorū pondere confutans, ac elidens: omnibus occurrit, quod rariſſimum eſt, huiuſce Illuſtriſſimi Viri doctrinæ inſolitæ, ac memoriæ ſingularis exemplum. Hiſce annectē Ioannem Stephanū Cremonenſem, vario ſcientiarum genere excultum, virtutum ſplendore illuſtrem, & vitæ ſanctimonia celebratiſſimum: in eo enim, tamquam in ſpeculo, conſpiciebatur priſca illa vitæ Monaſticæ obſeruantia, ſeuera morum grauitas, ac ſummæ perfectionis, quod cæteri ſectarentur exemplar. Hic, inquam, ad Concilium Tridentinum à Pio IV. deſtinatus, RR. Prioris Generalis Carmelitarum munus ſtrenuiſſimè, ac laudabiliter obiuit.* Hactenus Andres.

Quibus, & alij Carmelitę etiã ſuccenturiandi ſunt, videl. (a) *Gerardus Hamericurth. Abb. Bortini*, Iacobus Chericatus, Prouincialis Venetiarum. *Sylueſter*, Confeſſor Eminentiſsimi Cardinalis Mantuani. *Lucretius Aſcolanus*, cum Illuſtriſsimo Patriarcha Venetiarum. *Theodorus Maſius*, cum Illuſtriſſimo Epiſcopo Cremonenſi: qui Theodorus Dominica quarta Quatragelimæ ſermonem ad Patres habuit, cuius initiũ eſt: *In ſacris Eccleſiæ ritibus, &c.* Patiſiis anno 1672. In Actis Concilij Tridentini, typis excuſum. Item Nicolaus Gallus, *Eraldus Gallus*, & *Angelus Ambroſinus* cum Reuerendiſsimo Patre Generali, vt ex ipſomet Concilio Tridentino apparet.

77 Etenim, ad Theologos veritates catholicas optimè animadvertere pertinet omninò, nõ tantum vt eis credãt: verum & quando opus eſt, vt

(a) *Coriolan. Sum. Concil. pag. 977.*

Digitized by Google

illas etiam cæteros edoceant: & in hoc, inquit Augustinus, Theologus à fidele distinguitur; (a) *Quia aliud est scire tãtummodo, quid homo credere debeat, aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur.* Necessaria est igitur Theol. Scholastica, quia ipsa præuia, quasdã veritates, licet non immediatè reuelatas à Deo, ipsis tamen necessarias, attingunt Theologi; quæ conclusiones Theologicæ deinde vocãtur, Ecclesiæ Dei vtilissimæ, cum ad ipsam pertineat, tum Canones, tum cætera alia, quæ Fidei deseruiunt, definire. Naturali postmodum discursu doctrinę scripturarum, ita ipsæ promouentur, vt fides omninò concordet rationi: nec per hoc injuria aliqua fidei auctoritati, quinimmò potius obsequium hoc ei loquenti exhibetur, nẽpè vt tam natura, quam Philosophia pro ipsa loquantur, & etiam testentur; plures res à Deo nobis dari, quarum lumini menti nostrę impresso nulla contraria est. Nec obstat quod Lutherus in contrarium blateret, *synceram Euangelij doctrinam obscuratam esse, Philosophię eluuione*: quia etsi antiqui Patres talem vnionẽ, exitialem iudicarunt: loquuti tamẽ fuerũt de illa Philosoph. quæ eorũ tẽpestate vigebat, & rerũ omniũ Magistrã esse, se iactabat; vnde, & fidem etiã teste Augustino cæteros docere cupiebat. Non autem loquuti sunt de illa humili Philosophia, quæ ideò fidei vnitur, vt discat ex ipsa id, quod imbecillis viribus suis minimè sapit. De cætero Paulus Apostolus pro confirmatione Euangelij, etiam Poetarum dictis vsus est: multò magis Philosophorum doctrina, penès quam resedit fides scientiæ humanæ, & ipsa vsũ sunt non modò Basilius, Nãzianzenus, & Augustinus: (b) verum & Clemens Alexandrinus, cum cuidã Discipulo suo, vt impostorum sapiens Christianus esset, hęc præcepta tradiderit. (c) *Vt sapientiam veluti septo quodam, sic philosophia, vt rectè viuendi instituto muniamus, quo sophistis*

(a) *Lib. 4. de Trin. c. 1.* (b) *In lib. de Ciuit. Dei.* (c) *Strom. 1.*

Digitized by Google

ſtis inacceſsã ſeruemus. Et cauſam rationabilem ſic aſſignat Petrus Damianus. (a) *Quia*, inquit, *inhoneſtum eſt, vt Eccleſiaſticus Vir, his qui foris sũt calumniantibus, per ignorantiam conticeſcat: Et Chriſtianus de Chriſto reddere rationem neſciens, inimicis inſultantibus, victus, & confuſus abſcedat.* Aſſiduis nãque in Gymnasijs ſcholaſticorum diſceptationibus, & ſubtilitatibus, quædam lux erga obſcuriſſimas queſtiones fidei oritur, quæ licet in ſe parua ſit, maior eſt tamen omnibus humanis euidentijs; & adeò de ipſa intellectus humanus delectatur, vt iure optimo Angelicus Doctor ita ſcripſerit. *Intellectus humanus magis deſiderat, amat, & delectatur in cognitione diuinorũ, quamuis modicum quidem de illis percipere poſſit, quam in perfecta cognitione, quam habet de rebus humanis.* Sicut totũ hoc in Tractatibus Sanctiſſimæ Triadis, Prædeſtinationis, Gratiæ, Incarnationis, cæteriſque alijs difficilioribus, apertè patet. Proinde Doctores Scholaſtici inſtituti ſunt, vt eruditione, & præcipua ſapientia Aduerſariorum fallacias detundant, obſcura enucleent, & sãctam fidem Catholicam defendant. Et hoc ſcribit noſter Doctiſſimus Vualdẽſis, à primæuo naſcentis Eccleſię exordio. (b) *Apud Iudæos*, ſcribit, *in lege Dei habebantur ex antiqua conſuetudine Doctores, & Magiſtri; ab his edocti Apoſtoli ſtatuerunt in Antiochena Eccleſia quinque Doctores, vt patet Actor. 13. Nec erant omnes Doctores, vt pateat per ſe, fuiſſe tunc Doctoratus officium ab alijs ſegregatum, in quod Apoſtoli aſsũpſerunt eos, quos videbant ingenio acriores, vel humana eruditione præſtãtes.* Antiochenam Eccleſiam ſequuta eſt Alexandrina; ipſa enim temporibus Marci Euãgeliſtę, etiam ſuos habuit Doctores, quorum vnus Pantheus fuit, primus Philoſophus, teſtatur S. Hieronymus de Viris illuſtribus. (c) *Pantheus*, inquit, *Stoicæ ſectæ philoſophus, iuxta quãdam veterem Ale-*

(a) *Opuſ. 2. contra Iudic.* (b) *To. 1. lib. 2. or. 3. cap. 67. num. 2.*
(c) *To. 1. de Script. Eccleſ. cap.* 36.

Digitized by Google

Alexandrinam consuetudinem, vbi à Marco Euangelista sẽper Ecclesiastici fuere Doctores, tãtæ prudentiæ, & eruditionis, tam in scripturis, quam in secularilitteratura fuit, vt in Indiam quoq; à legatis gentis ipsius, rogatus à Demetrio Episcopo mitteretur.

78 Ex institutione igitur Apostolorum in Ecclesia Romana Vniuersitates, Collegia, & Academię nunc reperiuntur, in quibus pro rerum veritate, & Theologiæ dogmaticæ defensione, Magistri, & Doctores continuò adsunt: Principia benè definientes, rerũ ordinem rectè tractantes, formam verę doctrinæ dialecticæ clarè disponentes, arcana inuestigantes, subtilia discutiẽtes, fallacias denundantes, nexum errorum soluentes &c. Vellent nunc Hæretici pro eorum libidine, vt Vniuersitates, & Collegia delerentur, Doctores Scholastici interirent, & doctrina Diui Thomę, Scoti, & Resoluti Bachonij aboleretur, vt his omnibus extinctis, nũquã eorũ fallacię deinceps à Catholicis detegerentur; sicq; pro eorum libito, Andabatarum more deciperent insontes. Et licet de hoc graui peccato, pluries, & pluries charitatiuè à S. Matre Ecclesia Catholica moniti fuerint; à veritate quidem auditum auertunt, figmenta eorum obstinatè sequuntur, & miserrimè in ęternũ damnantur. Et hæc præcipua causa fuit, cur perpetuis lacrymis S. Theresia à Iesu *Hæreticorum tenebras* defleuisset. Sancta verò Maria Magdalena de Pazzis, tam amarè *eos* lacrymata est, vt cibum deinde minimè sumere posset. Ego autẽ licet peccator, fraterna tamen charitate ductus, pariter amarè fleo; vnde ore identico Augustini, sic alloquor Deũ. (a) *In familia Christi tui Domine Deus meus, inter pauperes tuos gemo. Da mihi de pane tuo respondere hominibus, qui non esuriunt, neque sitiunt iustitiam, sed satiati sunt, & abundant. Satiauit autem illos phantasma eorum, & non veritas tua, quam repellendo, ab ea resiliunt, & in suam vanitatem cadunt. Ego certe sentio, quam*

(a) *To. 3. lib. 4. de Trinit. in Prologo.*

Digitized by Google

quam multa figmenta pariat cor humanum.

ORATIO.

79 Propterea, te humiliter rogo, & enixè deprecor Domine Deus meus, *qui perdes omnes, qui loquuntur mendacium*: vt mittas *de sede Magnitudinis tuæ assistricem sapientiam*, quæ mecum sit, mecumque in sequenti parte Polemica continuò laboret: vt retusis hæreticorũ iaculis; veritas de Cœlesti auctoritate Vnigeniti Filij tui Vicarij, rutilãs eis appareat, & splẽdescat; qua Romano Pontifici deinde obtemperãdo, in fidei tuæ firma confessione persistant, Tibique syncero corde, & pura mente deseruiant.

80 Matrem Misericordię verò, sic deuotè interpello.

Vbera nunc aperi Christo dulcedine plena
Nato mellifluens Virgo Maria tuo.
Disijce terrenæ nebulas, & pondera molis.
Dirige scribentis Virgo Maria manum,
Amen.

Digitized by Google

HISTORICO-THEOLOGICVS

LIBER BIPARTITVS.

PARS II. POLEMICA.

Omnia tela, aduersus Supremum Christi Sacerdotium, Potestatem eius Vicarij, & non interruptam hæreditariam permanẽtiam Successorum eiusdem, à Luthero, Caluino, cæteriſq; eorum Asſeclis fallaciter iaculata; fortiter, ſolidèque veritatis patefactione, detundens.

PROLOQVIVM.

EA modeſtia, quanos decet, & breuitate, qua potuimus, Vita, geſtis, propagatio. nibus, fallacijs, mendacijs, temeritate, perfidiaque Hæreticorum iam ſuperius enarratis: Ea nunc, quæ vnanimi impetu contra noſtram veritatem, in Prima Parte huius Operis relatam, ipſi obijcere conantur, omninò retundere, neceſſe eſt: vt ipſis confractis, veritas de Supremo Christi Sacerdotio, poteſtate eius Vicarij, & non interrupta hæreditaria permanẽtia Succeſſorum eiuſdem, magis pateat, & clarius cunctis eluceſcat. Propterea ſit.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIO PRIMA

De his, quę contra Supremum Christi Sacerdotium, tam à Scholasticis, quàm ab Hæreticis obÿciuntur.

CAPVT I.

Hæretici non vno ore, sed diuersimodè autumant, Christum fuisse Mediatorem.

PRimò quidem Franciscus *Stankarus*, (a) Mātuanus, quem superius inter Lutheranos mixtos retulimus; asserit Christum, vt Hominem absolutè, & præcisè, Mediatorem extitisse, videlicet secundum naturam humanam tantum; cum ipsa humana natura mediatrix, conciliatrix, & pacificatrix fuerit inter Deum, & hominem; ergo &c.

2 Sed Stankarus in hoc, multò à veritate aberrat; siquidem ipse opinatur, opera mediatoris, solius suppositi humani opera fuisse; sed quia suppositū in Christo, humanū non est, sed diuinum; ideò corruit eius argumentum: aut distinguendo antecedens, responderi potest, videlicet: natura humana præcisè fuit mediatrix, conciliatrix, & pacificatrix, nego. Natura humana vnita hypostaticè Personalitati Verbi, concedo.

3 Cęteri verò Lutherani, & Caluinistæ sentiunt, Christum secundum vtramque naturam, videlicet humanam, & diuinam, esse Mediatorem; vt fusius scribit doctissimus *Bellarminus*. (b) Et ideò primo sic inquiunt. Licet Apostolus relato loco sic dicat: *Mediator Dei, & Hominum Homo Christus Iesus*; Verum per ly *Dei*, non facit distinctionem ratione naturæ, sed tantum ratione Personæ, ita quod per ly Dei, intelligatur Pater, à quo Filius personaliter distinguitur. Ergo Christus nō fuit mediator secundū naturā humanam tantum, sed etiam secundum diuinam, in quantum Deus.

4 Sed contra allatum argumentum, diu ante Lutheranos

(a) *Lib. de Trinit. & mediat. confut. 2. Epist.* (b) *Lib. 5. de Christo cap. 8.*

Digitized by Google

ranos, & Caluiniſtas, ita reſpõderat Auguſtinus. (a) *Quid eſt eſſe mediatorem inter Deum, & Hominem; non inter Patrẽ, & homines, ſed inter Deum & Homines. Quid eſt Deus. Pater, & Filius, & Spir. Sanctus. Qui ſũt Homines. Peccatores, impij, mortales. Inter Illã Trinitatẽ, & Hominum infirmitatem, & iniquitatem mediator factus eſt Homo, non iniquus, ſed tamen infirmus.* Et ita teſte Beccano, cõmuniter ſentiunt Chriſoſtomus, Beda, Anſelmus, & Theophylactus.

5 Relata tamen Auguſtini doctrina, Lutheranorum, & Caluiniſtarum minimè coercet vaniloquium, ſiquidem ita oſtinatè eorum argumentũ proſequuntur. Si enim per vnum Deum intelligeretur Trinitas, & à Trinitate diſtingueretur mediator, iam daretur Quaternitas; ſed hoc eſt abſurdum. Ergo Per ly *Vnũ Deum* non intelligitur Trinitas, ſed tantum Perſona. Ergo &c.

6 Huic autem ſequelæ abundè ſatisfacit Reſolutus Doctor, à ſuo Diſcipulo (b) *Zagaglia* relatus; negando antecedens, ac per ipſum dari Quaternitatem Perſonarum in diuinis. Quia, inquit, *aliud eſt loqui de principio quo eliciti uo operum mediatoris: aliud vero de principio quod. Principium quo, eſt natura humana. Principium quod, erat Perſona Verbi, vt terminans, & ſiſtẽs naturam humanam: Vnde ſicut dicebamus, quod circa ſatisfactionem Chriſti, eadem Perſona diuina erat creditor, vti ſiſtens in natura diuina; & vt ſubſiſtens. In natura humana ſatisfaciebat ſibi ipſi, vt ſubſiſtenti in natura diuina; ita circa officium mediatoris exercitũ per Chriſtum, diſcurrendũ eſt eodem proportionali modo.*

7 Sed contra: Pacificare enim, & reconciliare, vt iam dictum eſt, officium eſt mediatoris; Sed teſte Paulo Apoſtolo ad Corinth. 2. *Omnia autem ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum; & Deus erat in Chriſto mundũ reconciliãs ſibi.* Ad Coloſſẽſes vero p. *Pacificans per ſanguinẽ Crucis eius: ſiue quæ in terris, ſiue quæ in Cœlis ſunt.* Deus his ver-

(a) *Enarrat. 1. in pſal. 29.* (b) *Tom. 6. diſp. 11. ſect. 2. num. 49.*

Digitized by Google

verbis dicitur pacificare, & reconciliare. Ergo Christus etiã secundum naturam diuinam fuit Mediator, videlicet, vt Deus.

8 Ad hoc argumentum, respondetur distinguẽdo maiorem. Pacificare, & reconciliare est officium mediatoris, videlicet, pacificatio facta à Persona non offensa, inter offendẽtem, & offensum, est reconciliatio, cõcedo. Pacificatio, siue reconciliatio facta à Persona offensa cũ offẽdente, nego. Quia cum inter offendentem, & offensum nullus mediet, non potest dici, quod talis pacificatio sit officium mediatoris. Deus autem fuit offensus à Genere humano, & hoc Deus recõciliauit sibi, non immediatè per se ipsum, sed mediatè, idest per Christum, quẽ deputauit mediatorem, & Redemptorẽ, vt in carne assumpta per opera satisfactoria de condigno, & ad æquiualens, exhiberet condignam, & iustam satisfactionẽ; & hoc modo recõciliaret sibi genus humanum.

9 His autem doctrinis minimè conuictus, sed illi Ioannis (a) *Ego pono animam meam pro ouibus meis, & iterũ sumam eam*, potius innixus, sic amplius Caluinus vrget. Christus hic loquitur vt mediator, sed non loquitur vt Homo, quia Homo arbitriũ vitæ, & mortis non habet, cũ sint in manu Dei; Ergo loquitur vt Deus; & sic vti Deus mediator fuit.

10 Sed sciat impius Hæreticus, quod ponere animã, nempè mori, conuenit homini secundum humanitatem, & huiusmodi mortalitatem; Potestas vero exponendi vitam, siue animam pro libito, vt iterũ ipsa sumatur, datur à Deo; & hanc potestatem ponendi animam suam pro hominibus; Christo virtute vnionis hypostaticæ, tanquam Filio suo naturali, Deus cõtulit. Mori autem conuenit Humanitati. Si ergo ponere animam pro Hominibus est exercere officium mediatoris, & Deus potestatem ponendi animam, & iterum sumendi eam mediatori contulit, proculdubio apertè colligitur, Christum

(a) *cap.* 10.

Digitized by Google

secundum humanitatē, mediatorem extitisse; nam talis mediatio ipsi non aliter concessa fuit, nisi per redemptionem, & satisfactionem ad æquiualens, & ex perfecta iustitia, quę fieri debebat per Humanitatem, non quidem præcisè, & absolutè, sed vt hypostaticè cum Verbi personalitate coniunctam.

11 Contra tandem subiungit Caluinus: nam renouare corda, & dare Spiritū Sanctum, opera sunt mediatoris, testatur in Enchiridio (a) *Augustinus*; sed renouare corda, & dare Spiritum Sanctum est solius Dei; Ergo Christus mediator est, in quantū Deus. Sed.

12 Tale argumentum sic exsufflatur, videlicet; renouare corda, & dare Spiritū Sanctum esse opera mediatoris, non effectiuè, sed meritoriè, quia solus Deus effectiuè renouat corda, & dat Spiritum Sanctum, mediator autem facit vtrumque meritoriè.

(a) Cap. 33.

CAPVT II.

Ex Hæreticorum asserto, Christo Mediatori, siue Sacerdoti esse minime conuenit.

ECclesiæ Dei perduelles, vt contra Sacrosanctū Concilium Tridentinum se gerant, & eorum delirium, nempè Christum, secundum Hominē, mediatorem non esse, cæteris demonstrent; omni conatu asserunt, ipsum Sacerdotem non extitisse, propterea sic sequēti nos impetūt argumento.

13 Sacerdos in vero sacrificio debet hostiam mactare, sed Christus non se mactauit in Cruce; Ergo Christus propriè non fuit verè Sacerdos; neq; ob aliam rationē, nisi quia disconueniens erat.

14 Contra tale argumētum stat communis responsio, videlicet, ad hoc vt Christus fuerit propriè, & verè Sacerdos, ac eius mors verè, & propriè sacrificium, sufficiens fuit vt morti, spontè, ac liberè se ipsum obtulerit: etenim in eius potestate fuit se à morte liberare, saltem pro eo tēpore,

Digitized by Google

pore, quo illam passus est; sed voluntariè iuxta illud Ioannis decimo: *Ego pono animam meam*; mortem acceptauit, & ad occisionem hostiæ aliquo modo concurrit, quod proprium Sacerdotis est, cū non requiratur, quod illam occidat, sed sufficit, quod certæ morti, & occisioni eam exponat. Ergo &c.

Neque ex hoc infertur: ergo Martyres etiam dicendi sunt Sacerdotes, quia sponte pro fide Christi Martyrium subierunt.

15 Quia licet martyres aliquo modo dici possint Deo se in sacrificium obtulisse, martyriū tamen eorū propriè Sacrificiū nō erat, nec Martyres ipsi proprie Sacerdotes; cū sacrificiū debeat esse cæremonia sacra ad sacrificandū cultū erga Deum, vti vitæ, & mortis supremum Dominum legitimè institutæ; & martyriū ita non fuit, quia præter sacrificium incruentum Missæ nullum aliud sacrificium strictè acceptum in lege Euangelica reperitur. Et licet Martyres se morti obtulerint, ipsamque libenter sustinuerint, per hoc tamen seipsos sacrificasse, ipsosq; Sacerdotes fuisse, minime dici potest, quia non erant ad talem oblationem publica auctoritate Sacerdotes constituti, aut Ministri cōsecrati. Christus autem ab æterno fuerat Sacerdos, ac publicus Pontifex ad vitam suā pro totius generis humani redemptione sacrificandum.

16 Contra: Illum dumtaxat in veteri lege decebat Sacerdotium, qui ex Tribu Sacerdotali carnis trahebat originem; sed Christus non ex veteris legis Sacerdotibus, sed ex Tribu Iudæ, de qua nihil de Sacerdotibus loquitur Moyses, carnis originē traxit. Ergo Christo Sacerdotium minime conuenit.

17 Huic argumēto, ita respōdet *Angel. Doctor, 3. p. q. 22. art. 1.* quia veteris legis Sacerdotiū Christi Sacerdotij figura erat, ipse de figuralibus Sacerdotū Stirpe nasci noluit, vt ostenderetur suum Sacerdotium cum antiquo idem minime esse, sed sicut verum à figurali, omninò differre.

19 Nec denique inferas: Christus est legifer noster; in veteri autem lege Sacerdos, &

Digitized by Google

& Legislator idem non erant, vt ex illo Exodi colligitur.(a) *Applica*, inquit Dominus Moysi, *Aaron fratrem tuum, vt Sacerdotio fungatur mihi.* Ergo Christo non conuenit esse Sacerdotem.

19 Etenim, hoc ita accidit, quia non omnes gratiæ impartitæ sunt vni Homini, sed particulariter vna vni, alia alij, &c. Christus autem tanquam omnium caput, omniũ in se gratiarum plenitudinem habet. Et ideò vbi in cæteris Hominibus, vnus est Legislator, alius Rex, alius Sacerdos, &c. In Christo, tanquam omnium gratiarum fonte, ad inuicem concurrunt hæc omnia, teste Isaia: (b) *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster, ipse veniet, & saluabit nos.*

CAPVT III.

Aduersarij iterum conantur ostendere, dignitatem Sacerdotij minimè Christo conuenire secundum humanitatem.

Hæc Aduersariorũ impugnatio nil differt à præcedẽti, cui omninò affinis est: nã si Christo Sacerdotiũ minime secundũ humanitatem, sed potius secundum diuinitatem conueniret, cum Sacerdos idem sit, ac mediator; proculdubio in errores Lutheranorum, & Caluinistarum incideremus, quod ipsi maximopere cupiunt; propterea hæc confingunt argumenta.

20 Christus, teste Cyrillo Hierosolymitano catechesi x. *Habet Sacerdotium immutabile, quod nec tempore cepit, nec successorem alium habebit Sacerdotij.* Ergo Christus ante incarnationem, quę in tempore cępit, erat Sacerdos. Ergo secundum diuinitatem, & non secundum humanitatem. sed.

21 Rectè autem Cyrillum, quem & incongruè in medium adducunt, non intelligunt; cum ipse asseruerit Christum non fuisse Sacerdotem, oleo temporali, sicut cæteri vnctum; sed oleo ętterno, nimirum sua diuinitate, vt benè notat Suarez.

22 Contra. Paulus Apostolus ad Hæbreos ait de Chri-

(a) *Cap.* 28. (b) *Cap.* 33.

Digitized by Google

Christo, (a) *Habemus Pontificem magnum, qui penetrauit Cælos Iesum filium Dei*; Sed Cęlos penetrare, non potest puro homini conuenire, sed Christo vti filio Dei; Ergo vti filius Dei, videlicet, secundum diuinitatem, & nō secundum humanitatem, Sacerdos est.

23 In allegato argumento, illud Apostoli Pauli, *Habemus Pontificem, qui penetrauit Cælos*, ita intelligi debet; Habemus Pontificem, in quo duo debent distingui; primo, virtus penetrandi Cælos, secundo, ipsum penetrare Cælos. Virtus penetrandi Cælos, erat in Christo secundum diuinitatem. Ipsum autem penetrare Cęlos, conueniebat Christo secundum humanitatem; quia cum penetrare, sit moueri loco, non potest Christo secundum diuinitatem, quæ immobilis est, conuenire; sed tantum secundum humanitatem, secundum quam ipsi conuenit sacerdotium.

24 His non obstantibus, sic tandem Aduersarij vrgēt; Sacerdos, teste Zaccharia (b) (*ostendit mihi Deus Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini*) est minor Angelo; sed Christus maior est omnibus Angelis. Ergo, vel Sacerdos non est, vel si est Sacerdos, secūdum diuinitatem, & non secundum humanitatem est.

25 Sed pro solutione huius argumenti, sciendum est cum (c) *D. Dionysio*, quod potestas hierarchica, in tantum conuenit Angelis, in quantum ipsi Angeli medij sunt inter Deum, & hominem, & cum Sacerdos etiam medius sit inter Deum, & Populum; ideò secundum Malachiam cap. 2. sortitus est nomen Angeli: *Angelus Domini exercituum est*. Christus autem, non solum secundum diuinitatem maior fuit omnibus Angelis, sed etiam secundum humanitatem, propter omnem gratiæ, & gloriæ plenitudinem. Sicque modo excellentiori præ omnibus Angelis habuit etiam Sacerdotiū, & adeo vt talis Sacerdotij, Angeli ipsi ministri extiterint. (d) *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei*. licet secundum

(a) *Cap.* 4. (b) *Cap.* 3. (c) *Cap.* 6. *Hierarch par.* 3. *à med.* (d) *Matth. c.* 4.

Digitized by Google

dum carnis passibilitatem, modico ab Angelis minoratus sit, iuxta illud Pauli ad Hebræos; (a) *Et secundum hoc conformis fuit hominibus viatoribus in Sacerdotio constitutis.*

CAP. IV.

Falsa aduersariorum opinio, Christum Sacerdotem, & hostiam simul fuisse negantium, aperte refellitur.

IEsum Christum Redemptorem nostrum, Sacerdotem simul, & hostiam extitisse pro redemptione totius generis humani, satis iam definitū fuit in Concilio Ephesino, sicut in epistola decima refert noster Cyrillus. Attamen qui in veritatem nequissimo animo sunt, & tanquam vulpeculæ, Domini Sabahoth vineam demoliuntur, in hanc certissimam veritatem sequentibus inuehi non erubescunt.

26 Sacerdotium Christi magis simile est Sacerdotio Iudæorum, à Deo institutum, quam Sacerdotio Gentilium, quo Dęmones colebantur; Sed per Sacerdotium Iudæorum in veteri lege homines in holocaustum minime offerebantur. Ergo nec in Christi Sacerdotio, Christus offerendus erat in hostiam. sed

27 Sciendum est; Sacerdotium Iudęorum, figuram supremi Sacerdotij Christi extitisse, quia licet in ipso homines non offerrentur, agni tamen, qui ratione innocentiæ, & lenitatis, Christum ipsum repręsentabant, immolabantur. Propterea vt figuratus omninò correspondeat figuræ, Agnum Dei immaculatum in crucis ara pro generis humani redemptione, Deo oportuit immolari. Siquidem Christus pręcellens, & singularis hostia fuit, cum præter innocentiam, & lenitatem, etiam voluntarie se ipsum obtulerit passioni, iuxta illud Isaiæ, (b) *Oblatus est quia ipse voluit*; & ita magis.

28 Instant: omnis Hostia, ex hoc quod Deo offertur, Deo sãctificatur; sed humanitas

(a) *Cap. 2.* (b) *Cap. 53.*

Digitized by Google

tas Christi fuit à principio sanctificata, & Deo coniuncta; Ergo non poterat iterum Deo immolari, siue offerri, & sanctificari. Sed

29 Argumento isti respondetur, quod licet humanitas Christi fuerit Deo à principio coniuncta, & sanctificata, hæc tamē sāctificatio non obstitit, quin ipsa humana natura cum in passione denuò fuerit Deo oblata, nouo modo sanctificaretur; videlicet vt hostia tunc actualiter exhibita, nam acquisiuit tunc actualem hostiæ sanctificationem ex antiqua charitate, & gratia vnionis eam absolutè sanctificante.

30 Contra. De ratione Sacerdotis est, quod ipse sit causa efficiens physica, vel saltem moralis mactationis victimæ, sed Christus non fuit causa efficiens suæ mortis in Cruce, quia alias esset sui ipsius homicida; Nec fuit causa moralis, quia de sua morte excusarentur Iudęi, quod ipse illam iussisset. Ergo Christus non fuit nec Sacerdos, nec Hostia.

31 Respondetur, Christū minimè se occidisse, sed tantū voluntariè exposuisse semetipsum morti, iuxta superius ad dictum Isaiæ; *oblatus est, quia ipse voluit*. Propterea, quod Christus se occiderit, aut sui ipsius necem iusserit, asserere impium est; benè tamen, quod se vltro morti, & in holocaustum obtulerit. Poterat enim Iudæorum impetus frangere, nè eum læderent, sicut ex illo Ioannis patet; (a) *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*; aut ne vllum sibi nocumentum inferrent, passionis Instrumenta retundere, & se illæsū seruare. Et ideò dicebat; (b) *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed Ego pono eam à me ipso*. Ex quibus sanè colligitur, Christi oblationem, nō modo Sacrificij rationem habuisse, sed ipsum Christum verè, & propriè Hostiam extitisse simul, & Sacerdotem. Quapropter à Sanctis Martyribus differt, quia Martyres potentiæ, & violentiæ Tyrannorum minimè resistere, aut

(a) *Cap.* 18. (b) *Ioan. cap.* 10.

Digitized by Google

Tyrannos nè eos vulnerarent impedire poterant; nec à tormentis corpus illęsum seruare, nec vt pro omnium hominum culpis seipsos diuinæ Iustitiæ in sacrificium, & satisfactionem offerrēt, instituti erāt à Deo; ex quo mors ipsorum, nec sacrificium, nec oblatio, aut hostia omninò fuit

CAPVT V.

Lutherus, & Caluinus de more insanientes, effectum Sacerdotij Christi, siue ipsius cruenti Sacrificij, insufficientem omnium peccatorum nostrorum expiationem impiè sentiunt, extitisse; nisi etiam inferorum cruciatus, terrores, angores, & dānatorum dolores, quos Christus in Anima pro nobis passus est, accessissent.

32 HOc execrabile cōmētum post annos 1550. in quibus Sancta Rom. Ecclesia firmiter aliter docuit, & docet, nemini vnquam veterū in mentem venit, nisi nouis istis Euangelistis, ac Ecclesiæ Reformatoribus, ex Vuittembergæ, & Geneuæ Cauponis in forum ebrijs prosilientibus, & aduersus Passionem, Sāguinē, & Mortem Christi, ita perfidè blaterantibus. (a) *Si illud credam*, inquit primò Lutherus, *quod sola humana natura pro me passa est, Christus ille vilis, nec magni pretij Saluator est.* Existimat hic filius Diaboli, quod omnia illa tormenta, quæ pro nobis Christi humanitas passa est, ac etiam eius pretiosissimus cruor effusus, vilis sit pro Generis humani redemptione, nisi etiam vniuersa inferorum tormenta, & dolores accedant: quod expressius etiam sic cōmentat.

33 Eius Discipulus Caluinus. (b) *Nihil actum erat*, subiungit, *si corporea tantum morte defunctus fuisset Christus. Sed opere simul pretium erat, vt diuinæ vltionis seueritatem sentiret: quo, & ira ipsius intercederet, & satisfaceret iusto iudicio. Vnde etiam eum oportuit cum inferorum copijs, æternęque mortis horrore, quasi consertis manibus luctari .... vt sciamus non modo cor-*

pus

(a) *In sua Confess.* (b) *Lib. 2. Instit. cap. 16. §. 10.*

Digitized by Google

pus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum, sed aliud maius, & excellentius pretium fuisse, quod diros in Anima cruciatus Damnati, ac perditi hominis pertulerit. Verum si ab eo quæras, cur Christi mors, & sanguis pro generis humani redemptione insufficiens extiterit. Quia, respondet, omnes pœnas quæ ab hominibus in Inferno damnatorum expetendæ erant, Christus pro ipsis soluere debebat. Sed

34 Contra: quia Homines propter peccatum originale, nō tantum mortē temporalē, sed etiam mortem æternam debebant subire, cum ex parte Personæ diuinæ infinita fuerit offensa. Ergo Christus eas in æternum etiam luere debuit. Sed hoc non fecit, quia tertia die resurrexit, & post hac Cœlum ascendit; ergo adhuc minimè redempti sumus, nec Redemptorem habemus, & sic spes vitę æternæ omnino exinguitur, quod est contra Caluinum ipsum, hoc in Michaele Serueto (a) eodem *lib.* 2. *institut. acriter arguentem.*

35 At hoc vnum excipi, replicat *Caluinus*, quod impossibile erat doloribus mortis (scilicet inferni) (b) eum amplius detineri.

36 Contra: (c) Paulus Apostolus diuinę iustitię rationem cōmendans, dicit, quod redemptio nostra facta sit, *ad ostensionem iustitię suæ propter remissionem præcedentium delictorum*; At inter exiguum tempus, & æternitatem pœnarum, quam cōmerebamur, quæ iustitia, aut proportio? ergo ad æqualitatem iustitiæ perpetuò inferni doloribus Christum detineri oportebat.

37 *Personæ dignitatem*, (d) respondet pro Caluino *Gaspar Oleuianus* Protestans, *proportionis defectum suppleuisse.* Sed iterum,

38 Contra: quia si Personæ dignitas, æternitatem pœnarum ad paucos dies cōtrahere potuit; cur eadē Personę dignitas non poterit se se ita morti corporeæ, & sanguinis effusioni cōmunicare, vt mors ipsa deinde, & sanguis valeant

(a) *Cap.* 14. §. 8. (b) *Idem sup. c.* 16. §. 10. (c) *Ad Rom. c.* 3. (d) *Magn. Cath. art.* 5. *Symb.*

Digitized by Google

omnia humani generis peccata delere, & offensam ex iustitia cõpẽsare? sicut scribit Paulus ad Rom. (a) *Cũ enim*, inquit, *Inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius, & multo magis iustificati in Sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.*

Sed quid Paulum refero in huius veritatis contestatione, si eam apertè Caluinus ita testatur? (b) *Christus solus est, qui animas Sanguine suo abluit. Christus solus conscientias Sãguine suo aspergit.* Et iterũ. (c) *Dum ad Sacrã mensam accedimus, non solũ hæc cogitatio in mentem veniat, redemptum Christi Sanguine mundum esse.* Libro tandẽ 3. instit. sic exclamat. (d) *Qui enim fœdius poterat Christi Sanguis prophanari, quam dum negatur sufficere ad peccatorũ remissionem, ad recõciliationem, ad satisfactionem.* Tu es ò Caluine; qui dum eum sufficere ad redemptionem negas, non modò prophanas, sed Vertumnum etiam te prodis, cum ostinatè iterum blateras, quod nisi Christus pro redemptione generis humani omnes Inferni pœnas in Anima sustinuisset, Redemptor tantum Corporũ fuisset, non verò animarum. (e) Sanè inquit, *nisi pœnæ fuisset, particeps anima, corporum, & non animarum esset Redemptor.* Sed

39 Contra. Quia nullus Catholicorum vnquam delirauit, vel animam Christi nihil esse passam, aut Corpus mortuum sine anima, pœnas sentire potuisse; quia sicut peccatum, tum corpus, tum animam hominis penetrat, & maculat; ita à pari Christus Redẽptor, & in corpore, & in Anima passus est, vt vtrumque sanctificaret, humani generis peccata deleret, & offensam ex iustitia cõpensaret. In Corpore namq; vincula, verbera, sputa, membrorum extensiones, totius Corporis lacerationes, detractiones vestimentorum, nuditatem, cruentas spinas, grauissimæ Crucis baiulationem, pedum, & manuum confossiones, irrisiones, scommata, compagum dissolutiones,

(a) *Cap.* 5. (b) *In cap.* 11. *Matth. vers.* 11. (c) *Cap. Matth.* 26. *vers.* 28. (d) *Cap.* 5. §. 1. (e) *Lib.* 2. *instit. c.* 16. §. 12.

Digitized by Google

nes, ac denique mortem passus est, *& inclinato Capite emisit Spiritum*. In Anima verò passus est tristitiâ. *Tristis est Anima mea vsque ad mortem*; tum propter hominũ peccata, quibus Pater offendebatur, tum quia pauci essent fructum passionis eius percepturi. Hęc omnia autem nostræ Redemptionis pretium fuisse, negant Catholici, sed ipsius dumtaxat mortem, & pretiosissimi Sanguinis effusionem; *quia sine Sanguinis effusione non fit remissio*. (a) Nam vt testatur Augustinus. *Licet alium modũ possibilem Deo non defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent; sananda tamen nostræ miseriæ conuenientiorem modum alium non fuisse, nec esse potuisse.*

40 Relatis tamen, minimè Caluinus acquiescit, quinimmò in sua damnabili pertinacia miserrimè manẽs, ex Matthęi verbis superius per nos adductis, videlicet; *Tristis est Anima mea vsque ad mortem*; sic insaniendo prosequitur. *Certè multi Martyres in passionibus exultabant; nec solum Martyres, sed etiã ipsi Latrones sæpènumero constantissimè moriuntur. Qui verò timidiores sunt, trepidant quidem, sed nunquam ita vincuntur, aut deijciuntur à perturbatione, vt Sanguinem fudent; At Christus horrebat, cadebat, Sanguinem sudabat, ac in agonia positus prolixius orabat. Aut igitur infirmior omnibus hominibus fuit, aut non solum mortem Corporis, sicut cęteri, sed etiam Animę periculum metuebat.* Ergo in ipsa Anima omnium Inferorũ tormenta passus est Christus, per quæ cum maximè atrocia fuerint, de eius salute ambigebat.

41 Huic Hæretici Hominis inani commento multipliciter ex præcipuorum Sanctorum Patrũ auctoritate respondeo; & primò, horrebat, cadebat, & Sanguinem Christus sudabat, coactè, & inuoluntariè; nego. Liberè, sponte, & per se, concedo. Siquidem liberè *oblatus est*, videlicet, *quia ipse voluit*: vnde apud Ioannẽ dixit. (b) *Ego pono animam meam & nemo tollit eam à me, sed Ego pono eam à me ipso.*

(a) *Lib. 13. de Trin. c. 10.* (b) *Cap. 10.*

Digitized by Google

p so. Secundo; Sanguinem sudabat, & horrebat, ob metum aliquem, aut animæ suæ periculum, vt Caluinus perfidè supponit, & non probat, nego. Horrebat, cadebat Christus, & Sanguinem sudabat, vt se verum hominem ostenderet, concedo: Quia ita ex Sanctis Patribus, Ioanne Chrysostomo, Augustino, Hieronymo, Paschasio, & Leone Papa colligit *noster Sylueira*, & sic refert. (a) *Tristatur Christus, vt ostenderet veritatem suæ naturæ assumptæ: verus ac naturalis affectus naturæ humanæ est tristari de morte, ideo cum veram assumpsisset naturam, veros etiã assumpsit illius affectus, qui non dicunt imperfectionem.* Tertio; horrebat, cadebat Christus, & Sanguinem sudabat propter pœnas inferni subiturus, nego; Ob scandalum suorum Discipulorum, vti S. Hilarius scribit: *Ne sè Deum abnegent Discipuli, quem cęsũ, & conspũtum, & crucifixũm essent conspecturi, metuit*; cõcedo. (b) Quia, vti Sylueira prosequitur; *Semper est cum timore, qui verè diligit, & magna erat tristitiæ Causa, quod ex eo quod viderent Dominum Crucifixum, inde homines arriperent occasionem eum abnegãdi; propterea Augustinus ait; Tristis erat, non pro sua passione, sed pro nostra dispersione; nouerat Dominus, quod sui Discipuli tempore passionis erant diuidendi, & dispergendi, & ideò tristabatur*: Adstipulatur huic rationi S. Hieronymus, ita inquiens. *Tristabatur Dominus propter infelicissimum Iudam, & scandalum omnium Apostolorũ, & reiectionem, vel reprobationem Populi Iudæorum.* (c) Quod verum est, inquit S. Paschasius; quia *in momento vidit omnia mala secundum humanitatem, quæ imminent generi humano, & mundus per partes admittit, & ideo non sibi, sed pro nobis gemuit, & orauit.* Sylueira autẽ sic confirmat. *In eo momento sũmè tristatus est Christus propter omnia peccata, & singula omnium & singulorum hominũ, qui fuerunt ab Adam, & sunt, & erunt vsque ad finem mundi. Videbat Anima Christi in Verbo omnia sacrilegia, adulteria,*

(a) *Tom. 5. Euang. lib. 8. c. 2. q. 5.* (b) *Ibid. sup.* (c) *Lib. 2. in Matth.*

Digitized by Google

teria, homicidia, furta, blasphemias, libidines, calumnias, & alia horrenda, & immania hominum scelera: præsertim à Caluino admittenda; & quam maximè per ipsum offesiones, & iniuriæ irrogandæ erant in Deum, quæ omnia luenda, & expiãda ipse susceperat; ideoque propter Caluinum, Christus tãdem horrebat, cadebat, & Sanguinem fundebat, quod non est à ratione alienum; testatur enim S. Catharina Senẽsis in eius vita, (a) per Catharinum italicè conscripta, sibi à Christo fuisse reuelatũ, Calicẽ illum ab Angelo ei demonstratum, hominum ingratitudinem significasse: Christo obijciebatur plerosque homines eius passioni futuros ingratos, & in peccatis infelicissimè permansuros, quorum numero vnus futurus erat Caluinus, per quem tristatus, Christus dicebat; *Transeat à me Calix iste*, ac si diceret: perorat hoc argumentum Sylueira supracit. (b) *à Pater, remoue à me hunc calicem, & numerum damnatorum, fac vt omnes sint grati tanto beneficio, omnesque saluentur. Sed*

42 Nè quicquam tamen adductis acquiescẽs *Caluinus*, ab hæretica prauitate, nec minimum resipiscens, rursum ex Matthei verbis (c) *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* vrget; Christum Deum Patrem sibi iratum, infensumque intellexisse, et exinde Inferorũ pœnas pertulisse; quarũ potissima cũ sit desperatio, infert etiã Christũ desperauisse.

43 Cuius perhorrendæ blasphemiæ, vt dignè occurrã, nescio an viribus colligendis mihi vigor sufficiat, adeò me tam execrabile maledictum perturbat. Alter tamen Carmelita meas vices æquabit, nimirum Doctissimus *Sylueira* ita respondẽs. (d) *De suo more venena euomit impius Caluinus, ait verba hæc esse Christi desperantis. Grandem blasphemiam loquitur hæreticus; nam si Christus in Cruce desperauit, peccauit, quod erat impossibile; quomodo enim dici potest desperasse Christum, qui statim moriens clamauit*, Pater in manus tuas commendo Spiritum meum?

44 *Ad*

(a) *Lib. 2. c. 28. & 29.* (b) *Ibid. q. 7. n. 83.* (c) *Cap. 27.* (d) *Tom. 5. Euang. lib. 8. cap. 18. q. 2.*

Digitized by Google

44 *Ad quæstionem;Prima,& cõmunis solutio; dicitur Christus derelictus à Deo, non quia Diuinitas, seu vnio hypostatica ab eo discesserat, nec quia gratia, amicitia, & amor Dei ab eo fuerit separatus;Sed quia ab instante tam dira morte, eũ Pater non eripiebat;& quia inter tot acerbissimos cruciatus, ac dolores absque vlla consolatione, & leuamine tam in Corpore, quam in Anima secundũ partem inferiorem permittebat eum vexari, & affligi.Ita D. Chrysostomus. D. Hieronymus, D. Paschasius, Euthymius, Theophylactus, D.Thomas, Albertus Magnus, & alij hic ex Gregorio Nysseno, orat. 1. de resurrect.D. Anastasius lib. de Incarn.& D.Augustinus tract. 47. in Ioann.Quia vero,vt ait D. Paschas. lib.12.in Matthęũ;* nescio fratres mei, si vllus mortalium intelligere possit in hoc mysterio querulæ vocis,quãta qualiaue sint Sacramenta, quæ offert; & *Origenes ait*, Vox plena mysterijs, & doctrina. *Alias etiam interpretationes proferamus.*

45 *Secundo. His verbis ostẽdit Christus acerbitatem dolorum Crucis, ac passionis, & etiam,vt ait Euthymius.* Quod verè crucifixus sit,& nõ phantasticè, prout multi Hæretici delirarunt, neque enim nisi dolens ita clamasset.

46 *Tertio.Sic blande Christus conquæritur. Quare Pater sic me mori passus es, quare non transtuliſti à me calicem, vt petiui in horto, sed vsque ad vltimas feces haurire voluisti? En facta est voluntas tua. Ita Theophylactus.D.Thomas 1.p. qu.50.art.2.D.Leo serm.16.de passione ait*, Ipsa vox est non exauditi. *Hac quærula voce clamat ad Patrem; quare oratio à Te facta in horto pro declinanda passione iuxta carnis infirmitatem exaudita non esset, in quo sũmam sui despectionem, & abiectionem videtur ostẽdere* Psal.21.n.3. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. In te speraverunt Patres nostri, speraverũt, & liberasti eos; ad te clamaverunt, & salui facti sunt.In te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis,& non Homo. Deducit suam extremam vilitatem, quia cum Patres clamauerint, & exaudi-*

Digitized by Google

diti fuerint, ipse verò clamans pro repellenda morte, nõ fuerit exauditus, sed relinquitur mori, in quo videtur tractari quasi non sit homo.

47 *Quartò. Cum ait Christus: Eli, Eli, hoc est, Deus meus Deus meus, vtitur verbis psal.* 21. Deus meus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti. *Vt ostendat se illum esse, de quo ad literam locutus fuerat Dauid, & indicaret Iudeis se esse verum illum Messiã prænuntiatum à Propheta; ac proinde ob omnium salutem nõ descendebat de Cruce.*

48. *Quinto. Theophylactus.* Vt quid dereliquisti me, *idest meum genus, meum Populum Iudæorum, qui secundum carnẽ mihi cognati sunt. Sexto. Origenes existimat, Christũ queri de paucitate saluandorum, & multitudine damnandorum, qui à fructu mortis, ac passionis Christi exclusi sunt.*

49 *Septimò. D. Cyprianus de Passione:* Clauis, ait, sacros pedes terebrantibus, fossisque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris, de spinis sacrum caput pungentibus non quereris; sed satagis, vt innotescat posteris, quare derelictus à Deo videaris, expositus contumelijs, & ludibrijs Iudęorum. *Cur modo Christus se dicit derelictum à Patre. Perpende seriem textus D. Matthęi.* Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua, & dicẽtes; Vah qui destruis tẽplum Dei, & in triduo illud reædificas: Salua temetipsum: Si filius Dei es, descẽde de Cruce. Similiter, & Principes Sacerdotum &c. *Vix talia Iudei iactabant, quid ad hæc Iesus? Clamãs voce magna ait; Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Ecce quod spicula, verbera, spinæ, claui non potuerunt; Iudęorum linguæ faciunt querebundum Iesum; nec mirum, quod adeò Iesus præ omnibus alijs, linguarum spicula sentiat, nam quæcunque alia tela aduersus vitam armantur, at linguæ gladius in totius orbis ruinam extenditur. Transuerberatur lancea pectus Iesu, claui, spinæ, verbera, eius Corpus lacerant, at Iudæorum linguæ petunt Crucis descensum, quo nostræ redemptionis opus impediatur, & totus orbis pereat. Dicitur Ecclesiastæ cap.* 10. *n.* 12. linguæ

Digitized by Google

insipientis præcipitabant eũ. *Quæ verba Chaldæus Complutensis sic transfert*; Labia viri stulti plena sunt increpationibus, propterea consumitur omne seculum. *Chaldæus Cosii similiter legitur*. Labia autem insipientis, hominibus increpationem inuehunt, atque adeo vniuerso orbi interitum. *Sic linguæ iacula totius orbis interitum moliuntur, quo orbis assertor, ac defensor maxime sentit Iesus.* Hactenus Sylueira.

50 Relatis tamen minime suasus, immò maxima ira accensus *Caluinus*, auctoritate D. Petri (*a*) suum relatum scomma nititur confirmare. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*. Ergo aliquando Christus inferni doloribus ligatus fuit, & detentus; videlicet, damnatorum pœnis, quarum vna est desperatio; Siquidem nemo soluitur, nisi prius ligatus fuerit.

51 Sed ad confringendam tantam Caluini pertinaciam, iterum *Sylueiram* in certamine produco, sic contra ipsum eruditissimè scribentem. (*b*) *Impudicè*, inquit, *Caluinus ait, Christum Dominum in se suscepisse pœnas, anxietates, ac desperationes damnatorum, nobis debitas, vt pro eis satisfaceret, & sic eos soluisse. Alij vero Hæretici dixerunt, Christum soluisse dolores inferni, tamquam ab effectu, nempe soluisse damnatos à pœnis inferni; Sed quomodo hoc fieri potest, cum ipsi sint obstinati in malo, & in illa sancta Ciuitate nihil coinquinatum ingreditur; & si dãnatos Christus liberauit à pœnis, cur non etiam Dæmones . . . . .*

Ad veram ergo intelligentiam, ac sententiam, duo supponenda sunt; Primum, quod graues, & vehementissimi dolores, dicuntur dolores mortis, & inferni. Psal. 17. Circumdederũt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

52 *Secundum supponendũ est, frequentissimè in scriptura In-*

(*a*) *Act. Apost. c. 2. n. 24.* (*b*) *Comment. in Act. Apost. c. 2. qu. 24.*

Digitized by Google

Infernum sumi pro sepulchro, vt ait D. Augustinus ad c. 37. Geneſis num. 35. Descendam ad filiũ meũ lugens in infernũ: *& ibi vertit Pagninus*, in foueam seu sepulchrum; Iob 17. num. 13. Infernus domus mea est. *Lyra sic*, sepulchrum domus mea est. *Genes. 42. ait Iacob*; Deducetis Canes meos cũ dolore ad inferos; *idest ad sepulchrum, vt legit Pagninus. Tertio Regum, ait Dauid filio suo Salomoni de Ioab*: Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos. *Hoc est ad sepulchrum*, & Psalm. 6. num. 6. In inferno quis confitebitur tibi? *explicat D. Hyeronimus, in sepulchro.*

53 *Ait D. Petrus de Christo*; Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni; *Per dolores mortis, & inferni, intelliguntur acerbissimi, ac grauissimi dolores, qui sunt causa mortis, ac sepulchri, quia deducunt Hominem ad mortem, & sepulchrum; Deus ergo suscitans filium suum vnigenitũ Iesum, soluit destruens omnes dolores, quos pertulit in sua passione, agonia in horto, flagellis, spinis, Cruce, & clauis, quæ ipsum deduxerunt vsque ad mortem, & sepulchrum, iuxta quod ait D. Petrus*: Impossibile erat teneri eum; *Nempè, in ipsa morte, ac sepulchro, cum sit Agnus innocentissimus, vnigenitus Dei filius, Deus verus, & ipsamet vita, victor, ac triumphator, sedens ad dexteram Patris, vt connaturalis, ac essentialis sui locus, vt communiter explicant Sancti Patres, & Doctores, ad illa verba psalm. 109.* Sede à dextris meis; *& Marci cap. 16.* Sedet à dextris Dei. *Vt ipsa vita non poterat teneri à morte, & soluit illius dolores, vt sedens ad dexteram Patris; nempè, dolores, qui eum in sepulchro reposuerunt.* Hæc Sylueira.

54 Silentio igitur Caluini maledictis undequaque impositis, alii insurgunt; qui in Christi Sacerdotium inuecti, nempè, quod eius effectus non sit peccatorum omnium expiatio, sic blaterant. Christo ex dictis conuenit Sacerdotium secundum humanitatẽ; sed delere peccata est solius Dei, iuxta illud Isaiæ: (a) *Ego*

(a) *Cap. 43.*

Digitized by Google

sum, qui delev iniquitates tuas propter me. Ergo effectus Sacerdotii Christi, non est expiatio peccatorum. Sed.

55 Respondetur, quod idem Christus Sacerdos, & Homo erat, & Deus: in quantum eius Humanitas virtute Diuinitatis operabatur, sacrificium illud ad delenda peccata efficacissimum erat, eo quod totam efficaciam, & excellentiam, ex supposito diuino habebat.

56 Contra Paulus Apostolus in sua Epistola ad *Hæbreos* (a) ait, quod ideò in lege veteri sacrificia repetebantur per singulos annos, quia ad expianda peccata, sufficientia non erant. Sed Christus in Sacrificio Missæ etiam quotidiè repetitur ab Ecclesia; Ergo eius Sacrificium cruentum in ara Crucis semel oblatum, ad expianda peccata, inefficax fuit.

57 Respondetur, quod ideò in lege veteri sacrificiũ subsequens de nouo adhibebatur, ut ipsum mereretur id, quod sacrificia præcedentia mereri non poterant; Missæ verò Sacrificium non ad denuo merendum repetitur, sed ipso præuio, meritum tantum sacrificii cruenti applicatur, quod omnium Sacramentorum, & subsequentium Sacrificiorum meruit effectus; & ideò nouum sacrificium, sicut in veteri lege erat, non est: *Iterata quotidie*, inquit Augustinus, *fit Christi immolatio, licet Christus semel passus est: quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest, ideoq; quia quotidie labimur, quotidie Christus immolatur pro nobis misticè intra Ecclesiam Catholicam in mysterio Corporis, & Sanguinis Christi. Nihil à bono maius accipitur Sacerdote: quia non in merito consecrantis Sacerdotis, sed in verbo Saluatoris, & in virtute Spiritus Sancti, Corpus Christi efficitur*.

58 Contra tandem: Paulus Apostolus inefficaciam Sacrificiorum veteris legis, ex sola peccatorum commemoratione, quæ per singulos annos fiebat, desumpsit, inquiens, *quod impossibile erat, san-*

(a) *Cap.* 10.

Digitized by Google

sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Sed talis commemoratio peccatorum etiam per singulos annos fit in Ecclesia Dei. Ergo pariter ex ipsa commemoratione inefficacia Sacrificii cruenti Christi, etiam desumitur.

59 Respondetur; peccatorum commemorationem per singulos annos in Ecclesia Dei fieri diuerso modo, quo fiebat in lege veteri; in illa enim ideo talibus sacrificiis, peccatorum commemoratio fiebat, quia præcedentis sacrificii inefficaciæ Sacerdotes illi sibi ipsis conscii erant; & ad noua peccata commissa denuò illud applicare non poterant; hinc oportebat pro nouis peccatis, noua sacrificia cum nouo merito, & noua satisfactione adhiberi. Non autem sic post cruenti sacrificij oblationem à Christo pro peccatis generis humani exhibitam, quia nec pro præcedentibus, nec pro sequentibus delictis oportet amplius ad merendam veniam, nouũ sacrificium adhiberi; sed sufficit tantum præcedentem oblationem cruentam, eiusq; meritum, & satisfactionem applicare; & hæc applicatio per Missæ Sacrificium, vel per Sacramenta fieri potest, & non sunt noua merita, nec nouæ Christi satisfactiones, sed meritorum præcedentiũ, & satisfactionum meræ applicationes, propterea non currit paritas.

CAPVT VI.

Aduersariorum opinio, quod Christus sui Sacerdotij, & cruenti sacrificij fructum pro seipso obtulerit, & participauerit, non autem in supremi dominij recognitionem, refellitur.

60 FVndamentum, quo ad sic delirandum ducuntur Aduersarij, & quo nos urgent, huiusmodi est quia Christus dum tanquam Sacerdos cruentum Sacrificium Deo in ara Crucis offerret, orauit pro semetipso. Ergò etiam pro seipso sacrificium illud obtulit. Probatur antecedens ex Apostolo Paulo ad Hebræos, ita de Chri-

sto

Digitized by Google

sto scribente. (a) *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Ergo Christus pro se orauit, sicut pro cæteris; & sic pro se etiam, sicut pro alijs sacrificium obtulit, & sibi exinde participauit. Sed.

61 Licet verũ sit Christũ (iuxta dictũ Apostoli, in sacrificii cruenti oblationem) orasse; talis attamen oratio pro se non intercessit, ut liberaretur à morte, *cum oblatus fuerit, quia ipse voluit*: Sed fuit pro nobis ex nimia charitate, qua etiam usque in finem nos dilexit; sicut in eodem loco ipsemet Apostolus testatur: *factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta Ordinem Melchisedech.* Orauit igitur pro nostris peccatis, pro miserijs, & periculis nostris, pro salute totius generis humani, & pro remissione peccatorum nostrorum. Nec quia orauit, inde sequitur, ergo etiam obtulit; quia licet oratio Sacerdotibus cõueniat, non est tamen eorum officio propria, quia orare pro se, vel pro alijs, non modo Sacerdotibus, sed cuilibet Personę etiam conuenit, iuxta illud D. Iacobi: (b) *Orate pro inuicem, ut saluemini: multum enim valet deprecatio assidua.* Sed contra;

62 Christus per suam passionem semetipsum obtulit sacrificium; sed ut docet (c) *D. Thomas*, Christus per suam passionem, non solum aliis meruit, sed etiam sibi: Ergo sacrificium non modo pro alijs, sed etiam pro semetipso Deo obtulit, & participauit. At.

63 Pro solutione talis argumenti scias, quod in qualibet sacrificij oblatione cuiuscumque Sacerdotis, duo considerari debent: Et sacrificium ipsum, quod immolatur, & offerentis deuotio, quæ cum non sit id, quod ex ipso sacrificio sequitur, nec erit proprius effectus Sacerdotii. Christus autem quantum ad primum attinet, participauit fru-

(a) *Cap.* 5. (b) *Cap. vlt. Epist.* (c) 3. *p. q.* 19. *ar.* 3.

Cap. 5.

Digitized by Google

fructum accidentalem sui sacrificij cruenti, nempe gloriã corporis, exaltationem nominis, impetrationem, &c. non autem fructum meriti substantialis, videlicet satisfactionis, aut propitiationis, quia tali fructu ipse minime indigebat; Vnde ex suo sacrificio ipsum pro alijs percepit. Circa secundum pro deuotione sua, qua secundum charitatem pro nobis humiliter passionem sustinuit, habuit pro merito gloriam corporis, & ea quæ ad exteriorem eius excellentiam pertinent, ut supra diximus. Sed.

64 Contra. Sacerdotium veteris legis, fuit Sacerdotij Christi figura; sed Sacerdos veteris legis, iuxta illud Leuitici: (a) *Pontifex ingreditur sanctuarium, ut roget pro se, & uniuerso cætu filiorũ Israel*; non solum pro alijs, sed etiã pro seipso sacrificium offerebat. Ergo Sacerdotiũ Christi, non solum in alijs, sed etiam in seipso effectum habuit; alias inferioris esset conditionis.

65 At hoc argumentum vim aliquam haberet, si inter Sacerdotium veteris legis, & Sacerdotium Christi ęqualis intercederet ratio; diuersa tamen reperitur; eo quod Sacerdos figuralis tantam perfectionem, ut sacrificio minime indigeret, attingere non potuit; Christus autem talem perfectionem habuit; Et ideò in utroque non est similis ratio; propterea Apostolus ait: *Lex homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum*. Concilium tandem Ephesinum præsidente Cyrillo nostro, ita decreuit: (b) *Si quis dixerit Christũ pro se obtulisse oblationem, & non magis pro nobis solum, anathema sit.*

CA-

(a) *Cap.* 16. (b) *Tom.* 1. *Concil. Can.* 10.

Digitized by Google

CAPVT VII.

Aduersariorum conatus, sentientium in Christo Sacerdotalem potestatem ex meritis, non autem virtute unionis hypostaticæ fuisse, irritus ostenditur.

ADuersariis autem ex una parte conuictis, ea quorum in præcedenti parte de Sacerdotali Christi potestate meminimus, nempe eam virtute unionis hypostaticæ obtinuisse, sequentibus aggrediuntur.

66 In Psalmo 109., ita dicitur: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Sed Decretum vnionis hypostaticæ est ante hoc iuramentum. Ergo Christus potestatem Sacerdotalem post unionem hypostaticam, videlicet ex meritis obtinuit. Patet autem, quod vnionis hypostaticæ decretũ ante tale iuramentum fuerit, quia alioquin minime opus erat Deum iurare, quod in æternum non pœnitebit. Ergo Sacerdotalis potestas post vnionis hypostaticæ decretum, Christo collata fuit.

67 Respondetur; id iuramentum supra relatum intelligendum esse de vnione hypostatica, quam immediatè (ut iam probatum est) potestas Sacerdotalis consequitur; non autem post vnionis hypostaticæ decretum, quasi Sacerdotium fuerit quid aduentitiũ extrinsecum unioni ipsi hypostaticæ. Sed

68 Contra. Christus ob suam promptam obedientiã, qua ab æterno holocaustum pro redemptione generis humani diuinæ voluntati se exhibuit, potestatem Sacerdotalem obtinuit. Ergo post vnionem hypostaticam, & ex præuisis meritis eam habuit. Antecedẽs probatur ex Isaia. (a) *Et audiui vocem Domini dicentis, quis ibit nobis? Et dixi, ecce ego mitte me.* Ergo Christus ob suam promptam obedientiam, qua se victimam Deo obtulit, ab ipso destinatus fuit Sacerdos.

69 Pro solutione autem huius argumenti, sciendum est;

(a) Cap. 6.

Digitized by Google

est; Isaiam citato loco nunquam de Decretis diuinis, aut Verbi Dei incarnatione fuisse locutum, sed tantum de missione ad vaticinandum Populo Israelitico ea, quæ ventura erant in nouissimis diebus, sicut ipse testatur. *Vade, & dices Populo huic: audite audientes, &c.* & quod verbi Dei Prædicatores debent esse puri, & non Populi vitijs coinquinati: *Vir pollutus labijs Ego sum*. Quia vt cœlestem doctrinam rectè annunciare possēt, alieni ab his, quę adulationi, mendaciis, & vitijs deseruiunt, omnino debent esse. *Et tetigit os meum, & dixit: auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*. Etenim non solum vox ore tonat, sed etiam opera concomitatur, iuxta illud Chrysologi, (a) *Doctor dicto, & facto verus magister*. Et quod etiam sint simplices, quia *non gymnasia claris referta sapientum*, inquit Ambrosius, *sed plebem Dominus requisiuit, quæ phalerare, & fucare nesciret*. Verbum enim Dei, *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, subiungit Paulus, *sed in doctrina sana, & ostensione spiritus*, prædicare debent: ac tandem, quod mittatur; *Ecce ego mitte me*, eo quod teste ipsomet Paulo Apostolo ad Romanos: (b) *Quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est; quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*; Ergo nihil contra nos.

CAPVT VIII.

Frustra per Aduersarios asseritur, Christi Sacerdotium iam terminatum esse, & minimè in æternum manere.

OPportunum Aduersarijs fuit, rimam aliquam, per quam elaberentur, semper in manu habere, vt ex vna parte fugati, alibi reciperentur. Cumque in præcedenti capite satis iam probatum sit, potestatem sacerdotalem virtute vnionis hypostaticæ Christo collatam esse: ad veritatem hanc ite-

Nn rum

(a) *Serm.* 167. (b) *cap.* 10.

Digitized by Google

rum euertendam, rursum vrgent: Sacerdotiũ Christi terminatum esse, & non permanere in æternum, & talibus argumentis nituntur.

70 Sacerdotes, à Sacrificandi, seu Sacrificium offerẽdi potestate denominantur; sed Christus nec per se est amplius sacrificaturus, aut oblaturus Sacrificium, nec per suos ministros, post diem iudicij. Ergo eius Sacerdotium non manet in æternum.

71 Sed aduersus hoc argumentum, superius dicta primò instant; videlicet potestatem Sacerdotalem virtute vnionis hypostaticę esse Christo collatam; & quia talis vnio in ęternum duratura est, etiam in æternum duraturum erit Christi Sacerdotium. Secundò verum est, quod à potestate offerẽdi Sacrificium Sacerdos denominatur; ipsa tamen potestate semel accepta, tamdiu potest talis denominari, quãdiù vel denuò Sacrificium offerre, vel saltem consummare, aut applicare sactificium oblatum, potest. Et quia Sacrificium à se oblatum, Christus post diem Iudicij, iterum atque iterum pro nouis beneficijs accidentalibus, nempè, reuelatione, aut noua manifestatione alicuius mysterij, Beatis conferendis applicare potest, & talis applicatio est actus Sacerdotalis, quasi completiua Sacrificij, saltem quo ad applicationem; ideò sacerdos in æternum dicitur. sed

72 Contra. Sacerdos debet propriè, & expressè tanquam Persona publica pro alijs orare, quia hoc est pręcipuũ munus Sacerdotis; sed Christus propriè, & expresse in Cœlo orare non potest, nisi tantum impropriè, & interpretatiuè; Ergo neque poterit post diem Iudicij oblatum Sacrificium pro aliquo beneficio impetrãdo, tanquam Sacerdos denuo applicare; & sic Sacerdotium eius non est æternum. Maior est certa, quia Sacerdos in immolando debet orare. Minor vero probatur, quia uox sine aere nequit articulari: sed in Cœlo Empyreo non est aer; Ergo &c.

73 Respondetur, negando minorem, eiusque probationẽ, & rationem negationis ex Sacra Scriptura desumo, in

in qua habetur; Christum pro nobis in Cœlo orare. Ita D. Paulus tum ad Romanos: (a) *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Tũ ad Hebræos: (b) *Vnde, & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deũ, semper viuens ad interpellandũ pro nobis.* Et huiusmodi farinæ est etiam Euãgelista Ioannes; (c) *Aduocatum habemus,* inquiens, *apud Patrem Iesum Christum iustum.* Et quod hęc omnia Sacrę Scripturæ loca, intelligenda sint propriè, non autem interpretatiuè; docet primo *D. Thomas* in 4. dist. 15. qu. 4. art. 2. Quæstiun. 2. ad primum. Deinde ex Carmelitis, (d) *Zagaglia* Bachonij Discipulus, *Orlandus, Lumberius, Bonaspes, & Augustinus a Virgine Maria*, ab ipso relati, nec non (e) *Lezana*, hanc rationem primò adducens; videlicet, in Beatorum Corporibus, aliquid aeris in pulmone, ore, & instrumentis vocis futurum, quo vere, & propriè possint voces articulari, quod Christo minimè est denegandum. Secundo refert ex D. Thoma, Cœlum ipsum Empyreum posse deseruire Beatis ad voces, sicut, & aer, per diuisionem, & confractionem partiũ ipsius: *neq; hoc*, inquit S. Thomas *erit ei ignobilitas, quia erit instrumentum motum à lingua glorificata, & materia vocis prolata in laudẽ diuinam, nec propter hoc sequitur, quod sit generabile, & corruptibile.* Ac tandem concludit, Cœlum, quantumuis in se solidum, & incorruptibile, sit; nihilominus quo ad vsum Beatorum, ita peruium, facile, & flexibile esse, in ordine ad habitationẽ, motum localem, respirationem, locutionem, vocem, &c. ac si aereum esset, vel alterius similis naturę: siue hoc oriatur ex dotibus agilitatis, & subtilitatis ipsorum Beatorum, siue ex alio speciali dono Dei, ipsis collato, vel saltem extrinseca assistẽtia, & cooperatione cum ipsis, vt Cœlum illis sit, *vt instrumentum motum*, prout inquit S. Thomas, vel alio modo

(a) *cap.* 8. (b) *Cap.* 3. (c) *Epist. cap.* 2. (d) *tom.* 6. *disp.* 6. *de merit. Christi sect.* 3. *s.* 4. (e) *tom.* 2. *tract.* 2. *disput.* 6. *quæst.* 3. *de dotibus Beator.*

Digitized by Google

do ineffabili,& supernaturali, debito illo statui,de quo dicitur: *Nec oculus vidit,nec auris audiuit, neque in cor hominis ascendit,quæ præparauit Deus diligentibus se.*

74 Contra. Illi enim indigent effectu Sacerdotij,qui peccati infirmitatem habent; sed Sancti nullam habent infirmitatem peccati. Ergo nunquam, etiam post diem Iudicij,effectu Sacerdotij indigebunt.

75 Ad hoc argumentum superius responsum esse patet, videlicet; Sanctos non indigere per Sacerdotium Christi amplius expiari, indigent tamen expiati,per ipsum Sacerdotium consummari,siue quoad statum accidentalem magis illuminari, quo ad nouam manifestationem alicuius mysterij.

76 Contra. Sacerdotium Christi præuia eius morte manifestatum est; sed mors Christi non erit in æternum, *quia Christus semel mortuus amplius non moritur, nec illi mors dominabitur*; Ergo neque eius Sacerdotium in æternum erit. sed

77 Quamuis mors Christi non sit amplius iteranda, potest tamen iterari, videlicet denuò applicari virtus eius hostiæ semel oblatæ, quæ cum infinita sit, manet in æternum, iuxta illud ad Hebræos.(a) *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Et ita à pari cum ipso debet etiam eius Sacerdotium manere.

CAPVT IX

Insulsa Aduersariorum opinio, quod Christi Sacerdotium minime omne aliud præcellat,irridetur.

78 HIuiusmodi opinationis Causa est, quia Christus in Psal. 109. *Vocatur Sacerdos secundũ ordinẽ Melchisedech.* Sed Melchisedech fuit Sacerdos legis naturę, Ergo Christi Sacerdotium,minimè legis naturæ Sacerdotium antecellit. Sed

79 Pro eorum pace ipsi scire debent; legale Sacerdotium, vt docet (a) *D. Thomas* tantum figuram Sacerdotij Chri-

(a) Cap. 10. (b) 3. p. q. 22. art 9.

Digitized by Google

Christi extitisse, non quidem veritatem omninò adæquantem, sed multum ab ea deficientem. Vocatur autem Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech, non quia Sacerdotium Melchisedech Sacerdotio Christi excellentior esset, sed quia excellentiam Sacerdotij Christi præfigurabat: Sed

80 Contra. Quemadmodum tam veteris, quam nouæ legis Sacramenta, gratiæ, iustificationis, & sanctitatis animæ inter se signa sũt, ita etiam veteris, & nouæ legis Sacrificia inter se æqualia sunt, & eundem terminum, nempè omnium hominum salutem respiciunt. Ergo Sacerdotium Christi non est nobilius Sacerdotio Melchisedech; nec Sacerdotium aliquod antecellit. At.

81 Respondetur, Sacramenta veteris legis significare tantum, non autem gratiã, & sanctitatem Animæ causare. Sacramenta verò nouæ legis vtrumque munus gerunt; videlicet, & significant, & causant gratiam, & sanctitatem Animæ. Sicque licet Sacrificium veteris legis à Sacerdote in remissionem peccatorũ hominũ offerebatur, gratiam tamen significabat, & non causabat, vnde erat finiti valoris, & propterea reiterebatur. Cruentum autẽ Christi sacrificium, gratiam, & Sãctitatem animę causat, & omnia peccata dimittit, quia infiniti valoris est, propterea à Sacerdote non reiteratur, sed tantũ denuo applicatur, quia cũ infinitũ sit, potest iterũ, atq; iterũ in infinitum applicari; & ob hãc rationẽ Christi Sacerdotium cætera Sacerdotia antecellit. *O pretiosum*, inquit *D.* Thomas, *& admirandum conuiuium, salutiferum, & omni suauitate, repletum; Quid enim hoc conuiuio pretiosius esse potest? in quo non carnes vitulorum, & hircorũ, vt olim in lege; Sed nobis Christus sumendus proponitur verus Deus. Nullum Sacramentum est isto salubrius, quo purgantur peccata, virtutes augẽtur, & mens omnium Spiritualium charismatum abũdantia impinguatur*; Quia igitur, subiun-

jungit noster Resolutissimus Bachonius, *in hoc* (a) *Sacramento continetur ille, qui est totius sanctitatis causa; ideo omnia, quæ ad consecrationem huius Sacramenti pertinent, debent esse sacra, scilicet ipsi Sacerdotes, & ministri, vestimenta, & vasa, & huiusmodi.*

CAPVT VLTIMVM:

Hæretici negant Sacerdotium Christi fuisse secundum ordinem Melchisedech, ideoq; non rectè ei assimilatu.

HViusmodi negationis occasionem Caluinus, & Kemnitius ex hoc desumũt nempe, quod Melchisedech panem, & vinum Sacerdotij Christi figuram nunquam obtulerit, & sic arguunt.

82 Paulus Apostolus figuram Sacerdotij Christi secundum ordinem Melchisedech ad Hębreos cap. 7. explicans; nullam mentionem facit de oblatione panis, & vini. Ergo Melchisedech nũquam Domino panem, & vinum obtulit: quia alias Paulus de tali oblatione ibi meminisset. Ergo Sacerdotium Christi non est secundum ordinem Melchisedech, cum potissima eius figura, in oblatione panis, & vini consistat.

83 Respondetur. Paulũ silere oblationem panis, & vini, neq; secundum panem, & vinum Sacerdotium Christi, Sacerdotio Melchisedech assimilasse; quia ad suum institutum nihil faciebat. Nam Paulus in supracitato loco nihil aliud, præterquam excellentiam Sacerdotij Christi respectu ad Sacerdotium Leuitici ostendere cupiebat. Et sicut Sacerdotium Melchisedech benedicendo Abrahæ, etiam Iudæ, & Leui tunc in lumbis eius existentibus benedixit; & per consequens decimas tum ab Abraham, tum à Iuda, & Leui tanquam superior accepit. Ita etiam præcellebat Christi Sacerdotium, cum ipsum fuerit secundum ordinem Melchisedech; licet Genebrardus asserat, (b) *Paulum data opera, explicationem sacrificij Melchi-*

(a) *In 4. dist. 10. q. 2. art. 1.* (b) *Psal. 109. vers. Tu es Sacerd. in æter.*

Digitized by Google

chisedech in pane, & vino prætermisisse : ne Iudeis, ad quos scribebat, tantum Sacramentum tunc proderet. Sed

84 Contra. Sacerdotium Christi propriè in sacrificio cruento consistit ; Sed Melchisedech nunquam cruentum aliquod in sacrificium obtulit, sed potius hoc obtulit Aaron; Ergò Sacerdotium Christi non est secundum ordinem Melchisedech, nec præcellit.

85 Respondetur, in Sacerdotio Christi, iuxta *D. Thomam*, (a) duo considerari posse; & oblationem Christi, & participationē illius. Quod autem attinet ad oblationem ipsam, Sacerdotium Christi figuratum fuisse per Sacerdotium Leuitici, sicut probat argumentum. Quod verò attinet ad participationem, & effectum illius, in quo verè, & propriè consistit dignitas Sacerdotij; Sacerdotiū Christi figuratum fuisse per Sacerdotium Melchisedech, qui panem, & vinum simul Domino offerebat. Sed

86 Contra ex Kemnitio; oblatio panis, & vini non erat peculiaris Sacerdotio Melchisedech, quia in Sacerdotio Leuitici etiam fiebat. Ergo Sacerdotium Christi, nec est secundum ordinem Melchisedech, nec præcellit.

87 Respondetur: & si verum sit, Leuiticos Sacerdotes panem, & vinum aliquando obtulisse; non tamen legitur obtulisse utrumq; simul, aut per legem id eis statutum fuisse. Legitur *Exodi* 29. panem oblatum fuisse à Leuitibus Sacerdotibus, non tamen simul cum vino: Sicut etiam *Num.* 28. legitur, vinum oblatum fuisse, sed non cum pane, sed potius cum aliquo cruento sacrificio, videlicet agniculo, tanquam condimētum illius. At verò Melchisedech semper panem, & vinum obtulit vna simul, tanquam vnicum, & integrum sacrificium, quod typus sacrificij cruenti Christi erat.

88 Cōtra. Melchisedech fuit sine Patre, sine Matre, sine Genealogia, sine numero dierum, & finem vitæ non habens; Sed hæc omnia compe-

(a) 3. p. q. 22. de Sacerd. Christi art. 6. ad 2.

Digitized by Google

petunt Filio Dei, non autem Christo, qui matrem, Genealogiam, & finem vitæ habuit. Ergo Sacerdotium Christi non est secundum ordinem Melchisedech.

89 Respondetur. Melchisedech dictum fuisse sine Patre, Matre, Genealogia, numero dierum, & finem vitę minime habentem; non quia omnia ista non habuerit, prout iam ostendimus habuisse, sed cum esset figura Christi, omnia ista Scriptura omisit: propterea secundum Apostolum, ipsemet Melchisedech assimilatus est Filio Dei in terris sine Patre, & in Cœlis sine Matre, & sine Genealogia, iuxta illud Isaiæ: *Generationem eius quis enarrabit*; Et secundum Diuinitatem, principium dierum, aut finem vitæ non habet. Sed

Contra, quod est principale nō sequitur ordinem alterius, sed potius cætera omnia eius ordinem sequuntur; sed Sacerdotium Christi est principalius Sacerdotio Melchisedech. Ergo Sacerdotium Christi non est secundum ordinem Melchisedech.

Respondetur Christum non dici Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quasi Sacerdotium Melchisedech fuerit excellentius Sacerdotio Christi; sed dici secundum ordinem Melchisedech, quasi excellentiam Sacerdotij Christi ad Sacerdotium Leuiticum præfigurantis, sicut superius diximus. At tandem.

92 Contra. Sacramenta quanto magis propinquiora fuerunt Christo, tanto magis Christum expressius significabant. Sed Sacerdotio Christi propinquius fuit Sacerdotium veteris legis, quam Sacerdotium ante legem. Ergo Sacerdotium veteris legis, nempè Leuiticum, excellentiam Sacerdotij Christi præfigurauit, non autem Sacerdotium Melchisedech.

93 Respondetur: Sacerdotium veteris legis magis præfiguraſſe Sacerdotium Christi, quo ad oblationem, ob sanguinis effusionem, eo quod in Sacerdotio Melchisedech sanguis non effundebatur. Non autem quo ad participationem, & effectum

Sacri-

Digitized by Google

sacrificij, in quo verè consistit veritas Sacerdotij; quia hoc in oblatione panis, & vini Sacerdotiũ Melchisedech expressius significabat. Propterea verum Christi sacrificium, sub speciebus panis, & vini, in noua lege communicatur Christi fidelibus. Et hęc de prima quęstione sint satis; nunc autem de subsequentibus sit.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quæ conuicia in caput Ecclesiæ, & Summum Pontificem Christum, Hæretici blaterantur.

PROLOQVIVM.

ADuersariorum iacula in præcedenti quæstione omnino confregimus. Ad ea modo, quæ ab ipsismet Ecclesiæ perduellibus contra Catholicas veritates perperam effutiuntur, occurrimus; quibus euersis, & silentio ipsorum delicamentis imposito; veritas de Summo Sacerdotio, regia, legislatiua, Iudiciaria, & redemptiua Christi potestate magis in lucem prodeat, & splendescat, propterea sit.

CAPVT PRIMVM.

Temerè nonnulli Aduersariorum autumant, Christum Summum Pontificem, & Caput Ecclesiæ, non extitisse.

94 CHristum Dominũ, Summum Pontificem, & caput totius Ecclesiæ extitisse, adeò exploratum est, vt ipsimet Ecclesiæ rebelles, cum Christianos esse se iactent, nec etiam negent. Nihilominus contra tantam veritatem aliqui fabulatores nõ desunt, qui Christum Summum Pontificem minimè extitisse, asserere non erubescãt. Etenim ly *Summus*, iuxta Alexandrum consil. 72.; & (a) *Duardum* in bulla cęnæ Domini, nihil aliud sonat, nisi super Dignitates, nempè Archiepiscopos, Episcopos, Prębyteros, &c. esse. Sed Christus super Episcopos non fuit, nec

(a) *Lib. 1. c. 4. q. 2. n. 17.*

Digitized by Google

ipſis antecelluit, cum tunc nō eſſent; Ergo neque Summus Pontifex extitit. Maior eſt certa, minor verò probatur ab *Vuitclepho*, haruſpicante Ordinem Epiſcoporum nō à Chriſto, ſed ſimul cum Monachis, Canonicis, & Fratribus Mēdicantibus, de nouo inſtitutum eſſe. En propria eius verba. (a) *Hæ quatuor ſectæ*, inquit, *nouiter inductæ, ſicut Clerici Cæſarei, Epiſcopi, Monachi, Canonici, & Fratres quatuor Ordinum, multum conturbant Eccleſiam militantem Chriſti.* Ergo tempore Chriſti non erant Epiſcopi, & ideò nec ipſe ſummus Pontifex extitit. Sed huic argumento.

95 Reſpondetur, negādo minorem, eiusque probationem, cum noſter Vualdenſis alloquendo Vuitclephum, ſic eam explodat. (b) *Chriſtus inſtituit Ordinē Sacerdotalē, cum diceret Diſcipulis ſuis, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed in inſtitutione communis inſtituit Deus quodlibet eius ſpeciale, ſicut tu dicis in cap. prædicto, quod inſtituendo Sacerdotem in communi, inſtituit Deus hunc Sacerdotem ſingularem Robertum, Ioannem, vel alium. Ergo in inſtitutione Sacerdotij in communi, inſtituit Chriſtus Sacerdotium Curatorum Epiſcopale, & Sacerdotiū minorum, & ſimplicium Sacerdotum.* Ergo tanquam Supremus Pontifex, tum Epiſcopos, tum Præsbyteros ſub ſe habuit; at.

96 Reſpondet Vitclephus, & ita dicit. (c) *Chriſtum illo tempore inſtituiſſe Sacerdotiū Epiſcoporum, ſed non ordinē Epiſcopalem.* Ergo ibi non fuerunt Epiſcopi. Sed.

97 Contra, proſequitur *Vualdenſis*; nam Chriſtus ad tale officium Apoſtolos ſuos tanquā Epiſcopos ſubſtituit, *& ſi generaliter omnes Sacerdotes, non tamen niſi virtualiter contentos in Epiſcopos. Vnde Gregorius ſuper eundem locū*; libet, (d) *inquit*, intueri, quod illi Diſcipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantū culmen glorię ſunt producti. Ecce non ſolum de ſemetipſis ſecu-

(a) *In Spec. quadrig. c. 27. de offic. Paſtor.* (b) *Tom. 1. lib. 3. art. 3. c. 29. n. 3.* (c) *Ibid. ſup.* (d) *Tom. 2. homil. 2. ſup. illud Accip. Spir. Sanct.*

Digitized by Google

ſecuri fiunt, ſed etiam alicr æ obligationis poteſtate mulaxationis accipiunt, principaſſi, quę ſuperni iudicij ſortiuntur, vt vice Dei quibuſcã peccata retineant, quibuſdã relaxent. Horum hunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent: ſoluendi, atque ligandi auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Ecce ſubiungit Vualdenſis, dicit *Gregorius Epiſcopos noſtros ſortiri illum gradum, eumdem tenere locum, & eamdem conſequi auctoritatem, quam tunc Chriſtus donauit Apoſtolis; ſed iam tenent Epiſcopi gradum ſuperiorem, quam cæteri præcisè Sacerdotes. Ergo Chriſtus tunc inſtituit gradum, & locum Epiſcopalem altioris dignitatis, quam ſit gradus præcisè Sacerdotum.* Probat hanc conſequentiam textus *in cap. quorũ vices 68. diſt.* Ergo Chriſtus fuit Summus Pontifex. Sed.

98 Allatum argumentũ, Vuitclephus negat; (a) *quia tunc*, inquit, *non erat diſtantia Epiſcoporum, & Sacerdotum, ſicut ponitur in Decretis cap. olim, ideò Chriſtus ſolum inſtituit ordinem Sacerdotum, qui tunc omnes indifferenter vocabantur Epiſcopi; at Epiſcopatũ moderuum vltra Sacerdotium non inſtituit.* Ergo Chriſtus nõ fuit ſuper Epiſcopos, quia nõ erant, ac per conſequens nec Summus Pontifex. Sed.

99 Contra, reſpondet Vualdenſis; *etenim incurris hæreſim Aereorum, qui hoc idẽ hæreticum dogma ponebant; ſicut planè teſtatur Auguſtinus de hæreſibus, & eſt hæreſis 53. vbi ſic. Aeriani, ab Aereo quodam dicti ſunt, qui cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus ordinari non potuerit, & in Arrianorum hæreſim lapſus, propria quoque dogmata fertur addidiſſe nonnulla, dicens offerri pro dormientibus non oportere, nec ſtatuta ſolemniter celebranda eſſe ieiunia; ſed cum quiſquam voluerit ieiunandum, ne videatur ſub lege eſſe. Dicebat etiam Præsbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni.* Hęc Auguſtinus. Ideo ſic argumẽtor; Inter Epiſcopos inſtitutos à Chriſto, & cæteros Sacerdotes inſtitutos ab eodem,

(a) *Ibid. ſup.*

Digitized by Google

aut ponis Vuitclephe differentiam, & tunc conuinceris falsum dixisse, quod Christus ordinem Episcopalem nunquam instituerit distinctum à Sacerdotio in communi. Vel nullam ponis differentiam, & tunc incurris supradictam hæresim Aereorum. Nullum est medium inter | contradictoria, aut falsum dices cum Aereis, & eris hæreticus; aut falsũ dixisti per prius dictũ, & adhuc es hęreticus: Et ita cæteri omnes, qui hoc Vuitclephi delirium defẽdere conabũtur.

CAPVT SECVNDVM.

Altera Hæreticorum blasphemia, quod Christus Rex temporalis Ecclesię potius, quam spiritualis extiterit.

100 EX priori in alterum hoc deliramentum Hęretici dilabuntur, nimirum, Christũ temporalẽ **Ecclesię Regem citius, quam spiritualem extitisse; & tali futili argumento ducuntur. Figura debet omninò correspondere figurato, sed figura regiminis Christi in Ecclesia fuit dominij temporalis, non spiritualis. Ergò Christus** est Rex temporalis, siue sæcularis, & non spiritualis, aut Sacerdotalis totius Ecclesiæ. Maior est certa; minor autem sic primo probatur. Quia sicut Tabernaculum fuit figura Ecclesiæ, ita Moyses, Christi Regis figura fuit. Sed Moyses, non modo erga Laicos, sed etiam erga Leuitas tanquam Princeps sæcularis se gessit, testatur Brentius, & Okamus Protestantes: Ergo Christus vt præfiguratus à Moyse, est Rex temporalis, siue sæcularis totius Ecclesię, prout nunc est Rex Angliæ, in eius Laicocæphala Ecclesia. Secundo verò apertè patet ex illo Psalmi 2. *Ego autẽ constitutus sum Rex ab eo super Syon Montem Sanctum eius. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionẽ tuam terminos terræ*; Etenim verba illa de dominio temporali, & de Ciuitate Hierusalem per ly *Sion*, intelliguntur.

101 Respondetur, negãdo minorẽ, ad cuius primã probationẽ dico adinuentũ Brẽtij, & OKami asserentium Moysem Principem Secularẽ fuis-

fuisse, esse omnino falsum, vt pote contrarium Sacrę Scripturæ, præsertim Exodi cap. 40. vbi Moysi, non vti Principi Sęculari, sed tanquam Sūmo Dei Sacerdoti, sic à Domino fuit ordinatum. *Assumpto vnctionis Oleo vnges Tabernaculum cum vasis, vt Sanctificentur altare holocausti, & omnia vasa eius: labrum cum basi sua: omnia vnctionis Oleo consecrabis, vt sint Sancta Sanctorum. Fecitque Moyses omnia, quæ præceperat ei Dominus, posuit altare aureum, & adoleuit super eum incensū aromatum, & altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum, & Sacrificia vt Dominus imperauerat.* Propterea in Psalmo 98. de ipso sic dicitur; *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius:* (a) In cuius versu Incognitus noster ait. *Moyses, & Aaron erāt de Tribu Leui Sacerdotes. Moyses enim vota Populi obtulit Deo, & pro Populo supplicauit.* Ergo Moyses Sacerdos fuit, & non Princeps Secularis, & sic tanquam Sacerdos, Christum Regē Spiritualem, & non temporalem expressit.

102 Ad Secundam minoris probationem etiam respondeo: allegatum textum Psalmi non intelligi absolutè de dominio Christi temporali, sed ita potius à supracit. Incognito explicari. (b) *Aduerte*, inquit, *quod quamuis Christus omnium Rex, & Dominus esset, quia Rex Regum, & Dominus Dominantium, &c. tamen regiam suam potestatem primo ostendit in Ecclesia ex Iudęis, quam ex gentibus, quæ per Mōtem Syon intelliguntur secundū Glossā. Quia Ecclesia Iudæorū prius recepit radios fidei, vt montes prius suscipiunt radios Solis; Vnde Iudæis primo prædicauit, non sum missus, nisi ad oues, &c. tanquam primis subditis eius. Et hoc est, quod dicit,* Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Syon Montem Sanctum eius. *Christus igitur primò Iudæos subiectos habuit, vt Apostolos, & consequenter etiam gentes habuit, quando per Apostolos Christi fides per vniuersum Mundum prædicata fuit, quia tunc gentes Christi fidem susce-*

pe-

(a) *Tom. 2. in psal. 98. n. 1683.* (b) *Tom. 1. psal. 2. n. 13. & 15.*

Digitized by Google

perũt. Et ſicut ſoli Iudæi prius filij Dei erant, & hæredes: ſic gentes conuersæ ad fidem, ad hæreditatem Chriſti peruenerunt. Et hoc eſt, quod Pater Filio incarnato dicit; Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et quia iſtas gentes non ſolum de vna plaga Mundi conuertit ad fidem, ſed etiam de omnibus partibus, ideo ſubdit, Et poſſeſſionem tuam terminos terræ. Hæc Incognitus: Ex cuius relatis verbis pro explanatione textus Pſalmi, ſatis colligitur, Chriſtum per fidem acquiſiuiſſe ſibi Populum, eiuſque deinde Regẽ ſpiritualem in Eccleſia, & non temporalem in Aula, vt Hæretici blaterant, extitiſſe.

CAPVT III.

Tertium effutiunt Aduerſarij, talẽ regiam ſpiritualem poteſtatem nõ videri ad Chriſtũ ſingulariter ſpectauiſſe, eo quod alteri etiam Creaturæ cõmunicata fuerit à Deo.

103 SVæ dementiæ Achillem, puta falſę doctrinæ fundamentum in hoc repoſitum indicant, nempè, quod longe ante quam Chriſto, ipſius regia ſpiritualis poteſtas cum ampliori auctoritate, olim à Deo Ieremiæ impartita fuerit. Ergo falsò aſſeritur, quod nulli Creaturæ fuerit communicata. Antecedens ex ſequẽtibus Ieremię verbis, ita Deo ad ipſum alloquente Regẽ cõſtituente probatur. (a) *Ecce conſtitui te hodie ſuper gẽtes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ędifices, & plantes.* Chaldæus verò: *Vide, quod conſtituerim te hodie ſuper Populos, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & perdas & diſſipes, & ſuper domum Iſrael, vt adifices, & confirmes.* Ex quibus manifeſtè colligitur: poteſtatem regiam Spiritualẽ Chriſti ampliori auctoritate, nempè deſtruendi, ædificandi, & plantandi fuiſſe à Deo olim Ieremiæ ſuper domum Israel, & gentes impartitam. Ergo verũ non eſt, quod nulli Creaturæ fuerit delata.

104 Reſpondetur, negã-

do

(a) Cap. 1.

Digitized by Google

do minorem'; & eius probationem. Nam per allegata verba Ieremiæ, non fuit ipsi, vt malè astruunt Aduersarij potestas spiritualis regia cõmunicata, sed munus tantũ prædicationis impartitum, vt eruditè Pater Mandina in expositione talis capitis sic notat. (a) *Ecce cõstitui te super gẽtes, & regna. Pagninus, bis inquit, repetit,* ecce dedi te, ecce cõstitui te: *Nec otiosè: vt sẽsus sit; aduerte, quod te cõstituerim super gentes: Vide quod onus sit tibi demandatum: tui te officij commoneo: quod autẽ legis Ieremiam ædificaturum, & plantaturum, non ita accipias, quasi super Reges, & regna constituendus, fabrilia munera præstare debuerat, sed quod Regibus, prædicatione auertenda nunciaret. Sæpè enim in scripturis cum aliquid fieri denunciatur, hoc ipsum dicitur elici ab eo, quod denunciat; vt,* excęca cor populi huius. *Non enim Isaias ad excæcanda Israelitarum corda mittebatur: sed ad Populi excæcationem annunciandam. Aptè autẽ dicitur, vt euellas, & dissipes: bis enim verbis exprimitur, quod prædicatio Ieremiæ, ad eos esset dirigenda, qui à vero cultu exciderant, ad Idola conuersi; ædificare namque, & plãtare, eorum est, qui legem amplectuntur, & fidem: qui cõtra, euellere, & destruere eorum est, qui à religione defecerunt, quales ij extitere, quos redarguit Ieremias; præsertim sequentibus quatuor capitibus, de quibus ait;* dereliquerunt fontem aquæ viuæ. *Porrò deficiente cultu, omnis plantatio languescit, & destruitur ædificium, seu humore gratiæ deficiente,* omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus eradicabitur; *seu ob superbiam sit arefacta, vt ait Ecclesiastes* radices gentium superborum aresecit Dominus: *Seu quod fructum non ferat,* omnem palmitem non ferentem fructum, &c. *hæc verò plantare seu eradicare, seu destruere, seu quouis aliud, Prophetarum præsertim est, atque Apostolorum; vnde dicitur, vt euellas, & destruas, ædifices, & plantes.* Hæc ille. Christus autem, non vt Ieremias, vel aliqua alia creatura,

(a) *Tom. 1. sup. Ierem. vers. 10 pag. 191.*

Digitized by Google

tura, se tanquam verus Rex spiritualis, Sacramenta instituendo, peccata dimittendo, talem potestatem Ministris suis impartiēdo, Tribunal erigēdo, vt peccata in foro interno, & Animæ diiudicētur; suā peculiarem potestatem ad effectum demandauit: quæ omnia nec Ieremias fecit, nec aliquis alius Sanctus quantumuis à Deo potestate regia spirituali redimitus, vsquam facere poterit; cū Christus sine allegatione ad Sacramēta, peccata remittere, & Animas Sanctificare etiam potuerit, prout fecit. Ergo talis Christi regia potestas spiritualis nulli creaturæ communicata fuit.

CAPVT IV.

Aduersarij, Christum legislatorem esse non potuisse ostendentes, reijciuntur.

105 QVitali medio arguunt. Lex, vt habetur, *in dist. 2. cap. lex*; & scribit ex eius ethymologia Isidorus, *Est constitutio Populi, secundum quam maiores natu simul cum plebibus, aliquid sanxerunt*; Ergo Christus cōdere legem solus non potuit. nec Legislator esse.

106 Respondetur, negādo consequentiam, & ratio negationis est, quia principale, & proprium munus legis est respicere ordinem ad bonū cōmune destinatum; Ordinare autē aliquid ad cōmune bonum, non solum spectat ad communitatem, sed etiam ad aliquem, gerentem vicem multitudinis; Propterea inquit Aristoteles; (a) *Legem condere, tum ad totam multitudinem, tum ad Personam publicā eiusdem multitudinis curam habentem pertinet.* Cum autē Christus vti Rex Spiritualis Ecclesiæ, persona publica extiterit, gerens vicem omniū fidelium; inre optimo legem condere, & Legislator esse potuit. Sed.

107 Contra. Lex nihil aliud est, nisi regula, & mensura rationis; propterea Philosophum auctorem, & non insipientem exigi secundum Platonem, totum terrarum orbē tunc beatum prædicentem; quan-

(a) *Lib. 10. ethic. cap. vlt.*

Digitized by Google

quando aut sapientes regnare, aut Reges sapere capissent. Sed Christus ignarus fuit; Ergo Legislator non extitit. Maior est certa; minor verò probatur, tum à Caluino ita delirante. (a) *Certè cum docet Apostolus, per omnia Christum fuisse nobis similem, excepto peccato, preculdubio hoc quoque comprehendit, quod eius Anima subiecta fuerit ignorantiæ.* Tum à Carolo Molinæo: (b) *Christus ab initio non habuit omnē scientiam, sicut somniant Papistæ, sed per gradus.* Tum denique à Nicolao Gallatio (c) *Ita Christus ignorauit, vt disceret ipse, atque erudiretur more hominum.* Ergo Christus fuit imperitus, & ideo leges condere non potuit. Sed

108 Respondetur, negādo minorem, eiusque probationem, cum aduersus eam non modo stet Sacra Scriptura; verum & tam Græci, quā Latini Sancti Patres. Et primo Sacra Scriptura in cap. 6. Ioānis, ita loquitur: *Sciebat ab initio Iesus, qui essent non credentes, & qui traditurus esset eum.* Cap. 7. *mea doctrina*, inquit Iesus, *non est mea, sed qui misit me Patris.* cap. 16. *Nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget: in hoc credimus, quia à Deo existi.* & cap. 18. *Sciens Iesus omnia, quæ ventura erāt super terram.* Apud Matthēū vero sic: *omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Quibus auctoritatibus etiam Paulus Apostolus adstipulatur his verbis (d) *In ipso omnis plenitudo inhabitat.* & cap. 2. *In quo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ absconditi.*

109 Deinde ex Græcis, Cyrillus noster Patriarcha Alexandrinus, ita loquitur cōtra Theodoretum (e) *Igitur si non mentiris, dicens vnum esse Christum, & Dominum Iesum, eundē scil. Deum, & Hominē, vtiq; diuidis, & duos dicere filios non erubescis. An non planè duo sunt, siquidem non est idem, qui dimensam habet scientiā cū eo, qui nouit omnia? Et cum eo, qui partiariam recipit reuelationem, is, qui perfectus est in sapientia, & tanta*

(a) *in cap. 2. Luc. vers. 40.* (b) *in Harmonia.* (c) *lib. 2. c 49. in Irenæum*
(d) *Ad Colossen. c. 1.* (e) *Antematismo quarto.*

Digitized by Google

cognoſcens, quanta eſt Pater, &c. ipſum ſequuntur.

110 Gregorius Nazianzenus ſic. (a) *Proficiebat Chriſtus, vt ætate, ita etiam ſapientia: Non quod hæc in illa incrementum caperet, quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius eſſe poſſit? ſed quod hæc paulatim detegeretur.*

111 Clemens Alexandrinus. (b) *Sapientes ergo rogemus: Chriſtus hodie regeneratus, iamne eſt perfectus; an quod eſt abſurdiſſimum, ei aliquid deeſſe? Sed ſi ita eſt, vt aliquid diſcere opus fuerit; ſed eum, cum Deus eſſet, nihil didiciſſe fuit conſentaneum. Neque enim quis Verbo maior fuerit: ſed neque Magiſter, & Doctor eſt eius, qui ſolus eſt Magiſter.*

112 Iræneus. (c) *Adferunt ad ſtuporem inſenſatorũ, & quæ ſunt veritatis non ſcientium literas. Aſſumunt autem in hoc, (Gnoſtici) & illam falſationem, quaſi Dominus cum Puer eſſet literas didiciſſet, &c. &*

113 Iuſtinus Martyr. (d) *Si ignorantiam Chriſto adſcribere impietatis eſt, certum fuerit omnium eum obtinere præſcientiam perfectam.*

114 Ex Latinis autem, qui ad tuendam Chriſti ſapientiam ſimul cum Græcis conſpirant, adeo plures ſunt, vt longiſſimum eſſet texere omnium aſſerentium Catalogum: cæteris ergo omiſſis, tres tantum hic referemus, nempè Hilarium, Fulgentiũ, & Auguſtinũ. Et quidẽ Hilarius, omnẽ ignorãtiã ab Anima Chriſti agnoſcens alienã, ſic ait. (e) *Non patitur in nobis Doctor gentium hanc impÿ erroris profeſſionem, vt ignoraſſe aliquid Vnigenitus Deus exiſtimetur; ait enim: in quo ſunt omnes theſauri ſapiẽtiæ, & ſcientiæ abſconditi. Deus Chriſtus Sacramentum eſt, & omnes ſapientiæ, & ſcientiæ in eo theſauri latent.*

115 Fulgentius verò ita inquit. (f) *Quid ſi Animæ Chriſti non ad menſuram dedit Deus ſpiritum, neceſſe eſt,* vt

(a) *Orat. 20. in laud. Baſilij.* (b) *lib. 1. Padagogi cap. 6.* (c) *lib. 1. cap. 17 de Gnoſticis.* (d) *qu. 58.* (e) *lib. 9. de Trin.* (f) *in reſponſ. ad Ferrandum Diaconum, reſp. 3.*

Digitized by Google

nihil minus debeat sapientiæ, nihil minus scientiæ. Spiritus enim ille, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis. Ac per hoc non solum ad Diuinitatem Christi, sed ad eius quoque animam illa perfectionis prærogatiua pertinet, quam ipsi Christo Beatus assignat Apostolus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ abscondit.

116 Augustinus tandem sic ad intentum concludit. (a) *Nullo modo credã ignorantiã fuisse in infante illo, in quo Verbum Caro factum est, vt habitaret in nobis; Nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruuli fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.* Quibus authoritatibus, hæc alia Cyrilli (b) nostri Alexandrini potissima ratio, pro corona de adiungitur, videlicet; *Deum dedisse Christo omnem sapientiam, & gratiam, quia filius Dei erat. Cæteris vero adesse quædam munera, quia sancti sunt.* Sed

117 Cõtra inquiunt *Zuinglius, & Caluinus:* (c) quia Christus secundum hominem diem vltimum nescivit. Ergo fuit ignarus, & vt talis non potuit legem constituere. Antecedens patet ex illo Marci c. 13. *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque filius, nisi Pater.* Ergo Christus diem iudicij nescivit; & sic fuit ignarus.

118 Respondetur, negãdo antecedens: Etenim ad eius probationem satis occurrunt Epiphanius, Ambrosius, & Hieronymus. (d) Epiphanius autem ita inquit. *Si itaque ea, quæ Patris sunt, ipsius sunt, etiam cognitio, quæ est in Patre, & in Filio, & Spiritu Sancto est. Si vero quis putat filium ignorare diem, discat indoctus, & ne maledicat, &c. Roga itaque Patrem, vt reuelet tibi filium: & roga filium, vt reuelet tibi Patrem, &c.* Ambrosius vero sic prosequitur. (e) *Ariani quotidie persirepunt, omnem in Christo scientiam esse non posse: quia ipse, inquiunt, diei, & horæ se professus est esse ignarum. Nõ-*

(a) *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 29.* (b) *lib. 1. in Ioan. c. 17.* (c) *in cap. 24. Matth.* (d) *In Ancorato* (e) *lib. 1. de fide c. 8.*

Digitized by Google

nè, & ea, quæ spectant ad diuinæ vnitatem naturæ, ad infirmitatem quoque sacrilega interpretatione deriuant? &c. Neque enim sapientiæ Dei est ex parte scire, & ex parte nescire. Nam quomodo potest nescire partem, qui fecit omnia, cum minus sit scire, quam facere? Hieronymus tandem sic coronat opus. (a) De die autem illo, vel hora nemo scit, &c. Arius, & Eunomius dicunt; nõ potest esse æqualis, qui nouit, & ignorat. Contra quos ista breuiter dicenda sunt. Cum omnia tempora fecerit Iesus, hoc est Verbum Dei; omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: in omnibus autem temporibus, etiam Iudicij dies sit: qua consequentia potest eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Hoc quoque, dicendum est. Quid est maius notitia Patris, an iudicij? Si maius nouit, quomodo ignorat, quod minus est? Scriptum legimus: omnia, quæ Patris sunt, mihi tradita sunt: Si omnia Patris Filij sunt, qua ratione vnius sibi diei notitiã reseruauit, & noluit eam communicare cum filio? sed & hoc inferendum: Si nouissimum diem temporum ignorat, ignorat & penultimum, & retrorsum omnes. Non enim potest fieri, vt qui primum ignorat, sciat quid secundum sit. Igitur quia probauimus non ignorare filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super Saluatore scribit: In quo sunt õnes thesauri sapiẽtiæ, & sciẽtiæ absconditi; quare abscõditi sũt? Post resurrectionẽ interrogatus ab Apostolis de die, manifestius respõdit: Non est vestrũ scire tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Quando dicit; Non est vestrum scire, ostendit, quod ipse sciat, sed non expediat nosse Apostolis; Ideoque nescit Christus diem iudicij, & horam, ne alijs dicat, non autem nescit per se absolutè. Sed

119 Contra prosequitur Caluinus. Christus dixit, quod de die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli, neque ipsemet filius. Ergo Christus etiam

(a) ad cap. 24. Matth.

Digitized by Google

etiam per se, & absolutè, diē illum, vel horam ignorauit.

120 Respondetur negādo consequentiam; quia Christus ibi non dixit, nec Ego noui diem illum, sicut dicere debuerat, ad hoc vt curreret allatum argumentū. Sed tantum dixit, *de die illo nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater*: Sciens se à Patre secundum substantiam nihil distare, sed ipsi vnitum esse, sicut iam dixerat. (a) *Ego & Pater vnum sumus. Vnum* inquit noster Thomas Beaulxamis, *ideſt vna essentia, vna Diuinitas, vna aqualitas. Sumus in plurali, vt doceret aliā esse personam Patris, aliam Filij. Vnum tandem, vt testetur vnam esse Essentiam, Voluntatem, Diuinitatem, Maiestatem, &c.* Si ergo Pater nouerat diem illum, nouerat etiam & Filius. Sed

121 Contra subiungit *Caluinus*. Christus plura non nouit. Ergo ignarus fuit. Quod autem plura non nouerit; patet ex Sacra Scriptura, præsertim ex Lazaro: *Vbi posuistis eum?* & alibi; *quem dicunt Homines esse filium hominis? quot panes habetis? &c.* Ergo Christus plura non nouit.

122 Respondetur cum D. Prospero, negando antecedens: (b) Etenim *Christus, inquit, cum omnia norit, aliqua se nescire simulat; vt est illud de Lazaro, vbi posuistis eum? & illud Matthæi 24. de die, & hora nemo scit, &c. cum eo die & hora ipse venturus sit filius. Et illud de duobus discipulis narrantibus de passione sua, & dicentibus ei, nescis quæ facta sunt in Hierusalem, ante tertium diem. Et ipse, in quo facta sunt, nescienti similis, dicit: Quæ? Sed hæc, quæ celantur, aut in magno aguntur Mysterio, aut intentio cordis extenditur in Deum; vt quātum non capit, auidus nosse, quærat: et cum quæsita non intellexerit, amplius metuat, sciens Diuinum esse, atque profundum, quid quid mortalibus nosse fuerit denegatum.*

123 D. autem Prospero Sylueira noster adstipulatur, ita

(a) *Super Euang. fer. 4. post Dom. in. passion.* (b) *de promiss. & Prædication. p. 2. c. 31.*

Digitized by Google

ita inquiens, (a) *Omnes Patres, et Doctores planè conueniunt, quod optime sciebat Christus locum Sepulturæ, interrogat autem ex mysterio, vt pareret viam ad suscitationem Lazari, et ad tantum miraculum, omnium attentionem excitaret.* Quæstione autem decima sexta iterum. *Planum apud omnes Patres, & Expositores, quod Christus Dominus optimè sciebat locum, in quo sepultus erat Lazarus, vt ait Augustinus tract. 49. in Ioannem.* Qui enim absens esse mortuum resciuit; præsens apertè locum, in quo sepultus erat, sciebat; ex magno mysterio interrogat Dominus vbi posuistis eum? *Nimirum,* subiungit Beaulxamis Carmelita, (b) *vt vocationem nostram, quæ fit in occulto significaret. Prædestinatio enim vocationis nostræ occulta est: cuius secreti signum est interrogatio Domini quasi nescientis, cum ipsi nesciamus: sicut docuit Apostolus, vt recognoscam, sicut & cognitus sum. Huic interrogationi est simile illud Geneseos, Adam vbi es? Quoniam peccauerat, & se absconderat à facie Dei. Quam occultationẽ hic sepultura significat, vt peccantis habeat similitudinem moriens; sepultus, & absconditus à facie Dei.* Item, & hanc aliam rationem noster *Orlandus* Episcopus Cephaludanus, à quo lauream Magisterij ego suscepi, adducit. Nempè interrogationem illam, *vbi posuistis eum?* non esse ex ignorantia, sed vt vtramque naturam ostenderet, secundum Chrysostomum, videlicet; humanam interrogando, & Diuinam mortuum suscitando.

CA-

(a) *tom. 4. Euang. lib. 6. cap. 35. Expos. X.* (b) *in fer. 6. post. 4. Dom. quatr. super Euang. Ioann.* (c) *tract. 3. de scient. Christi disp. 4. q. 4.*

Digitized by Google

CAPVT V.

Vrgent iterum Aduersarij, potestatem Legislatiuam Christi, neutiquam fuisse Mosaicæ Legis euacuatiuam.

124 LIcet contra Caluinũ, eiusque Affectas, omnis ignauia à Christo fuerit superius explosa; quinimmo eius sapientia fusius probata; secundum quam verus Legislator extitit, & iure optimo leges condere potuit. Nihilominus ad impugnandam hanc veritatẽ sic iterum contra ipsam vrgent Aduersarij, videlicet legem Moysis adhuc vigere; Ergo Christus non fuit Legislator, quia alias eius lex esset euacuatiua legis Mosaicæ.

125 Contra tale argumentum, Paulus Apostolus ad Romanos ita scribit: (a) *finis legis Christus ad iustitiã omni credenti.* Ergo lex Christi fuit euacuatiua legis Mosaicæ. Sed

126 Obijciunt: Thuriferatio, quę adhibebatur in lege Moysis, etiam nunc in lege Euangelica reperitur. Ergo lex Christi non fuit euacuatiua legis Mosaicæ.

127 Respondetur cum Resolutissimo (b) *Bachonio*: thuriferationem ideo adhuc vigere, quia tunc nullum Christi venturi mysterium, sed extrinsecam tantum Populi deuotionem significabat: talis namque deuotio, non minor ad ipsum venturum, quam nunc præsentialiter nobis exhibitum, esse debet. Propterea remansit in lege Euangelica, non autem vt legale præceptum.

128 Contra: quod semel rectè factum est, non debet mutari, nisi probaretur recta ratione non esse factum, sed Deus nullo vnquam tempore fecit aliquid non recta ratione. Ergo si Deus legem Moysis ordinauit, eam per noua sacrificia euacuare non debuit, alias malè operatus est Deus, quod est absurdum.

129 Respondetur cum eodem (c) *Bachonio*, distinguen-

(a) *cap.* 10. (b) *in 4. sentent.* (c) *q. 5. Prolog. ar. 2.*

Digitized by Google

guendo maiorem. Quod rectum factum est, non debet mutari, quantum ex parte rectè facientis, concedo. Quantum ex parte, & opportunitate temporum, nego. Quia mutata temporis causa, recta ratio expostulat, vt id, quod antea recta ratione factum fuerat, etiam mutetur; quia vtrumque rectum etiam erit, licet pro varietate temporum fuerit diuersum. Deinde concessa minore, nego consequẽtiam; videlicet, quod in delendo Deus legem veterem per legem gratiæ, malè mutatus fuerit, & quod in Diuina voluntate fuerit mutatio; cũ vtrumque in ipsa, attenta varietate temporum, ab æterno statutum fuerit, iuxta præscriptum Diuinæ prouidentiæ; sicut benè probat in Epistola ad Marcellinum Augustinus, & notat Bachonius in cap. 31. Ieremiæ, sic varicinãtis: (a) *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & confirmabo super domum Iacob testamentum nouum, non secundum testamentum, quod disposui Patribus eorum cum educerem eos de terra Ægypti.* Ergo lex secundùm varietatem temporum debet mutari, sicut benè astruit supracitatus Resolutissimus Doctor, *in distin. 4. cap.* ita inquiens. *Etiam tempore legis Christianæ oportet leges moderari, & mutari in his, quæ pertinent ad mores, & perfectionem Conciliorum, prout sæpe factum esse intelligimus.*

(a) *ibid. art. 32.*

CAPVT VI.

Christum nequaquam iudiciariam potestatem habuisse, temerè iterum, & obstinatè veritatis inimici ostendere contendunt.

130 EX eo, quia Legislator à Iudiciaria potestate neutiquam dissociatur, quia ad illum, qui leges condidit, vel qui in illius iure condendi leges succedit, de legum obseruantia, vel inobseruantia pertinet iudicare; & Aduersarij superius in cap 4. & 5. circa potestatẽ legislatiuam Christi, omnino fuerint reiecti: ad ipsam iterũ sal-

Digitized by Google

saltem mediatè euertendam, aduersus potestatem iudiciariam hac spe insurgunt, videlicet; quod si Christus potestatem iudiciariam nunc non habet, nec etiam Legislatiuã habere potuit, & tale astruũt argumentum.

131 Si Christus potestatem iudiciariam habuisset, eã profecto aliquando exercuisset, & saltem quando quidam homo cum eo de diuisione fraternæ hæreditatis expostulauit. (a) *Dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*. Sed tunc Christus ore proprio ea potestate se carere affirmauit, respondens: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Ergo Christo iudiciaria potestas minimè fuit.

132 Respondetur: argumentum tantum probare Christum potestate iudiciaria in actu secundo minimè vsum, non autem ipsa omninò, nempè in actu primo caruisse: quia à Deo cum omnimoda iudiciaria potestate Supremus Iudex constitutus erat, vt ex illo Ioannis habetur. (b) *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*. Noluit autem ipsa in rebus humanis vti, quia tantum venerat, vt homines ad Cœlestia transferret, sicut Ambrosius testatur. (c) *Bene* inquit, *terrena declinat, qui propter Diuina descenderat, nec Iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum habens, mortuorumque iudicia, arbitriumque meritorum*. Sed

133 Contra. Nemo habet iudicium, nisi super ea, quæ sunt sibi subiecta. Sed Christo, inquit Paulus Apostolus: (d) *nec dum videmus omnia subiecta*. Ergo Christus nullam habet potestatem iudiciariam.

134 Respondetur cum D. Thoma, distinguendo minorem; Christo nec dum omnia subiecta sunt, quantum ad potestatem à Patre illi traditam: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra*. Nego. Nec dũ omnia subiecta sunt, quantum ad execu-

Qq tio-

(a) *Luc. cap. 12.* (b) *Cap. 5.* (c) *Tom. 5. lib. 7. in cap. 12. Luc.* (d) *Ad Hæbreos cap. 2.*

Digitized by Google

tionem ſuæ poteſtatis, quæ quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem ſuam adimplebit, quosdam quidem ſaluando, quosdam autē puniendo, concedo. Sed

135 Contra. Iudicium Subditorum ad proprium illorum Dominum pertinet. Sed eſſe Dominum omnium Creaturarum, toti Trinitati eſt commune. Ergo Chriſtus nullam poteſtatem iudiciariam in Creaturas habet.

136 Reſpondetur cum eodem D. Thoma, quod quāuis iudiciaria poteſtas toti Trinitati ſit communis, ipſa tamen per quandam appropriationem Filio tribuitur, vt habetur in cap. quinto Ioannis ſic. *Pater non iudicat quēquam, ſed omne iudicium dedit Filio, & poteſtatem etiam iudicium facere, quia filius hominis eſt.* Ergo de primo ad vltimum, Chriſtus habet poteſtatem iudiciariam.

CAPVT VII.

Redemptiuam poteſtatem à Chriſto infenſiſſimi eius nominis hoſtes, impiè contendunt auertere.

137 EXploſis hucuſque Aduerſariorum aſſertionibus, non ſecus, ac muſcæ, quæ & ſi ſæpius abigantur, & pertinacius abigentes infeſtant, contra Redemptiuam Chriſti poteſtatem rurſus ſic inuehuntur. *Chriſtus*, blaſphemat Beha Caluiniſta, (a) *ingemi onere iræ Diuinæ obrutus, flammis Inferni addictus, profundo Inferni gurgite ſepultus, demerſuſque perijt.* Ergo per ſuam mortem Redemptor Generis humani minimè extitit.

138 Huic Diabolico homini tam execrabiliter blaſphemanti, occurrit Ioannes Euangeliſta, & horrēdum aſſertum ſequentibus ita eliminat. (b) *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iu-*

(a) *Annot. in c. 26. & 27. Matt.* (b) *Epiſt. 1. c. 3.*

Digitized by Google

iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi. Ergo Christus non periit, sed redēptio potius nostra extitit, vt benè testatur Xistus Tertius,(a) his verbis: *Interrogo te, cuius morte reparatus es, cuius cruore, cuius passione liberatus es? Quis pro salute tua indignissima conuitiorum audiuit opprobria? Quis infirmitates tuas suscepit, vel aegritudinum tuarum causam, & insanabilia vulnera absstulit? Quo aegrotante [illegible] vsus es medico? Cuius caput pro peccatorum tuorum sensibus spinea est cōpunctū corona? cuius sputaminibus dedecorata facies? cuius maxillae palmis sunt à Iudaeis verberatae? Quis te in perpetuum flagellaretis, flagella sustinuit? Cuius vulnere, tua curata sunt vulnera? Quis te ad vitam reduxit à morte? Quis de inferis te reuocauit ad Cœlos?* Non Patriarcha, nō Prophetae, non alter quicumque Sanctorum: *Sed Iesus Christus Dominus. Ipse enim spes nostra, ipse salus, ipse redemptio nostra.* Ergo Christus habuit potestatem redemptiuam. Sed

139 Contra: ille dicitur redimere, qui dat pretium redemptionis: Sed Deus Pater dedit Filium suum in redemptionem pro nobis: *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ergo non Christus, sed Deus Pater generis humani Redēptor fuit.

140 Respondetur, argumentum allatum, hoc tantum probare, videlicet: Christum de mandato æterni Patris, tāquam primordialis auctoris, offerendo seipsum in ara Crucis, pretium redemptionis nostræ immediatè soluisse, sicut iam ad Burdegalenses in sua Epistola scripsit S. Martialis. (b) *Viuimus per sanguinem Agni inconstaminati, qui à Iudaeis in Cruce pro salute Mundi passus est. Ipsius sanguis vulnera lauit animarum nostrarum, quibus à morte fatigati, & per lignum vetitum, vsque ad passionem Domini, & mortificati, & consopiti, ineffabili dolore prosternaba-*

Qq 2 *mur*

(a) *Libell. de diuitijs* (b) *Cap. 9.*

Digitized by Google

mur. Nunc autem, ex quo resurrexit à mortuis, iam viui, iam immortales, iam in sanctitate plena exultabimus. Ergo Christus habuit potestatem redemptiuam, qua nos redemit, vinificauit, & immortales effecit. Ita est, scribit ad Demetriadem S. Cyprianus. *Hanc gratiam Christus impartiuit, hoc munus misericordiæ suæ tribuit, subigendo mortem trophæo Crucis, redimendo credentem pretio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalẽ regeneratione Cœlesti;* Sed vrgent Aduersarij.

141 Contra. Non sola, & vna Christi, sed etiam aliorum Sanctorum passione, teste Paulo Apostolo ad Colossenses (a) (*Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia*) nostræ saluti consultum fuit. Ergo non solum Christus Redemptor dici debet, sed etiam alij Sancti. Et sicut alij Sancti non habuerunt potestatẽ redemptiuã, nec etiam Christus eam habuit.

142 Huic argumento (b) *Angelicus Doctor* respondet, & dicit, quod passiones Sanctorum proficiunt Ecclesiæ, non tamen per modum Redemptionis, sed tantum per modum exempli, & exhortationis, iuxta illud D. Pauli: (c) *siuè tribulamur pro vestra exhortatione, & salute, &c.* propterea Sancti potestatem redemptiuam non habuerũt, nec extiterunt Redemptores, sed tantum ob eorum passiones coronas acceperunt à Deo: Christus solus, inquit S. Leo Papa, redemptiuam potestatem habuit, quia Redemptor noster extitit, pro nobis passus est, vt daret, non vt acciperet coronam. (d) *Dicant,* inquit, *quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sint redempti? Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis? aut quod sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex Altari Crucis per immolationem suæ car-*

(a) *Cap.* 1. (b) 22. *q.* 48. *art.* 5. (c) *Epist. ad Corint.* 2. *c.* 1. (c) *Serm.* 12. *de pass. c.* 3.

Digitized by Google

carnis imposuit ? Quamuis enim in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit Mundi. Acceperunt Iusti, non dederunt coronas: & de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alterius quisquam debitum suo funere soluit, cum inter filios hominũ solus Dominus noster Iesus Christus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sint suscitati. Sicut & ipse resuscitauit, & non, vt ait infamis Beha, *sepultus, demersusque perijt.*

CAPVT VIII.

Memoratas potestates, ratione naturæ diuinæ, non autem secundum humanam, Christo conuenire, obloquuntur Aduersarij.

143 ET quidem primò, quantum ad Regiam potestatem, sic vrgent. Rex super omnes est, quia omnibus imperat. Sed Christus secundum humanitatem, non est super omnes, quia minor est Patre. Ergo Christus secundum humanitatem non est Rex omnium, sed potius Pater Cœlestis; cui cum consubstantialis sit, si Christus erit Rex, Rex erit tantum secundum Diuinitatem, secundum quam consubstantialis est.

144 Respondetur: argumentum allatum nihil aliud contra nos probare, nisi quod Christus secundum humanitatem non sit Rex Dei Patris, sed minor Patre; eo quod vt inquit Augustinus; (a) *Dei filius humanam carnem suscipiens, exinaniuit se formam serui accipiens, non amittens, vel minuens formam Dei, ac per hoc, & minor est factus, & mansit æqualis: vtrumq; vnus, sicut dictum est: Sed aliud propter Verbum, aliud propter hominem. Propter enim Verbum æqualis Patri, propter hominẽ minor Patre.* Non autem probat argumentum, quod Christus secundum humanitatem non

(a) *In Enchirid. ad Laurentium c. 35.*

Digitized by Google

non sit Rex omnium Creaturarum; quia contra ipsum statutum illud Matthæi. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Tum illud Pauli ad Hebræos: *Diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit Hæredem vniuersorum*; intellige secundum humanitatem; etenim secundum Diuinitatem summum Imperium iam habebat, quia consubstantialis erat Patri, & inter Patrem, & Filium adeò summa identitas est, inquit Cyrillus noster Alexandrinus; (a) *vt in filio Pater, & in Patre filius conspiciatur; qui enim me videt, Saluator inquit, Patrem meum videt*; & *rursus: Ego in Patre, & Pater in me est. Quod cum ita sit, non tamen idcirco, aut filius in propria hypostasi, aut rursus Pater per se ipsum subsistere negabitur; nec summa illa identitas personas, ideſt hypostases confundet.* Propterea alter Cyrillus noster Patriarcha Hierosolymitanus, ita subiungit. (b) *Credo in filium Dei, & solum Dominum nostrum Iesum Christum, Deum ex Deo genitum, Vitam ex Vita genitam, lumen ex lumine genitum, Homousion, ideſt consubstantialem per omnia generanti: qui non in temporibus esse cæpit, sed ante Sæcula sempiternus, incomprehensibiliter ex Patre genitus: Sapientiam Dei, & Virtutem, & Iustitiam substantialem, qui in dextera Patris ante omnia Sæcula sedet.*

145. Circa verò potestatem legislatiuam, ita inquiũt. Legem statuere ad Communitatem, vel saltem ad Regem tanquam personam publicã, Communitatis vicem gerentem pertinet. Sed Christus, vt superius probauimus, non est Rex secundum humanitatem, ergo neque secundum humanitatem potestatem legislatiuam habuit. Maior est certa, minor patet ex dictis; consequentia tenet.

146 Respondetur, negando minorem. Nam ex superius allatis in responsione precedentis argumenti apertius constat, Christum secundum humanitatem, potestatem regiam habuisse: & ita secundum humanitatem, potestatẽ

(a) *Lib. 1. in Ioan. c. 2.* (b) *Catbechis. 4.*

Digitized by Google

legislatiuam etiam ei impartitam esse. Etenim secundum humanitatem, tum illud Ioānis. (a) *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Tum illud Matthæi. (b) *Docentes eos seruare omnia quæcumque mãdaui vobis*: intelligitur, sicut benè notat noster Sylueira, ita inquiẽs (c) *Legis Conditor Christus Apostolis suis dedit aliqua præcepta*: Nempè secundum humanitatem, quia quando loquitur de Christo absolutè, inquit Incognitus, (d) *intelligitur de Christo in lege, & Prophetis promisso. Etenim filius Virginis antonomasticè Christus est dictus.*

147 De potestate autem iudiciaria, sic pariter instant. Iudiciũ, vt scribit (e) *Augustinus* libro de vera Religione, in tãtum attribuitur filio, in quantum lex est primæ veritatis; Sed hoc conuenit Christo secundum Diuinitatem, non secundum humanitatem. Ergo Christo conuenit iudiciaria potestas secundum Diuinitatem, & non secundum humanitatem.

148 Respondetur ex *D. Thoma*, iudicium pertinere ad veritatem, tamquam ad regulam iudicij primario; ad Hominem autem, qui est veritate imbutus, secundario, secundũ quod est vnũ quodãmodo cum ipsa veritate, quasi quædam lex, & quædam iustitia animata. Et quia Anima Christi præ cæteris Creaturis magis vsita fuit veritati, magisque ea repleta, secundum illud Ioannis. *Vidimus eum plenũ gratiæ, & veritatis*; Ideo secundum hoc, ad Animam Christi, nempè, ad Christum secundum humanitatem omnia pertinet iudicare. Adstipulatur huic veritati Incognitus ita scribens. (f) *Potestas iudiciaria data est Christo in quantum Homo est, non in quantum Deus, quod ipse exprimens ait, Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Vbi Augustinus. Christus filius Dei, & filius Ho-*

(a) *ca.*15. (b) *cap.*28. (c) *tom.*5. *Euang. lib.*9. *cap.*9. *exp.*4. (d) *tom.*1 *psal.*2. *num.*9. (e) *tom.*1. *c.*31. *in princ.* (f) *tom.*2. *psalm.* 74. *num.*1237.

Digitized by Google

Hominis est: quia filius hominis est, accepit potestatē iudiciū facere, quod scil. erit in fine seculi, vbi erit resurrectio corporum mortuorum. Animas enim suscitat Deus per Christum filium Dei, corpora verò suscitat per eundem filium hominis, nam secundum quod filius Dei est, semper potestatem habuit iudicium facere; secundum autem, quod filius hominis est, accipit hoc ex tempore; & hoc est quod Psalmista ait. Cū accepero tempus, Egò iustitias iudicabo.

149 Tandem in redemptiuam potestatem sic innestuant. Redemptio iuxta Psalmum 30. facta est per Dominum Deum veritatis. *Redemisti me Domine Deus veritatis*; sed esse Dominū Deum veritatis, non Christo, sed toti Trinitati conuenit. Ergo potestas iudiciaria non cōuenit Christo secundum humanitatem.

150 Respondetur ex nostro Incognito, verba allegati tex. *Redemisti me Domine Deus veritatis*, esse verba Populi fidelis innumeras gratias Deo agentis, quod eū à captiuitate Satannica per mortē Christi liberasset, siue redemisset. Sed Christus secundū humanitatem passus est; Ergo secundum humanitatem potestas redemptiua ipsi conuenit, secundum quam immediatè Populum fidelem redemit, licet principaliter redēptio pertineat ad Deum, tanquam ad Auctorem primordialem. En verba supracitati Incogniti. (a) *Verba ipsa Redemisti me Domine Deus veritatis, non sunt verba Christi secundum Magistrū in Glossa; sed Ecclesiæ, siuè fidelis Populi. Qui de passione Christi completa gratias agens, dicit. Redemisti me Domine Deus veritatis. Quod dicit Domine Deus veritatis, idem est non fallens in promissione, quia fecisti, quod promisisti, quia promisisti dare animam tuam in redemptione pro nobis, quod ex nunc perfecisti. Filius hominis venit saluare, quod perierat, & donare animam suam pro multis.* Psalmo tamen 135. n. 2403. argumenti difficultatē Incognitus tangens, sic eam cla-

(a) *tom. 1. psalm. 30. n. 441.*

Digitized by Google

clarè soluit.(a) *Est igitur Christus Redemptor secundum humanitatem, quia secundum eã, & in ea suscepit, & impleuit illa Sacramenta, quæ sunt Causa nostræ Redemptionis, & ideo solus Filius dicitur Redemptor.*

CAPVT IX.

Negant Aduersarij, Christum secundum humanitatem, Regem totius Mundi temporalem extitisse.

Licet ex multis scripturis, & authoritatibus abũdè probatũ fuerit, Christum iure donationis paternæ totius Mundi Regem temporalem in terris extitisse; nihilominus doctissimus Vasquez disp. 87. cap. 2. contra nostram veritatem sic insurgit.

151 Allatas scripturas, & auctoritates tantummodo probare, Christum Regem spiritualem extitisse; quia si eum appellant Principem Regum Terræ, & Dominum Dominantium, non ratione alicuius iuris, & potestatis, sed ratione vsus, & dominationis, eum appellant. Ergo Christus in Terris Rex temporalis Vniuersi non fuit.

152 Respondetur; Vasquez simili argumento nihil contra nostram veritatem probare. Nam dato, quod tales scripturæ, de Regnõ spirituali Christi in Terris, & in Cœlis intelligantur; eius tamen Regiam potestatem temporalem totius Mundi non excludunt, quod expressius probare debebat. Quia illud Matthæi (b) *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Illud Pauli ad Corinthios, (c) *omnia subiecta sunt ei præter eum, qui subiecit ei omnia.* Et illud Psalmi 8. *Omnia subiecit sub pedibus eius*: Cum sint signum vniuersale, quamlibet potestatem, tum spiritualem, tum tẽporalem includunt; nec sine positiuo fundamento ad solam potestatem spiritualem limitari possunt. Ergo Christus in terris habuit potestatem, Regiam temporalem totius Mundi.

153 Contra. Christus nec iure hæreditario, nec iure belli, neque per electionem Populi, neque per specialem

Rr. con-

(a) *Tom. 3. Psal. 135.* (b) *Cap. vlt.* (c) *Cap. 15.*

Digitized by Google

conceſsionem Dei fuit Rex temporalis totius Mundi. Ergo nullum titulum habuit ad Regnum temporale Vniuerſi, ac per conſequens Rex temporalis non fuit.

154 Reſpondetur. titulũ primo fuiſſe iuris hæreditarij, prout ex Sanctis Athanaſio, Epiphanio, Hieronymo, Bernardino Senenſi, cæteriſque alijs eruditè oſtendit tom. 1. Euangelij (a) *noſter Sylueira*. Deinde titulum fuiſſe iure donationis paternæ, ſicut docet noſter Reſolutiſsimus (b) *Bachonius*, ſuper illud pſal 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*, allegans cæteraque alia loca Sac. Scripturæ pro ſua ſententia. Ergo Chriſtus ſecundum humanitatem fuit Rex temporalis totius Mundi, licet in actu primo, non in actu ſecundo. Sed

155 Contra. Talis potentia, ex quo nunquam reducẽda erat ad actum, & ex quo nunquam erat vſum habitura, fruſtratoria eſſet. Sed non eſt dicendum, Chriſtum fruſtra Regem totius Mundi fuiſſe. Ergo Chriſtus nunquam extitit Rex temporalis totius Vniuerſi. Probatur maior, quia fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum, cum potentia ſit propter actum.

156 Reſpondetur ex *Zagaglia Bachonij* Diſcipulo, negando maiorem, & eius probationem diſtinguendo. Fruſtra eſt illa potentia, quæ non reducitur ad actum, ex defectu ipſius potentiæ, eo quod non eſt ſufficiens, vt prorumpat in actum, vel ex oppoſito impedimento, concedo. Si non reducatur ad actum, ex quo eius vſus ſubſit volũtati, & ipſa nolit, quod prorumpat in actum, nego. Eſto potentia illa non deſeruiat ad actum, poteſt tamen pro libito voluntatis deſeruire; Sicut interim ad ornatum, & perfectionem habentis illam deſeruit; Eo modo quo ædificatoriam artem habens, talis fruſtratoria non eſt, eſto actu non ædificet: ſufficit enim, vt pro ſuo libito poſsit ædificare,

(a) *Tom. 1. lib. 1. c. 5. q. 1. n. 144. & 116.* (b) *In 4. q. 1. Prol. art. 2. §. 2.*

Digitized by Google

re, & interim talis ars ad ornatum eiusdem deseruit; sic à pari; Potestas regia temporalis super vniuersum Mundum concessa Christo, non fuit frustra in eo, ex quo illam non exercuit, quia non fuit ex aliquo impedimento; sed quia ille ad Regna Cœlorum tribuenda, & ad spiritualiter potius, quam temporaliter regnandum venerat. *Non eripit mortalia, qui Regna dat Cœlestia.* Cui adde, quod huiusmodi potestatem regiam ideo noluit exercere, vt exempla humilitatis, & paupertatis voluntariæ, nobis præberet. Sed

157 Contra. Iechonias in peccatorum pœnam, successione Regni per vniuersam posteritatem priuatur; de ipso enim in *cap.* 22. Hieremiæ sic habetur. *Quare abiecti sunt ipse, & semen eius?* subiungitur; *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur, nec erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, et potestatem habeat vltra in Iuda.* Sed Christus Dominus fuit filius Dauidis, & Ieconiæ. Ergo nullum ius habuit ad Regnum Israel, multo minus ad dominium Vniuersi.

158 Respondetur: Christum habuisse ius ad dominium Vniuersi, ex vi donationis paternæ; ad Israel verò, hæreditarium; quia Regnum Israel ex familia tantum Iechoniæ, non autem ex tota familia Dauidis, à qua descendebat ipse Iechonias per Salomonem, abscissum fuit; Beatissima autem Virgo descendebat ex familia Dauid, non per Salomonem, sed per Nathan, adeoque nec ipsa, nec Christus Dominus erant ex familia Iechoniæ, ob cuius demerita, excissum Regnum Israel, siue exclusum à familia Salomonis; ad alterum Dauidis filium, nempe ad Nathan transijt; propterea Christus ad ipsum Regnum ius habuit. Vel ad textum allegatum Hieremiæ respondetur: *Non erit de semine eius vir, qui sedeat super Solium Dauid*: nempe *Vir tantum*, vt ait Glossa interlinealis, concedo. Christus autem, Deus est, & Homo: ideoque licèt locus supradictus Ieremiæ de alijs *Dauidis posteris* intelli-

Digitized by Google

gatur; de Christo Domino autem minimè intelligi potest, vt D. *Hieronymus*, D. *Basilius*, S. *Thomas*, & alij Expositores, ibi communiter satis explicant.

159 Contra. Genealogiã Christi Iudęi optimè sciebãt, ideoque si Regnum Israel aliquo iure ad ipsum spectauissent, quando eis dictum fuit, *Regem vestrum crucifigam?* minimè tunc audaciter respondissent; *non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ergo Christus nullum ius ad Regnum Israel habuit.

160 Respondetur. Populum Iudaicum tunc minimè agnouisse Christum esse Messiam, sicut ei in faciem D. Petrus obiecit. (a) *Vos autem* inquit, *Sanctum, & Iustum negastis, & petistis Virum homicidam donari vobis*; & concludit: *sed nunc Fratres scio, quia per ignorantiam feciſtis, sicut, & Principes vestri*: Cui Paulus Apostolus sic etiam adstipulatur. (b) *Si enim Iudæi Christum cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissẽt.* Ac proinde Iudæorum Populus semper in illa virtuali voluntate perseuerauit, vt Messias suus Rex esset. Sed

161 Contra. Ad gubernãdum requiritur iurisdictio, seu auctoritas præcipiendi ex parte gubernantis, & debitum obediendi ex parte gubernãdorum. Sed Christus vt Homo nullam habuit politicam iurisdictionem in Principes terræ, cæteroſque Homines ex Patre. Ergo nullum ius habuit in dominium Vniuersi ex vi donationis paternę. Maior est certa: minor verò probatur ex illo Ioannis; (c) *Non enim misit Deus filium suum in Mundum, vt iudicet Mundum, sed vt saluetur Mundus per ipsum.* Ergo, &c.

162 Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dico, quod potestatem politicã regiam habuit Christus à Patre, hoc ipso, quod decreta fuit Incarnatio, exigente dignitate Personę assumentis, vt natura sibi hypostaticè vnita, & quam personabat, regia politica potestate

super

(a) *Act. Apost. c. 3. num. 14.* (b) *Epist. ad Corinth. 1. num. 8.*
(c) *Cap. 3.*

Digitized by Google

super omnes Personas totius Vniuersi, esset ditata: & per hoc Christus dixit: *(a) Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra.* Et ideo *Princeps Regum terræ*, vocatus fuit. Ad illud allatū Ioannis, *(b)* dico: Ex ipso solum ostendi, filiū principalem, per quem missus fuit Christus, non fuisse vt iudicet mundum, sed vt saluetur mūdus per ipsum. At per hoc potestas regia politica ab ipso minimè tollitur, licet eam nūquam in terris exercere voluerit. Sed.

163 Contra. Si Christus Rex temporalis totius mundi fuisset, hanc suam regiam potestatem Summo Pontifici eius Vicario in terris delegasset. Sed Summus Pontifex hanc potestatem non habet. Ergo neque Christus habuit eam in terris.

164 Respondetur. Quod vt communiter Doctores, & etiam Theologi docent, Christus omnem potestatem, quam habuit, Summo Pontifici eius Vicario, neq; in spiritualibus, neque in temporalibus dedit. Et ideò ex allato argumento nō benè infertur; Ergo neque Christus talem regiam potestatem temporalem totius mūdi habuit. Nihilominus circa hanc difficultatem, quænam scilicet potestas Summo Pontifici, vtpotè suo in terris Vicario per Christum concessa, fuerit, quam plurima diximus in prima parte dogmatica, per totam eius vltimam quæstionem, vt videri, & legi potest.

CAPVT VLTIMVM.

Aduersarij iterum conantur probare, Christum minimè habuisse dominium proprietatis in omnia regna mundi, eiusque res singulares.

165 CVm scelestissimis hæresum Auctoribus, qui hinc reiecti sic illic insurgunt, iterum rem habemus, & tali medio. In Christo fuit summa paupertas; sed summa paupertas priuat hominem dominio proprietatis. Ergo Christus nullum dominium proprietatis in regna mundi habuit, aut in eius res singulares. 166

(a) *Matth. c. vlt.* (b) *Apocal. c.*

Digitized by Google

166 Respondetur cum Zagaglia Bachonij Discipulo, distinguendo maiorem. In Christo fuit summa paupertas vniuoca cum paupertate nostra. nego Maiorem. Nobiliori,& excellẽtiori modo,cõcedo. Sed sũma paupertas priuat hominem omni dominio proprietatis,iterum distinguo minorem. Summa paupertas nostra, vt sũma paupertas est, concedo ; Summa paupertas nobilis, & excellens, nego. Ergo Christus nullum habuit dominium proprietatis, nego consequentiam. Nam vt benè Lumberius noster notat, hoc in Christo est mirabile, quod cum esset diues, iuxta Paulũ Apostolum. (a) *Propter nos egenus factus est; vt illius inopia nos diuites essemus.* Etenim non solum vsum, & exercitiũ, sed etiam ius, & dominium vtile abdicauit: Propter hoc factus est Dominus omnium, coniungendo in se simul cum dominio directo ; quid quid boni est in paupertate. Sed

167 Contra. Si Christus dominium singularum rerum omnium habet, sequitur nos toties contra iustitiam peccare, & furtum committere respectu Christi ; quoties rebus nostris,contra eius voluntatẽ vtimur; quia peccaremus cõtra ius dominij Christi,sed hoc est falsum. Ergo,&c.

168 Respondetur, negãdo sequelam maioris. Nam sicut Dominus vtilis fructus vineæ,quæ Domini directi de iure est, destruendo, contra iustitiam non peccat, ita, & nos rebus nostris, quas possidemus vtendo, vel illas destruendo, contra iustitiam non peccamus; quamquam contra voluntatem Christi sit,ipse enim quo ad nos iuri suo cessit, nobis ius rebus nostris vtendi concedendo, easque pro libito nostro, absque violatione iustitiæ destruendi; reseruato tamen sibi pro destructione altioris ordinis iure, vel pro contrario talis rei vsu. Si autem Christus aliqua bona particularia non tantum cum dominio directo radicali in actu primo, sed etiam cũ dominio vtili sibi reseruasset: tunc ea destruendo, contra iustitiam mortaliter peccare-

mus,

(a) *Epist. 2. ad Corinth. cap. 8.*

Digitized by Google

mus, quia inuito Christo similia bona nobis vsurpare-mus. Exemplum de Iuda, qui in Euangelio meritò vocatur fur, & latro, quia ea, quæ Christi, & Apostolorum erāt, ipsis inuitis, sibi applicabat. Sed

169 Contra. Si ita esset, sequeretur, quod cæteri Principes, Domini, & Reges terræ legitimi Domini non essent, sed à Natiuitate Christi etiam nunc Tyranni, saltem ipsius Christi Vicarij; sed hoc non est dicendum; Ergo neque quod Christus super omnia regna mundi dominium proprietatis habuerit.

170 Respondetur negando sequelam maioris, quo ad alteram partem, quod Principes essent Tyranni; circa verò, quod ipsi saltem essent Christi Vicarij, distinguo. Essent Vicarij ab ipso Christo designati, nego. Essent Vicarij ab eodem permissi, eo quod cum potuerit Christus illos dominio priuare, eos regnare permisit, concedo. Ita enim loquitur (a) *D. Thomas*, asserens Augustum Cæsarem fuisse à Natiuitate Christi eius Vicarium, nempè non impeditum, sed non designatum; Etenim potuerat ipse à Christo, tanquam Domino totius mundi impediri, sicut Orlandus, & Lumberius nostri docent.

QVÆSTIO III.

De his, quæ tam aduersus solius Petri in Christi Vicariū institutionem; quam in hæreditariam Successorum eiusdem permanentiam, ab Hæreticis obijciuntur.

PROLOQVIVM

SAtis superque, in prima, & secunda huius nostri operis quæstione insanientes Aduersarios de Summo Christi Sacerdotio, eiusque vti totius Ecclesiæ caput principatu pessimè sentientes, eliminauimus: tertia nunc nobis quæstio, ad tutandam solius Petri in Christi Vicarium, siue Summum Pontificem institutionem, Successorum eiusdē hæreditariam permanentiam, chronotaxim &c. nobis tra-

ctan-

(a) *Lib. 1. de regim. Princip. c. 23.*

Digitized by Google

standa est, quam sic Deo auxiliante suscipimus.

CAPVT I.

Hæretici blasphemando asserunt, Christi Vicarium pro regula animata, & certa fidei, à Christo in terris institutum, tanquam caput visibile omnium fidelium, non esse Romanum Pontificem.

171 AD certissimam illam veritatē firmandam, nimirum Christū aliquem Vicarium in terris tanquam omnium fidelium visibile caput reliquisse, hac ratione vsi fuimus. Quod cum nemo sit, qui suo ingenio res fidei assequi possit, alicui regulæ, per quam res ipsæ proponantur, opus est illi; alias nec Deus sufficienter suæ Ecclesiæ prouidisset, nec infidelitas hominibus imputari posset. Item talem regulam certam, & visibilem esse debere diximus, ac proinde Romanum Pontificem in terris à Christo eius Vicarium iam institutum fuisse; sequentibus tamen hanc veritatem catholicam Hæretici Protestantes impugnant.

172 Talis visibilis regula fidei animata certissima, & minimè fallax esse debet, nè Christi fideles in errorem aliquem inducat. Sed Homo est fallax, iuxta illud Psalmi 115. *Omnis Homo mendax.* Ergo Romanus Pontifex non fuit à Christo pro regula animata institutus.

173 Respondetur distinguendo minorem. Omnis Homo est fallax, nempè, Homo assistentia, & inspiratione spiritus denudatus, cōcedo. Homo ex assistentia, & inspiratione Spiritus Sancti illuminatus, nego. Romanus autem Pontifex, licet sit Homo, est tamen circa res fidei à Spiritu Sancto adeò rectus, & illuminatus, vt tamquam regula animata fidei minimè erret, ne ipse errando, cæteros in errorem inducat. Sed

174 Contra. Eo modo, quo Deus permittere potest, vt Papa peccatum mortale committat; ita etiam permittere potest, vt in rebus fidei iudicandis, & proponendis errare possit. Ergo Papa non

est

Digitized by Google

est certa regula fidei, sed fallax.

175 Respondetur. Primũ bene posse Deum permittere, non autem secundum, stante Christi promissione facta Petro, eiusque Successoribus de perpetua infallibilitate in rebus fidei iudicialiter dirimẽdis, vel proponendis, quando dixit; *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.* Potest Deus absolutè permittere, non autem potest ex suppositione supra relatæ promissionis, quia alias non staret promissis; quibus si non staret, infidelis esset; *At fidelis est, & verax*: vt testatur Apostolus; Ergo, &c. Sed

176 Contra. Ex Canone *si Papa*, & ex Epistola tertia Anacleti habetur, quod Romanus Pontifex, nisi in casu hæresis, iudicari non potest; Ergo ibi supponitur, quod possit errare in fide, sicque eius iudicium in rebus fidei decernendis, aut proponẽdis, non erit certum, & infallibile, sicut regula fidei esse debet.

177 Respondetur. Canonem allegatum, & Epistolam Anacleti loqui tantum de errore personali, non vero de iudiciali. Posset enim Pontifex fieri hæreticus personaliter, negando aliquid definitũ de fide; non autem definiendo, & proponendo aliquid falsum, & contra fidem; quia in tali iudicio, & propositione, assistit ei Spiritus Sanctus, vt nullo modo errare possit.

178 Contra, inquit *Marcus Antonius* de Dominis S. Cyprianus, decreto Stephani Papæ definientis hæreticos ad Catholicam Ecclesiam reuertentes, non esse rebaptizandos, minimè acquieuit; sed potius de ipso reclamauit. Ergo Cyprianus tunc intellexit Papam errare posse.

179 Respõdetur. Cyprianum tunc erasse, dum ex priuato, & inordinato affectu, cõtradicendo Stephani ordinationi, suæ opinioni de hæreticorum rebaptizatione adhæsit: Et vt de ipso Cypriano scribit (a) *Augustinus*, peccauit quidem resistendo, non autem pertinaciter, nec peccato hæresis, aut infidelitatis, sed peccato inobedientiæ. Siquidem

(a) *lib. 1. contr. Do nat. c. 18.*

Digitized by Google

dem Stephanus non tanquam regula animata, aut Iudex fidei definierat sententiam illã de fide, vt in allato argumento falso supponitur; sed solum præceperat, vt non rebaptizẽtur hæretici, prout ipsemet Cyprianus in Epistola ad Põpæium fatetur. Tale autem Cypriani peccatum falce tyrannicæ persecutionis fuit resecatum, testatur in sua Epistola his verbis Augustinus. (a) *Ante mortem correxit errorem, & forte suppressum est ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt: & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Sed

180 Contra, idem *de Dominis* prosequitur. Si Ecclesiæ certa regula, aut Iudex controuersiarum fidei esset, ad illam omnes Episcopi, ac totius Orbis fideles pro instructione deberent habere confugium, aliqua vti talis, præuijs Theologis, & Doctoribus, iusta consulta deinde referre possent. Sed Theologis non ornatur Romana Curia, nisi certis leguleis Cauillorum in re pecuniaria, artificibus enumerandarum crumenarum peritissimis; Sacra autem Theologia ab ipsa exulat. In Papæ, Cardinaliumque aulis, diuersorium non habet. Consistorium illam neque de facie nouit, & tamen Supremum, & infallibilem fidei Magistrum Papam esse insulsissimè contendunt.

181 Sed antequam virulento scommati de Dominis occurram, ex eo quia non disputationem aggrediatur, sed maledictis in Catholicos, & Catholicam Ecclesiam sęuiat; Querendum erit primo, quisnam ipse fuerit; & vt contra eundem in initio suæ Reipublicæ scribit *Becanus*; Marcus Antonius de Dominis, Episcopatus ambitione ductus, Sanctissimo Societatis Iesu habitu relicto, Archiepiscopus Spalatrensis efficitur; ac tali honore minime satiatus, ambitioni suæ indulgens, titulumque Vniuersalis Episcopi ambiens (sicut cæteris Episcopis) his verbis ipsum tribuit. (b) *Docuimus vnumquẽque*

(a) *Epist.* 48. (b) *li.* 3. *Reipubl. c.* 8. *num.* 14

Digitized by Google

que Episcopum iure Diuino esse Vniuersalem) à fide, & Religione profugus, ex Archiepiscopo, Archiapostata factus, centuriam Lutheranam anno 1617. tunc coronauit; quando Angliam profectus, libros, non de Ecclesiastica Monarchia, vel Regno; sed *de Republica Christiana* ibi edēs, eos fœdissimis erroribus cōspurcauit. Quantum autem ad propositum nostrum attinet, vt sequentibus capitibus videbimus, à S. Petro primatum eripuit, omnesque Orbis Episcopos æquales in auctoritate Summo Pontifici fecit: propterea huiusmodi maledictis ipsum insectatus est, ad quæ.

182 Respondetur. Nugipolyloquidem de Dominis, nimis virulentè Sacrum Romanorum Theologorum Areopagum impetere, dum scribit; Theologiam ab Vrbe exilio pulsā esse. Sunt, & Eminentissimi Cardinales, Theologi eruditissimi, non tamen omnes, cum alij quoque canonum peritia præfulgeant. Vtraque enim facultas necessaria est; vt vna fidei doctrina firmetur; altera morum disciplina sanciatur. Proinde in consultationibus, quæ præsente Summo Pontifice fiunt, præter Eminentissimos Cardinales, Theologi, & Canonistæ doctissimi etiam adsunt, sua suffragia exhibentes. Ecclesiæ enim Corpus, sua membra habet, non habentia eumdem actum; non enim omnes Theologi, neque omnes Iuristæ, sed vtrorum munere, pro sui, suorumque cuitione munitur, neutrum autem otiosū. Theologi, vt Theologicalia; & dogmatica: Canonistę autem, vt Censuras, prębendas, cæteraque similia eruditè tractent. Propterea conuicia aduersus Ecclesiam ab ipso iniquo animo prolata, in ipsum resiliunt; eo quod, vt Cyprianus testatur, Hæretici hominis, (a) *perfidia contra Ecclesiam Catholicam non potest habere accessum.* Et Hieronymus Rufinum alloquens (b) *Scito*, inquit, *Romanam fidem Apostolica voce laudatam, eiusmodi præstigios non recipere.* Sed

183 Contra, subiungit

(a) *Lib. 1. Epist. 3.* (b) *Apol. 3.*

Digitized by Google

Vultak Proteſtans. Si Pontifex nõ poſſet errare in definitione rerum fidei, ſequeretur potius ſtãdũ eſſe ſententiæ, & iudicio Succeſſoris Petri, quam Ioannis, & aliorum Apoſtolorum, qui poſt Sãctum Petrum vixerunt: ſed quis non videt iudicium Ioannis pręponendum fuiſſe iudicio mille Linorum, & mille Clementum? Hunc nodum mihi ſoluant, ſequę explicent ex hoc laqueo, ſi poſſunt: at numquam poſſe certiſsimum eſt.

184 Reſpondetur. Modeſtè, modeſtè Hęretice; noli ante triumphum canere, nè tibi ſit recantandum; etenim laqueum contra nos paratum, & à te viſum inextricabilem; diu ante tui exordium à D. *Thoma*, (a) Theologorum Macedone, ita ſolutum, immò extinctum percipies; videlicet, Ioannem in immediata reuelatione ei cęlitus facta, per quam libros canonicos condidit (quia ſcriptura canonica ſecundum ſe præfertur definitioni Eccleſię) exaesſiſſe Linum Papam: quantum vero ad *poteſtatiuam* propoſitionem credendorum, ſiue deciſionem magiſterialem, inconueniens non eſt dicere *quo ad nos*, excedere auctoritatem Pontificiam; ſicut iam cap. 4. quæſt. 3. primæ partis huius operis, in Perſona Petri Apoſtoli perſpeximus, quando propria auctoritate Marci Euangeliũ approbauit, & credendum propoſuit: ad inſtar cuius cęteri Petri ſucceſſores, multas Scripturas, canonicas eſſe quo ad nos, declararunt. Non quod ex non Canonicis, canonicę factæ ſint à Pontifice, quia in ſe erant canonicæ; ſed ſolum ab his declaratum fuit, eas quo ad nos eſſe canonicas, quę ſecundum ſe canonicæ, ſeu diuinę erant. Ecce quod ſecundum illud Sesbarienſis, *Iudicia feſtinata pœnitentiam pariunt.*

CA-

(a) *Lib. contra. error. Græcor. c. 23.*

Digitized by Google

CAPVT II.

Alterum Hæreticorum deliramentum, quo asserunt, Christum in terris non Petrum dumtaxat in suum Vicarium, sed omnes Apostolos instituisse.

185 Ecclesię perduellium Coriphęũ se præstat Archiapostata *Marcus Antonius de Dominis*, eo quia, ipse omnium primus aduersus nostram Catholicam veritatẽ sic inuehitur. D. *Ambrosius*(a) in Epistola ad Romanos c. 1. & in Epistola 1. ad Corinthios c. 3. omnes Apostolos expressè vocat Christi Vicarios; Ergo Christus non solum Petrum, sed omnes Apostolos reliquit in Terris suos Vicarios. Probatur, inquit, antecedens, quia per ly *Pasce oues meas*, quod tantum Catholici iactãt, (b)*non video quomodo affirmari possit, aliquid amplius dari Petro, quam datum fuerit ceteris omnibus alijs Apostolis*. Ergo Christus non instituit solum Petrum in Terris suum Vicarium.

186 Respondetur cum Cardinali Caietano (c) *quod omnes Apostoli dicuntur Vicarij Christi, non quidem in auctoritate regiminis, sed in executione operis, vnde canit Ecclesia, quos operis tui Vicarios præesse voluisti*; scilicet vt Ecclesias fundarent, Euãgelium prædicarent, & libros canonicos conderent. Auctoritas verò regiminis soli Petro, eiusq; successoribus fuit impartita, prout ipsemet Ambrosius in Epistola 2. ad Corinthios cap. 12. testatur. *Prior sequutus Andreas Saluatorẽ, quam Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, sed Petrus*; Non ergo omnes Apostoli ex Ambrosio constituti fuerunt Christi Vicarij, sed solus Petrus. Ad eius probationem dico; per ly *pasce oues meas*, hoc amplius dari Petro, nempè Regimen ouium, ipsi solum commissum, & non cæteris alijs Apostolis. Sed

187 Contra, prosequitur Ar-

(a) *Lib. 1. de Republ. Christ. c. 4. & 5.* (b) *cap. 8. n. 6.* (c) *lib. 1. de auctor. Papæ, & Concil. 3. & 4.*

Digitized by Google

Archiapostata, (a) *Illud contendo, nullam verbo pascendi contineri potestatem, quæ non melius, & amplius contineatur in illis Christi dictis, sicut misit me Pater, & Ego mitto vos. Et illis: Euntes docete, &c.*

188 Respondetur cum P. *Fiumi* (b) negando suppositum; nam si Petro nihil datum est amplius, per illa verba; *Pasce oues meas*, quam per illa alia verba. *Sicut misit me Pater, Ego mitto vos*: & illa, *Euntes docete omnes gentes*: antea datum erat; Ergo Petrus per illud, *Pasce oues meas*, nihil noui à Christo accepit, quod per illud, *Mitto vos*, *Docete omnes gentes*, meliori, & ampliori modo non habuerit: sicque Christus erga Petrum otiosè tot cæremonijs vsus est, si mediantibus ipsis, nihil ei cõtulit speciale. Quorsum ergo illa trina interrogatio. *Simon Ioannes diligis me plus his? Simon Ioannes diligis me? & Simon Ioannes amas me?* Quorsum illa ter ouium geminata commissio? *Pasce agnos meos, pasce oues meas?* Certò sine præscripto, sine causa, sed per ludum, & otiosè hæc omnia facta essent, nisi *D. Ambrosius* contra commentum de Dominis attestasset; Christum trina illa ouium commendatione, ac amoris interrogatione, Ecclesiæ Principatum Petro contuliſſe. *Is enim interrogatur*, inquit (c) *de quo dubitatur: sed Dominus non dubitat; qui interrogabat, non vt doceret, quem eleuandus in Cœlum, sui amoris nobis, velut Vicarium relinquebat. Sic enim habet Simon Ioannes diligis me plus his? &c. & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Igitur ex Ambrosio, Christus illis verbis: *Pasce oues meas*, solum D. Petrum Generalem, siue totius Ecclesiæ suum Vicarium constituit, & declarauit, & ipsis nõ otiosè vsus est. Sicut etiam ex nostro Ioanne Maria Verrato apertè liquet; etenim asserit ipse: (d) *Christum pluribus Discipulis præsentibus, solum Petrum in solutione tributi sibi æquasse. Ita ergo eum sibi æquauit in authoritate, &*

pote-

(a) *ibid. c. 8. n. 5.* (b) *Scol. ver. to. 2. tract. 3. de Rom. Pont.* (c) *in c. 4. Luc.*
(d) *lib. contr. Lutherum disp. 9. de primatu Petr. fol. 183. & 184.*

Digitized by Google

potestate super alios. Praterea in Euangelijs, vbi describitur Apostolorum constitutio, ab omnibus Petrus, vt Caput nominatur primò; quod Hieronymus, & Chrisostomus pro eius primatu exponunt. Proinde solus Petrus super aquas maris ad Christum peruenit: signum singularis Pontificij, vt asserit Bernardus. Nota insuper, quod sicut Discipulis alijs imperatur, vt laxent retia sua, soli Petro, Lucæ cap. 5. dicitur: Duc in altum, quasi ad maiorem piscium, id est hominum multitudinem capiendam, vt inquit Ambrosius. Ergo, &c. At uero Lutherani Hæretici fortè dicent, Petrum fuisse primum, & caput omnium Apostolorum, atque credentium; Sed quod modo nunc Papa, qui sedet, & præsidet Romæ, sit Vicarius Christi, Successor Petri, & caput omniũ Sacerdotũ, ac Christifidelium, à nobis nõ conceditur. Respondetur, quod quemadmodum potestas baptizandi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quam Christus tradidit Apostolis, abnegata non est posterioribus; Ita plenitudo potestatis data Petro, eius successoribus commissa est. Nullus antea inueniri potest, qui verè, & legitimè eius successor appellari possit, nisi ille Summus Pontifex, qui à toto Cardinalium Collegio eligitur; Ergo, &c. Nã quod Christus dixit Apostolis, etiam successoribus eorũ dixit, vt ipse testatur, dicens: Quod vobis dico, omnibus dico. *Ergo, &c. Et in huius rei figura Deus postquam ostendit similitudinem Tabernaculi, & vasorum collocandorum per Aaron, & Filios eius, demum dixit Exod. 27. & 28.* Perpetuus erit cultus p successiones eorum coram filijs Israel: *Imponens eis mitras ait*: Eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua. *Item*: Legitimum sempiternum erit ipsi, & semini eius, *Ergo, &c.* Sed

189 Contra, *Archiapostata* immediatè subiũgit, asserens verbis illis *Pasce oues*, Nihil otiosè, aut per ludum factum esse, nec Petrum Vicarium extitisse, sed multa mysteria in ipsis contineri; Quorũ (a) *primum Misterium*, inquit, *est Vnitatis Collegij Apostolici*, nè

(a) *ibidem sup. cap. 8.*

Digitized by Google

nè ipsum Collegium dissolueretur. Cum enim Petrus solus ex duodecim Apostolis negasset Christum expressè; poterant reliqui meritò illum excludere, vitare, obijcere, & consequenter dissoluere vnitatem illam Collegij Apostolici. Ne autem hoc succederet, dictum est Petro, *Pasce oues meas*, idest mane Petre in Collegio Apostolico: non autem per ipsa verba constitutus est totius orbis Christi Vicarius.

190 Respondetur, tale mysterium à *Marco Antonio* somniatum, non modo scripturæ testimonio carere, sed etiam cum antiquis Patribus, & scriptura ipsa apertè pugnare; eo quod per ly, *pasce oues meas*, Potestas, & auctoritas regitiua soli Petro collata, vt ex Ambrosio vidimus, significatur.

191 Secũdum Archiapostatæ mysterium, hoc est; (a) videlicet ideo *Soli Petro dictũ est à Christo, Pasce oues meas, quia tunc Petrus erat figura, & repræsentabat omnes Ecclesiæ Prælatos, & vt omnium Procurator generalis, omnium nomine curam pastoralem accepit.*

192 Respondetur, táli secundo suo commento apertè Marcum Antonium delirare, nec sui meminere, quod antea dixerat; nempè, ideo Christum coram Apostolis dixisse Petro, *Pasce oues meas*; ne Petrus, qui ter illum negauerat, tanquam manifestæ negationis reus, è Collegio excluderetur ab Apostolis. Nunc asserit, quod per ly, *Pasce oues meas*, Christus Petro, tanquam Procuratori generali omnium Prælatorum, curam ipsorum pastoralem impartiuit. Hæc duo enim valde diuersa sunt; Petro reo, *Pasce oues meas*, & Petro Procuratori generali, *Pasce oues meas*. Quomodocumque sit, transeat; ad ly *Pasce oues meas*, deueniamus. Vel his verbis, Petrus constitutus fuit Procurator generalis omnium Prælatorum absolutè, includendo etiam Apostolos, vel omnium, exceptis Apostolis. Si primum, ergo Apostoli non per se acceperunt à Christo curam Pastoralem, sed mediante eorum Pro-

(a) *Ibid. num. 9.*

Digitized by Google

Procuratore Generali Petro, quod ab ipsomet de Dominis, *lib.4. suæ Reipublicæ c.8.n.* 5. negatur. Si secundum, ergo soli Petro præ ceteris Apostolis fuit à Christo aliqua specialis auctoritas impartita, quod etiam ab ipso, vt supra in primo argumento vidimus, negatur, dum his verbis asserit: *Neque video, quomodo affirmari possit, amplius aliquid dari Petro, quam datum fuerit cæteris omnibus illis*. Sed ex isto pergamus ad aliud.

193 Tertium Archiapostatæ delirium; *Dici potest*, inquit, *Christum Petro singulariter dicere: Pasce oues meas, hoc est Israelitas, qui tunc erãt Christi oues*, iuxta illud Matthæi 15. *Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Sicque à Christo curã tantum Pastoralem Iudæorũ Petro fuisse collatam, quando ei dixit, Pasce oues. Sed

194 Respondetur. Ab omnibus istam derideri Archiapostatæ petulãtiam, dum pro mysterio fabulam Lectori propinat; etenim contra ipsam stat Sacra Scriptura, præsertim illud Ioannis 10. vbi Christus dixit. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus Pastor*: quod de Gentilibus aperte intelligitur, iuxta illud Isaiæ. (a) *Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsque ad extremum Terræ*. Et alibi (b) *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Et Act. Apostolor. (c) *Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerũt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: Sed quoniam indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum Terræ.* Quem locum sic exponit noster Sylueira. (d) *In lucem gentium: Syriacus, in lucem inter Gentes. Et addidit, vt sis in salutẽ. Æthiopicus ait, vt sis ijs vita eorum: qui est Christus Dominus, salus, vita, & lux nostra; cuius*

Tt mor-

(a) *cap.* 49. (b) *cap.* 9. (c) *cap.* 13. (d) *Act. Apostol. c.* 13. *ver.* 4. *reg.* 11 *num.* 80.

Digitized by Google

morte sublata est diuisio Iudæorum, & Gentium, & ex vtrisque factum est vnum ouile, & vnus Pastor; vt notant D. Chrysostomus, D. Hieronymus, D. Paschasius, Euthymius, D. Thomas, & alij communiter: *gratia Christi diffusa est in omnes Gentes.* Fauet huic doctrinæ, tum illud Matthæi: *Euntes in Mundum vniuersũ prædicate Euangelium omni Creaturæ.* Tum ipsemet Archiapostata, dum in suo libro citato sic asserit. (a) *Facile consentio sub verbo: Oues, fideles omnes indefinitè totius Mũdi intelligi.* Cur ergo sup. dixit, quod Petrus ad solas Oues Israelitas, per ly *pasce oues meas*, fuit à Christo Pastor destinatus? Ecce quot laqueis tãquam fatuus se implicat infamis ipse Archiapostata; ad cuius probationem supra allatam, *non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*, sic respondet Augustinus: (b) *Christum esse missum, vt suam præsentiam corporalem, prædicationem, & miracula solis Iudæis exhiberet; Nam illis solis propter fidem Abrahæ facta est promissio de Aduentu Messiæ.* Erat tamen etiam missus ad Gentiles, *vt eos suo pretioso sanguine redimeret, & per Apostolos, Apostolicosque pręcones, ad suum Ecclesiæ Ouile perduceret*; *Vnde Doctor gentium ait, non enim est distinctio Iudæi, & Græci, nam idem Dominus omnium.* Sed

195 Foro cedite, *Caluino* ex Genouensi Cauponia prosilienti, date iter in deuicti Archiapostatæ auxilium debacchanti. Per ly *pasce oues meas*, nihil peculiare præ, & super cęteros Apostolos concessum fuisse soli Petro, sed omnes Apostolos ęqualem prędicandi Euangelium, potestatem habuisse, quemadmodum in sua Epistola ipsemet Petrus testatur: (c) *Pascite, qui in vobis est gregem Dei*, alios vt suum gregem pascant hortatur; Ergo suum gregem vnusquisque habet. Verba Caluini sic referam. (d) *At qui*, inquit, *vt mandatum Petrus à Domino acceperat, ita om-*

(a) *cap. 8. num. 5.* (b) *tract. 13. in Ioan. circ. finem* (c) *Epist. 2. c. 5.* (d) *lib. 4. instit. c. 6. §. 17.*

Digitized by Google

omnes alios Præsbyteros hortatur, ut pascant Ecclesiam. Hinc colligere licet, aut illa Christi uoce, nihil præ alijs datum esse Petro, aut Petrum ius quod acceperat, ex æquo cum alijs communicasse. Sed

196 Respondetur. Caluinum vino adhuc madentē, paritatem potestatis inter Petrum, & Episcopos, siue Præsbyteros, ex allatis verbis Apostoli Petri perperam deduxisse. *Pascite* enim ait Petrus, *gregem, qui in vobis est*, nempè, gregem nostrum particularem, qui est in vestra parecia, & Diœcesi; non dixit *Pascite gregem Vniuersalem*; Eo quod Præsbyteri in propria Parochia, Episcopi in propria Diœcesi, oues tantum sibi commissas pascunt; Petrus verò audiuit à Christo indefinitè *pasce oues meas*, nō has, vel illas, sed omnes Oues, sicut D. Bernardus fatetur. (a) *Cui enim, non dico Episcoporū, sed etiam Apostolorum, sic absolutè, & indiscretè totæ commissæ sunt Oues? Si me amas Petre, pasce oues meas; quas? illius, vel illius Populi, Ciuitatis, aut regionis, aut certi Regni. Oues meas inquit, cui non planum non designare aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipit, vbi distinguitur nihil.* Ex quibus verbis Caluini temulentia satis ostenditur, dum ex verbis Epistolę D. Petri colligit, nihil tali loco Petro, quod æque cum cæteris non communicauerit, esse collatum: quando ex nostris allegatis responsionibus abundè constat: Christi ouium, vnicū esse Pastorem; sicut etiam Cyprianus scribit. (b) *Idcirco*, ait, *Dominus intimans nobis vnitatem de diuina auctoritate venientem dicit. Ego, & Pater vnum sumus: ad quam vnitatem redigēs Ecclesiam suam, denuò dicit, & erit vnus grex, & vnus Pastor.* Ac etiam noster Verratus contra Lutherū multiplici ratione probat *Primò enim* (inquit) (c) *sumam fundamentum in veteri Testamento. Quoniam in omni lege, tam naturæ, quā Moysis fuerūt Sacerdotes, quorum vnus semper tenuit principatum; Ergo à*

(a) *lib. 2. de consid. cap. 9.* (b) *lib. 1. Epist. 6.* (c) *Disput. 9. de primatu Petri. fol. 173. & seq.*

Digitized by Google

pari ratione, in lege Christi, & gratiæ, in qua omnes veteris Testamenti explicantur figuræ, debent reperiri Sacerdotes, quorum vnus sit caput, & Princeps. Consequentia liquet: dicente Apostolo: Omnia in figuris contingebant illis. *Igitur omnes Sacerdotes antiqui erant vmbra, & figura istorum Sacerdotum Christi. Ergo quemadmodum in veteri lege erat vnus primus Sacerdos institutus à Deo, & alij inferiores; ita nunc à simili reperiri debet vnus omnium Sacerdotum primus, à Christo institutus.* Rursus: *in veteri lege etiam, non solum reperiuntur fuisse plures Principes Sacerdotum, diuisi per Familias, vt patet in Paralipom. sed etiam reperitur Princeps Principum; etenim in Numeris habetur, quod Eleazar erat constitutus Princeps Principum Leuitarum, ad custodiendum omnes custodias Sanctorum; super cunctos autem erat Aaron, cui omnes Leuitæ dati erant ad seruiendum: vnde vocatus est Pontifex; Ergo ita etiam in lege Gratiæ.*

CAPVT III.

Pontificiam potestatem æqualiter inter Petrum, & Paulum diuisam, nõ autem vni Petro traditam, insulsè autumant Catholicæ fidei Hostes.

197 DIlectissimam Christi Iesu Sponsam, Dei Ecclesiam, vndequaque, vt Spiritus Sanctus ait, formosam. *Tota pulchra es Amica mea:* Quicumque eius infensissimi sunt Perduelles, illam fœdare, & monstruosam ostendere conantur; vnitatem ab ea auferendo: sentientes nimirum, Petrum vna simul cum Paulo Romanum Pontificem extitisse, & bicipitem ipsam Ecclesiam esse. Cauillosa autem argumenta, quibus incumbentes, ipsius Vnitatem corrumpũt, sunt quæ sequuntur.

198 Quemadmodum Petrus per illa verba *Pasce Oues meas*, Summus totius gregis sui Pastor ordinatus fuit à Christo; ita & Paulus per

Digitized by Google

per illa verba, (a) *Segregate mihi Saulum*, & Barnabam ad opus, quo assumpsi eos: Tunc imponentes illis manus, dimiserunt eos. Ergo Paulus, vna cum Petro Summus Pontifex fuit.

199 Respondetur negãdo paritatem, & ratio disparitatis est, quia Petrus, vt probauimus, in Summum Pontificem, siue Pastorem totius gregis sui ordinatus fuit à Christo. At Paulus nõ à Christo, neque ab Apostolis, sed ab alijs Discipulis; nempè Nigro, Cyrenensi, & Manaen fuit ordinatus Episcopus, *quando manus illi imposuerũt*; nec totius Christi gregis, aut Romæ, vel alicuius loci; sed *Sedis indeterminatæ*, scribit Damianus & testatur Isidor. his verbis. (b) *Paulo cũ cæteris Apostolis nulla propria Sors traditur, eoquod in omnibus Magister, & Prædicator eligitur.* Cui (c) *Ceffeteau* Episcopus Massilienſis, contra Marcum Antonium de Dominis sic adstipulatur. *Paulum vtpotè gentium Apostolum diuinitus constitutum, nulli certo loco fuisse adstrictum.* Ergo Paulus simul cum Petro Summus Pontifex non fuit, & eo magis, quod nõ nisi post nouem annos, fuerit ordinatus Episcopus; vt *Baronius* ad annum Christi 44. testatur. Sed

200 Contra. Paulus fuit à Christo institutus Episcopus, sicut ipsemet ad Galatas *c.* 2. ita de se loquitur. *Creditum est mihi Euangelium præputij, sicut, & Petro Circumcisionis.* Ergo Paulus simul cum Petro Summus Pontifex fuit.

201 Respondetur. Euangelium pręputij, non modo Paulo, sed etiam Barnabæ creditum est, vnde Paulus Barnabam suum Collegam in eo Ministerio appellat; sicut Leo Nonus in sua Epistola ad Michaelem Imperatorem scribit; Ergo Paulus simul cum Petro Summus Pontifex non fuit. Ex verbis autem supradictis nihil aliud Paulus significare voluit, nisi munus Prædicationis se cum Petro fuisse partitum, sicut D. Chrysostomus in Epistola ad Galatas, ita testa-

(a) *Act. c.* 13 (b) *lib. de ortu, & interit. SS. Patrum.* (c) *tom.* 2. *lib.* 4 *c.* 1. *n.* 8. & 11.

Digitized by Google

statur. *Quid tandem*, inquit, (a) *in hoc dicit Paulus? in prædicandi, ait, munere, partiti sumus inter nos, orbem terrarum.* Vbi ergo, prout Aduersarius insurrat Pontificia auctoritas est.

202 Sed prosequitur Impugnator; Paulus scribendo ad Romanos, ait: (b) *desidero videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ Spiritualis ad confirmandum vos.* Ergo fidei aliquid Paulus Romanis, quod à Petro non acceperant, tribuit; ac proinde simul cum Petro Romanus Pōtifex extitit.

203 Respondetur, negādo consequentiam; etenim rationem negationis, S. Hieronymus in annotationibus Epistolę ad Galatas super eodem verbo, sic adducit. *Romanos Petri prædicatione fidem tenentes, confirmare se velle Paulus dicit, non quod minus accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis testantibus, atque Doctoribus, eorum fides roboretur.* Sed

204 Contra. S. Epiphanius scribit, (c) *quod Romæ primi omnium Petrus, & Paulus Apostoli pariter, & Episcopi fuerūt.* Ergo Paulus simul cum Petro Romanus Pontifex fuit.

205 Respondetur primo, Hæreticos, verba D. Epiphanij vafrè ad eorum sensum detorquere, eo quod omnium proborum Catholicorum cōsensus ita est; S. Epiphanium nequaquam in animo habuisse asserere; Paulum vrbis Romæ simul cum Petro Episcopum fuisse, cum Romanus Episcopatus semper manserit apud Beat. Petrum; Sed vt testatur Binarius (d) *quod in fundanda Ecclesia Romana Paulus cum Petro simul laborauerit, non tamen illius Episcopus extitit, neque Roma duos Episcopos simul habuit, sed vnum Petrum dumtaxat.*

206 Respondetur secundo cum Illustrissimo Cæffeteau, Massilienſi Episcopo, supracitato; Quod quando Paulus à quibusdam Scriptoribus Episcopus Romanus inducitur, referēdum est; ad functiones Episcopales, quas ipsimet Paulo vbique licuit obire, nō autem ad Cathedræ erectionem

(a) *cap. 2.* (b) *Epist. 1.* (c) *hæresi 27. c. 26.* (d) *lib. 2. c. 4. & 7.*

Digitized by Google

nem, quam vni Petro acceptã refert Ecclesia Romana. Et ita intelligendus est Epiphanius, qui ad munera Episcopalia respexit, cum eum minime lateret, fundamenta Romani Episcopatus propriè spectati, vnum Petrum iecisse: & eo magis, quod hoc etiam in Ioãne Euangelista contigisse, *Photius* in Bibliotheca apud Dianam, manifestè scribat. (a) *Ab exilio*, inquit, *Ioannes reuocatus, Ephesinæ præfuit Sedi, & per se cum septem Episcopis, Ephesinam Diœcesim rexit.* Nõ quod omnes ipsi Ephesini Episcopi essent, cum Ephesinus Episcopus solus Ioannes extiterit, sed quia soli Ioanni, in regenda Ephesina Ecclesia auxilium præstabant; Sed

207 Contra. Paulus alloquẽs Ephesios, ait: *attendite vobis, & vniuerso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ergo plures Episcopi erant vnius Ecclesiæ Ephesinæ, & ita Paulus cum Petro vnius Ecclesiæ Romanæ.

208 Respondetur distinguendo consequens: Vnius Ecclesiæ monarchicæ, & vnicæ esse possunt plures Episcopi, nego. Vnius Ecclesiæ misticæ, non tanquam caput, sed mẽbra, partesque ipsius, possunt esse plures Episcopi, siue iuxta antiquam modum loquendi, plures Sacerdotes, cõcedo. Etenim *Sensus Ecclesiæ*, inquit Raynaudus, (b) *Semper tulit eã Capitũ eiusdem particularis Ecclesiæ multitudinem, esse à Christi mente alienam; ita enim Spiritus Sanctus eos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, vt quisque suam sibi sedem, absque consorte consentaneæ ad Christi institutionem haberet.* Illud autem Pauli, *in quo Vos Spiritus Sãctus posuit Episcopos*, sic intelligitur ly *Vos*, nẽpe Episcopum, Presbyteros, cæterosque ministros, qui rationem muneris sub Episcoporum nomine comprehensi estis; non vero, quod vnius Ecclesię Ephesinæ, plures fuerint Episcopi: quia vt super eumdem locum Beda Venerabilis inquit. (c) *Non enim vnæ*

Ciui-

(a) *lib. 1. Solij Petri sect. 3.* (b) *tract. contr. Eccles. bicipit. punct. 3.* (c) *tom. 2.*

Digitized by Google

Ciuitas plures Episcopos habere potuit, sed eosdem Presbyteros, vt vere Sacerdotes sub nomine Episcoporum significet. Adstipulatur huic veritati etiam noster Vualdensis, ita scribēs. (a) *Beatus quoque Paulus cōuocauit in Miletū omnes Præsbyteros Ephesi, quos ipse Act. XX. etiam ibi reuerendo nomine appellauit Episcopos. Vnde super hoc loco vocauit maiores natu Ecclesiæ*. Propterea subiunxit Paulus; *regere Ecclesiā Dei*: nempe Ecclesiam Ephesinam, ad cuius maiores natu, videlicet Sacerdotes, Senes, & Principes Paulus tunc loquebatur, vt testatur Syriacus apud nostrum (b) *Sylueiram* Quia autē ipsa vna erat, vnicum per consequens, tamquā proprium Pastorem, habebat Episcopum; licet Præsbyteri, & cæteri alij ministri à Paulo vocati fuerint Episcopi, Vos Episcopos, quia super munus sibi ipsis commissum inuigilare debebant, sicut nomen Episcopi indicat; scilicet, à vigilia ita nuncupatum, cum vigiles in eorum munere Episcopi esse debeant, vt testatur supracitatus noster Sylueira. Sed

209 Contra. Paulus in Epistola ad Galatas, ita eis scribit. (c) *Cum autem uenisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti: quia reprehensibilis erat*. Ergo Paulus, non modo æqualem, sed etiam Superiorem Petro se præbet.

210 Respondetur negando cōsequentiam. Non enim Paulus, quia legitimus reprehensor, ideo Petro par, aut Superior; sicut nec Petrus desinit esse maior, quia Paulum humiliter sustinuit; sed suam maioritatem potius cū humilitate coniunxit, sicut ad Quintum S. Cyprianus scribit (d) *Nec Petrus*, inquit, *quem proximum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiā suam, cum secum Paulus de Circumcisione disceptaret; vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit: vt diceret se Primatum tenere, & obtemperari à nouellis, & posteris*

(a) *tom. 1. lib. 2. ar. 2. c. 27. n. 3.* (b) *Act. Apost. cap. 20. expos. 4.* (c) *cap. 2.* (d) *Epist. de Hæreticis baptizandis.*

Digitized by Google

steris sibi potius oportere. Nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius Persequutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quam Paulus vindicabat, cõsensit; documẽtum nobis & cõcordiæ, & patiẽtiæ tribuẽs, vt nõ pertinaciter nostra amemus. Sed quæ aliquando à fratribus, & Collegis nostris vtiliter, & salubriter suggeruntur si sint vera, & legitima, ipsa potius nostra ducamus. Ita etiam D. Gregorius, supracitatum Petri locũ ad Galatas, egregiè ad nostrũ intentum est commentatus. (a) *Primus Apostolorum cum multa Discipulos admoneret, atque à quibusdã detrahi Pauli scripta agnosceret, dixit. Sicut Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam perditionẽ. Ecce Paulus in Epiſtolis ſuis ſcripſit Petrum reprehenſibilem: & ecce Petrus in epiſtolis ſuis aſſerit, Paulum in his, quæ ſcripſit admirandum. Certè enim niſi Petrus Epiſtolas Pauli legiſſet, non laudaſſet. Penſate ergo, in quo mentis vertice ſtetit, qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilem inuenit. Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit? Quæ quies animi, quæ ſoliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minori ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriã reuocat, quod primus in Apoſtolatum vocatus eſt: non quod Claues Regni Cœleſtis acceperit: non quod peccata, quæcunque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in Cœlo, nõ quod in mari pedibus ambulauerit; non quod paralyticos in Ieſu nomine iubendo erexerat: non quod ægros corporis ſui vmbra ſanauerat: non quod mentientes verbo occiderat: non quod mortuos oratione ſuſcitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia bona, quæ acceperat, quaſi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret, & qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet etiam primus in humi-*

Vu lita-

(a) Tom. 2. hom. il. hom. il. 18. *ſuper Ezechielem.*

Digitized by Google

litate, Hæc Gregorius.

CAPVT IV.

Pleraque Hæreticorum cauillationes, Romanum Pontificẽ Petri legitimum Succeſſorẽ nõ eſſe, nec eius poteſtatem Cœleſtẽ de iure diuino, diluuntur.

211 DAmnatorum hominum Caput, & Diaboli primogenitus filius *Lutherus* odio iniquo in legitimam Romani Pontificis ſucceſſionem ſuffuſus, ſic verum Petri hæredem inceſſit. (a) *Nullo modo probari poteſt, quod Sedes Petri ſit ita Romę collata, vt quicunque fuerit illius Vrbis Epiſcopus, orbi vniuerſo deindè præſideat.* Ergo cum id euinci non poſſit, nullo modo Romanus Epiſcopus erit legitimus Petri ſucceſſor. Probat *Lutherus* antecedens; Talis prætenſa poteſtas, vel eſt annexa Pontificatui Romano ex præcepto, & inſtitutione Chriſti, vel ex ſola voluntate Petri, vel ex eo præcisè, quod in illa Ciuitate, & Epiſcopatu mortuus ſit. Non poteſt dici primum, quia hæc Chriſti inſtitutio non extat in ſcriptura, nec habetur ex traditione. Non ſecundum; quia Petrus, ſecluſa voluntate diuina, de qua non conſtat; non habuit maiorem poteſtatem, quã modo habent eius ſucceſſores; Ergo ſi Petrus potuit ſuam poteſtatem vnire Eccleſiæ Romanæ, poſſet Romanus Pontifex eamdem ab ea ſeparare, & alteri Eccleſiæ vnire, quod non eſt admittendum, eſto non eſſet aliqua lex in contrarium. Nec tandem poteſt dici tertiũ, quia nulla ſufficiens ratio poteſt aſſignari, cur ex morte Petri, Epiſcopatus Romanus talẽ poteſtatem acquiſierit; aut quia fuit Epiſcopus Romanus, cum prius Petrus fuerit Epiſcopus Antiochenus, nec qui in hoc Epiſcopatu ſuccedit, ſuccedit Petro in iurisdictione. Ergo nullo iure Pontifex Romanus ſuccedit Petro in primatu.

212 Reſpondetur, negãdo antecedens; ad cuius primam probationem dicimus, Supremam Chriſti Vicarij poteſtatẽ vnitam eſſe Epiſcopatui Romano ex præcepto Chriſti, Petrum

(a) *Lib. de poteſt. Papæ.*

Digitized by Google

trum Apostolum Romæ mittētis, sicut *S. Marcellus Papa*, *D. Ambrosius*, *Athanasius* in 1. parte huius operis citati, optimè scribunt; & Innocentius III. sic etiam fatetur: *(a) locus, quem elegit Dominus, Apostolica Sedes esse dignoscitur*: ac patet etiam *in cap. rogamus* 24. *quæst.* 1. *cap. Sacrosancta* 22. Quinimmo ipsemet Petrus Apostolus sic manifestè refert, *Audite*, inquit, *fratres, & conserui mei, quoniã sicut edoctus sum ab eo, qui me misit, Domino, & Magistro meo Iesu Christo, dies mortis meæ instat. Clementem hunc, Episcopum vobis ordino, cui soli meæ prædicationis, & doctrinæ cathedram trado. . . ac etiam trado, traditam mihi à Deo potestatem ligandi, atque soluendi &c.* Ita *(b) Clemens* testis oculatus in Epistola ad Iacobum. Et quamuis hoc nõ sit ex verbo Dei scripto; ex traditione tamen Apostolica habetur. Hinc est secundo, quod è Roma contra Domini iussum aliò transferri non potest, sicut ex textu supradicti *cap. rogamus*, apertè colligitur, *iubente Domino Romam translata*, Abb. *in cap. per Venerabilẽ nu.* 28. alijque multi. Ad tertiam verò; Successio triplex est, renunciationis, mortis ciuilis, nẽpè priuationis, & mortis naturalis. Apostolus autẽ Petrus viuens, Antiochenam Ecclesiam rexit, sed ex Dei præcepto relicta, Euodium in eius Episcopum elegit, & ad erectionem Cathedræ Romanæ, deinde ex Dei mandato se contulit, eamque non modò erexit, & rexit; verum & iuxta Dei præceptũ cum potestate ligandi, atque soluendi, videlicet cum Summo Pontificatu vniuit, & ita vnitam morti proximus, successori suo eam tradidit, videlicet Episcopatum Romanum, *meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram*; ac Summum, Pontificatum: trado etiam, *traditam mihi à Deo potestatem ligandi, atque soluendi, &c.* & ob hanc rem Gregorius ait. *(c) Ipse sublimauit sedẽ, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.* In eam igitur post Petri mortẽ,

(a) *In cap. per venerab.* (b) *In princip. lib. Decretal.* (c) *Lib. 6. epist. 37. ad Eulogium.*

Digitized by Google

Pontifex Romanus succedere debuit; *Certè iste ipse Pastor Ecclesiæ, ad cuius Sacratissimum Corpus sedemus*, inquit supracit. Gregorius: (a) non autem Episcopus Antiochenus, cum talem Episcopatum solum Apostolus Euodiæ tradiderit, non verò potestatē ligandi, atque soluendi; quam penès se semper retinuit, & nō nisi in articulo mortis, simul cū Episcopatu Romano Successori suo, nempè Pontifici Romano tradidit; in quā post mortem Petri legitimè ipse successit. Et hęc causa est, cur Concilium Nicenum non primum, aut secundum, sed tertium Patriarcham, Episcopum Antiochenum declarauit. Fauent huic veritati tum Concil. Nicenū 1. tū Florētinū. *Veneramur*, inqt Nicenū, (b) *secundum scripturas, & Canonum definitiones, Sanctissimū Romanæ, antiquæque Ecclesiæ Episcopum, vt primum, & maximum omnium Episcoporum. Vt autem cunctis ditionis suæ nationibus imperat Patriarcha, & leges inducit, & vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesijs, cæterisque ad Christum rebus pertinentibus præfectus Principum Christianorum, Prouinciarum, & omniū Gentium Dominus, & rector erat, ait ille ouiū principatus Romæ est, Petro similis, & auctoritate per Patriarchārū omnium Dominatum, & principatum obtinet. Huic sanctioni si quis repugnauerit, & obsistere ausus fuerit, totius Synodi decreto, anathemati subijciatur.* Florentinū verò huic Causæ ita silentium imponit (c) *Definimus Sanctā Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verū Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorū Patrem, ac Doctorem existere, & ipsi in B. Petro, pascendi, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum gestis Oecumenicorum Conciliorum*

(a) *Homil. 30. in Euangel.* (b) *Canon. 39. ex Arabicis.* (c) *Sess. vltim. Synod. non longè à principio.*

Digitized by Google

rum in Sacris Canonibus continetur. Cætera autem Lutheri sophismata inania sunt, & ab vnoquoq; facilè exufflari possunt, sicut Cardinalis Caietanus, & Rossensis scribunt. Propterea silentio omittimus, & tantum ad illa Caluini nunc occurrimus.

213 *Christus*, obijcit Caluinus.(a)*Hierosolymis fũctus est Episcopatu dum vixit, & moriendo Sacerdotij munus impleuit.* Princeps Pastorum, Summus Episcopus, *caput Ecclesiæ non potuit honorem loco acquirere*; Petrus *longè ipso inferior, potuit*? Præterea, *Moyses summus Doctor*, & Princeps *Prophetarum in deserto ministerio suo functus est, & mortuus. Si igitur ideò Roma est sedes summi* Pontificatus, *quia* Petrus Romæ Pontificatum *gerens defunctus est: Ergo sedes* Pontificatus Iudaici, *debuit sẽper esse in deserto, quia ibi Moyses*, & Aaron Pontificatũ *gerentes mortui sunt: & sedes Christianorũ deberet esse Hierosolymis, quia ibi Christus Caput Ecclesiæ mortuus est.*

214 Ad hanc insipidam Caluini obiectionem, ita respondet P. Coriolanus meus conciuis.(b)*Eum impiè asserere; Christum honorem* Pontificatus *non potuisse Hierosolymorum* Episcopatui *acquirere: nã si voluisset, certè eum illi comparasset. At unde Caluinus euincit, Christum Hierosolymitanum* Episcopum *fuisse, cum nullam particularem sedem sibi Christus elegerit? Moyses verò non fixit in deserto sedem, sed in deserto, cum in itinere esset, extremum diem obijt; sed quia* Petrus *non tantum Romæ Apostolico munere functus est, ac ibidem obijt; sed eã in sibi* Episcopatus *sedẽ* (*Deo id sibi iubente*) *elegit, neque eam vnquam mutauit: hinc necessariò euincimus, ipsum Romani Episcopatus sedem ad sũmum orbis terrę* Pontificatum *euexisse: neque fieri posse, vt aliquis sit Romanæ sedis Episcopus, quamdiu ea à* Pontifice *non mutatur, quin simul cum Episcopatu totius Ecclesiæ* Pontificatum *gerat. Atque id* Petrum *potuisse, præsertim Domino sibi annuente, quis nisi Hæreticus, inficiari audeat? quã-*

do

(a) *Lib. 4. instit. c. 6. §. 11.* (b) *Summ. Concilior. prælud. 10. assert. 1.*

Digitized by Google

do idipsum ad publicum Eccle-
się regimen pertinere videba-
tur, quod Dominus *integrum*
Petro *reliquerat. Quare, aut*
ipsam summam in Ecclesia re-
genda Petri *potestatem conuel-*
lant necesse est: aut si eam sal-
uam illi fuisse supponunt, ne-
cessariò fateri debent, eum or-
bis Pontificatum *loco, ac Ro-*
manæ Vrbis Ppiscopatui *alli-*
gare potuisse. Quod vero id
Deo iubente factum fuerit; do-
cent in primis Anacletus epistol.
3. ad omnes Episcopos, & citat
Gratianus in cap. Sacrosancta
dist. 22. suo lib. 4. Iulius 1. ad
Orientales Episcopos, pro cau-
sa Athanasij: Augustinus epi-
stola 162. *Prosper lib. 2. de uo-*
cat. Gentium cap. 6. Cyprianus
lib. 1. epist. 3. Eusebius epist. 3
ad Episcopos Campaniæ: Mel-
chiades epist. ad Episcopos His-
paniæ: Damasus epist. ad Ste-
phanum: Leo Magnus epist. 79.
& alij plerique. Ex quibus Ad-
uersarijs perspicuum esse po-
test, Romanæ Vrbis Episcopa-
tum, ita cum Pontificatu *esse*
coniunctum, vt quicumque est
illius Vrbis Episcopus, diuino
ipso, aut saltem Apostolico iu-
re, totius orbis Pontifex *censea-*
tur. Sed ostendamus etiam Ro-
manum Pontificem Petro in
totius orbis Præfectum succe-
dere, Id primum demonstrari
potest ex verbis illis Christi
apud Matthæum 16. cum Pe-
trum alloquens ait: Tu es Pe-
trus, & super hanc petram
ædificabo Ecclesiam meam.
Aliqui volunt petram hic sig-
nificare confessionem: sed quod su-
matur pro Petro, habent Chry-
sostomus hom. 55. ita inquiens:
Ego super te ædificabo Ec-
clesiam meã. *Ambrosius serm.*
47. Petra dicitur Petrus, cò
quod tamquam saxum im-
mobile totius operis Christia-
ni compagem, molemque
sustineat. *Gregorius lib. 4. epi-*
st. 32. ad Mauritium. Ecce
Claues Regni Cœlestis acce-
pit, potestas ei ligandi, atque
soluendi tribuitur: cura ei to-
tius Ecclesiæ, & Principatus
committitur. *Ex quibus vali-*
dissima huius successionis ratio
desumitur; nam cum certum sit
Petram *ad* Petrum *referri de-*
bere, vt prædicti Patres simul
cum alijs sentiunt; duo inde
elicimus; Primum, Petrum
Ecclesiæ fundamentum ædifi-
cari: quod sane nihil aliud est,

quam

Digitized by Google

quam Petrum Ecclesiæ Rectorem institutum esse. Si ergo in Petro dumtaxat Ecclesia fundata esset, neque vlla successionis ratio haberi deberet: quo pacto Ecclesia post Petrum incolumis stare potuisset? id enim planè necessario accideret, vt Petro ab Ecclesia sublato, tanquam euulso fundamento, ipsa Ecclesia iampridem corruisset, & cum Petro extincta fuisset; neq; vnquam reparari posset: Quandoquidem Petrus, qui Ecclesiæ fundamentum à Christo institutus fuit, non nisi vsque ad extremum Iudicij diē ad vitam sit reuocandus. At verò id falsum esse, ipse Dominus testatur, qui se perpetuo cum Ecclesia futurum pollicetur. Ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Cum Ergo Ecclesia stabilis, ac perpetua esse debeat, idque absque fundamento minime assequi valeat, inde aperte colligimus, Pontificum successionem in Ecclesia necessariò statuendam esse, cui velut fundamento Ecclesia inhæreat; ac proinde Christum in Petro Romanorum Pontificum, qui Petro in Episcopatu, ac consequenter in orbis Pontificatu succedunt, perpetuam successionem instituisse, vt ij, velut fundamenta perpetuo ordine sibi succedentia, Ecclesiam semper sartam, tectam, & incolumem seruent. Hoc autem ex Christi testimonio Hieronymus colligit in epist. 57. ad Damasū Papam, & epist. 8. ad Demetriadem cap. 9. Cyprianus epist. 55. Augustinus epist. 185. & lib. 2. c. 51. contra Petilianos.

215 Contra, subiungit Caluinus (a) Veltale priuilegiū Primatus Ecclesiæ Romanæ in vniuerso orbe est locale, uel personale, vel mixtum ex locali, & personali. Si dixeris locale, ergo vbi semel datum est Antiochia, non adimitur per Personæ discessum, vel mortem. Si personale, nihil igitur ad locū, & per consequens pertinere non potest ad Ecclesiam Romanam. Superest igitur vt mixtum esse dicant: tunc autem non simplex erit loci consideratio, nisi Persona simul respondeat.

216 Respondetur, hoc discrimen esse inter priuilegium personale publicum, & priuilegium

(a) eodem lib. 4. c. 6. §. tamen 12.

Digitized by Google

legium personale priuatum; quod priuilegium personale priuatum, personæ priuatæ tãtum, & non alteri datur. Priuilegium autem personale publicum, non modò Personæ, sed etiam successoribus impartitur. Exemplum enim in Regibus habemus; à quibus si aliquo honore Franciscus afficitur, desinit cum ipso Frãcisco; si verò Frãciscus vt Princeps, nempe vt publica Persona afficitur, in eius successores omnes in futurum transit. Cum autem Petrus fuerit Persona publica, publicum accepit priuilegium, scilicet Principatũ totius orbis, quando ei fuit dictum, *Pasce oues meas.* Et quia ouile perpetuum est, perpetuus etiã Pastor esse debet; at Petrus perpetuus esse non poterat, quia mortalis erat, propterea priuilegium, siue principatus in successores diffunditur, nempe in pastura ouiũ, quæ cum sit perpetua, perpetuum exigit Pastorem. Ideoque Priuilegium Primatus collatum Petro, licet Personale, publicum tamen fuit, quia ipsi, quatenus Capue, Pastor, & Pontifex, fuit collatum; cui ex Christi institutione alios usque in seculi cõsũmationem succedere æquũ erat, nempe Petri posteros, siue successores eiusdem in Pontificatu Romano. Sed

217 Contra, prosequitur Caluinus. (a) *Si Romanus Pontifex ideo est totius orbis Episcopus, quia Petro succedit; Ephesinus Episcopus erit secũdus, & tertius Episcopus erit Hierosolymitanus; quia ille succedit Ioanni, iste verò succedit Iacobo. Sed secũdus Episcopus est Alexandrinus, qui nulli Apostolo succedit, & Ephesinus, qui succedit Ioanni Euangelistę, nullum locum in Ecclesia habet. Ergo Romanus Episcopus non est primus omnium, quia succedit Petro.*

218 Respondetur. Ordinem, & numerum dignitatum Patriarchalium, nõ ex primorum Patriarcharum, sed ex D. Petri dignitate, & voluntate dependere; alias Patriarchales dignitates, non tres tantũ, scilicet, Hierosolymitana, Alexandrina, & Anticchena es-

(a) *eodem lib. 4. §. tamen 13.*

Digitized by Google

essent, sed duodecim, iuxta numerum Apostolorum. Et ideo corruit argumentum. Sed

219 Contra, iterum inquit Caluinus. (a) *Si ea, quæ sunt dicta Petro, sunt etiam dicta successoribus; Ergo fateri debent Romani Pontifices, se esse Satanas, quia Matthæi c. 16. hoc Petro dictum est, vbi etiam tibi dabo claues, ei dicitur, &c.*

220 Respondetur distinguendo sequelam antecedētis. Ea, quæ dicta sunt Petro, vti Personæ publicæ, nempè capiti totius Ecclesiæ, sunt etiā dicta eius successoribus, concedo. Ea, quæ sunt dicta Petro, vti Personæ priuatæ, sunt etiam dicta successoribus, Nego: *Ter me negabis, Simon dormis; Vade Satanas;* Petro, vti personæ priuatæ tantum, non autem successoribus dicta sunt. Malè idcirco dicitur, Romanos Pontifices esse Satanas; benè autē omninò Caluinū Belluā in Romanam Ecclesiam rabientem, asserimus, cum noster Vualdēsis dicat; (b) *Quod grauiter errant, qui primæ Sedis potestatem exemplatam, & à Christo donatam, dissimulant: Magis autem, qui negant, quia solis coniecturis iniqui sui sensus, nè Petrus in potestate sibi concessa à Christo, aut quisquam alius Petro succedat, arguunt, approbant, & inducunt.* Sed ex Caluino, ad Nilum Thessalonicensem descendamus.

221 Fuit Nilus Ecclesiæ Thessalonicensis Episcopus, natione Græcus, exhinc professione instabilis, & nugax; Religione verò Papæ inimicus, sicut desumpra argumenta, ex suo libro contra Primatum Papæ elucubrato, apertè probant.

222 *Papa*, inquit ipse, *non est Apostolus, sed tantum Episcopus, quia Apostoli non Apostolos, sed Pastores, & Doctores ordinarunt: Ergo Romanus Pontifex non succedit Petro in Apostolica auctoritate, sed in particulari Episcopatu Romano absolutè.*

223 Respondetur; quod duo considerāda sunt in Petro, & ratio Apostolatus, & ratio Pastoris, siue Capitis fi-

Xx de-

(a) *super eodem lib. 4. c. 7. §. 28.* (b) *to. 1. lib. 2. art. 3. c. 35.*

Digitized by Google

delium cum omnimoda iurisdictione, & potestate. Prima, cõmunis erat omnibus Apostolis, omnes enim immediatè à Christo edocti, & missi fuerunt. Secunda erat soli Petro, tanquã ordinario Pastori ouium Christi impartita: sicque ipsa in Apostolis erat delegata, in Petro verò ordinaria. Romanus autem Pontifex Petro in Apostolatu nõ succedit; sed tantum in ratione capitis, & Pastoris ouium cũ omnimoda iurisdictione, & auctoritate, & eo modo, quo Episcopi Apostolis succedũt, & tamen non sunt Apostoli; ita Romanus Pontifex Apostolorum Principi succedit, & tamen Apostolorum Princeps non est. Dicitur autem habere auctoritatem Apostolicam; quatenus simul cum Apostolatu erat in Petro, & cathedrã Ecclesiæ, in qua Romæ sedet, ab ipso Apostolo dũ viueret, erecta fuit, & fundata. Exemplum est: sedet Romanus Pontifex in sede Apostoli, & illa numero fungitur auctoritate, qua functus est Petrus Apostolus: ipsam tamen auctoritatem, non ab Apostolo Petro, sed à Deo immediatè accepit, sicut præ cæteris contra Hæreticum Vuitchlephum, Vualdensis testatur. (a) *Optimè Deus*, inquit, *tu docuisti Ecclesiam, potentiam illam, quam tuis Pastoribus largitus es, tuam esse, non illius: & ideò quod soluunt, vel ligant, quod baptizant, quòd consecrant, nõ dependere ex vita, vel merito: sed ex infinitæ tuæ arbitrij Maiestatis.* Sed

224 Contra ipsemet *Nilus* subiungit. Petrus Apostolus Episcopos Antiochiæ, & Alexandriæ consecrauit: sed istos Romanus Pontifex consecrare non potest. Ergo ipse illam numero auctoritatem Petri, minime habet.

225 Respondetur: Quod cum Ecclesia Græca ob sui pertinaciam, Ecclesiæ Romanæ se recuset adiungi; consecrationem talium Episcoporum à legitimo Petri successore perfidè auferri, tales tamen Episcopos præteritis temporibus Romano Pontifici licuit consecrare, sicut in Concilio Chalcedonensi legitur, cum non

(a) *ibid. supra n. 2.*

Digitized by Google

non ob aliam rationem Synodus ipsa Maximum Antiochenum Episcopum ad Concilij admiserit, nisi quia in suo Episcopatu à S. Leone Papa confirmatus erat: & nunc tametsi titulariter, ob proprij iuris manutenentiam, Antiochenum, & Alexandrinum Episcopos Romani Pontifices consecrant. Cæterum, vt ad Michaelem Imperatorem Nicolaus Papa scribit; Romani Pontifices, octo Patriarchas è sede Cõstantinopolitana eiecerunt, inter quos fuit Anthimus ab Agapito propria sede priuatus, Mẽna in eius locum constituto. Gelasius etiam Dioscorum è sua sede deposuit, ac Petrum Patriarcham Alexandrinum ad se recipere noluit. Damasus verò Papa, scribit Theodoretus, Flauianum Patriarcham Antiochenum propria sede priuauit; sicut etiam *Xistus* III. contra Policroniũ Patriarcham Hierosolymitanum se gessit; liber Actorum eius testatur. Sed

226 Contra, *Nilus* prosequitur. Romanus Pontifex libros canonicos scribendi, & miracula patrãdi potestatem, sicut Petrus, cuius vmbra sanabat omnes, (a) nõ habet. Ergo nec capitis potestatẽ habet, cum maior ratio non sit, cur succedat in vno, & non in altero.

227 Respondetur, negãdo consequentiam; ideò enim Romanus Pontifex in hoc, & non in illud succedit, quia in Petro duæ potestates sunt, vna, vt diximus ordinaria Capitis, siue Pastoris omnium fidelium; Altera verò extraordinaria, seu delegata, vtpotè quia fuit primus fundator Ecclesiæ, & librorum canonicorum scriptor. Romanus autem Pontifex in potestate ordinaria, non autem in potestate delegata succedit Petro. Item, & potestas miraculorum fuit etiam Petro, tanquam primario Ecclesiæ fundatori à Deo, sicut & cæteris Apostolis delegata. An ne verò qui Petrum in moribus, & Sanctitate non imitatur, nõ erit Papa? Est hic error Vuiclephi, contra quẽ noster Vualdensis sic inclamat. (b) *Colorem ex merito præsidentis sibi fingunt, volen-*

(a) *Act. Apost. 5.* (b) *ibid. sup.*

Digitized by Google

tes, vt quiquis Petro succedit in officio, succedat & in merito: Itaut quisquis Petri caruerit moribus, careat & potestate. Nos certè fideliter negamus, quod vita potestati derogat. Bernardus enim dixit ad Eugenium Papam lib. 2. de consideratione Quid si Summus Pontifex sis: numquid, quia summus Pontifex, ideo summus? infimũ noris te esse, si summum petas. Quis summus? cui addi non possit? grauiter erras, si te illum existimes: absit, non tu de illis es, qui dignitates virtutes putant. Tibi ante experta virtus, quam dignitas fuit. Augustis relinquito illam sententiam, & aliis, qui diuinis coli honoribus non timuerunt. Verbi gratia Nabuchodonosor, Alexandro, Antiocho, Herodi: Tu verò considera non consummatione sũmum te dici, sed comparatione. Nec putes me comparationem dicere meritorum, sed ministeriorum. Sic te existimet Homo, vt ministrum Christi, & absq; præiudicio Sanctitatis, cuiuspiam dixerim summum planè inter Ministros. Alioqui nisi te ad summum velim, non putare summum, aut velle putari antequam sis. Hæc Bernardus. Ecce summum Patrem, sũmam Potestatem, non merito, sed ministerio. Paganus error fuit, sũmam potestatem, sũmam affirmare virtutem: opinionem Idolatrarum Antiochi, & Alexandri fouet Vuitclephista, cũ dicit potestatem Papalem summam vitæ virtutem: aut alioquin Sacerdotium hominis ex suis vita, & operibus æstimandum, dicunt fideles ergo Papam non esse, sed imitari debere vitæ melioris ascensum, esse tamẽ Papam potestate, & sede, & quasi identicè Papam Petrum, non persona, sed officio, & qualitate potestatis, quamuis imparitate virtutis.

228 At Nilo satis in cassum fatigato, opportunũ exhibet auxilium *Marcus Antonius* de Dominis, in libello ab ipsomet composito, & hoc insolenti titulo prænotato, *Marcus Antonius de Dominis Archiepiscopus Spalatrensis, profectionis suæ consilium exponit*; sic temerè contra Papã insurgens. Petrus Apostolus administrationẽ Ppiscoporum sui temporis, sibi non arrogauit; sed *Episcoporum Episcopa-*

lis

lis administratio nunc, & regimen omnium Ecclesiarum totũ est Romæ redactum; ipsi verò Episcopi sunt Domini Papę vix Vicarij, & Administri. Ergo Romanus Pontifex non est Petri successor.

229 Respondetur: Erchiapostatam Spalatrensem summoperè in allato argumẽto delirare, & effanias pro rationibus referre, siquidem ad Romanam sedem iuxta sanctiones Patrum, nonnisi causæ grauiores deferuntur; sicut Iauellus Protestans in replica ad Hardingum etiam fatetur. (a) *Sancti Patres ad Ecclesiã Romanam confugerunt, quæ Religionis integritate, & constantia cęteris longe eminebat.* Et hoc tantum iam nunc obseruatur: Propterea mendacium in argumento Aduersarius, hæreticorum more, adduxit. (b) *Principio comperi* inquit Vvolfangus Vvilhelmus Princeps Palatinus, *Catholicorum doctrinæ multa ab Aduersarijs vane, falsoque imponi, & illas longe alia, aliterque docere, quam isti fingunt.* Omnes tamen simul tum Spalatrensis, tum Lutherani, & Caluinistæ ita in nos irrumpunt.

230 Nulla Ecclesia, inquiunt, Apostolorum tempore habuit proprium, ac specialem Episcopum, sed plures Ecclesiæ principales, à multis in solidum regebantur. Ergo Pontifex Romanus nõ potest dicere se esse alicuius specialis Apostoli successorem.

231 Respondetur, negãdo antecedens; etenim in Ecclesia Hierosolymitana, fuit *Iacobus*, In Ephesina *Timotheus* in Smirnensi, *Policarpus*; In Cretensi, *Titus*; In Ecclesia Pergami, *Rapias*; In illa Thyatiræ, *Carpus*; In illa Sardis, *Gosimus*; In illa Laodiceæ, *Segar*; vt ex Eusebii Histor. Eccles. *lib. 5. cap. 24.*

232 Contra. Si Romanus Pontifex est Peculiaris Petri successor; Sequitur, Petrum specialem Romanę Ecclesiæ Episcopum fuisse, & consequenter minime vniuersalem Episcopum extitisse, neque Primatum super cunctas orbis Ecclesias habuisse.

233 Respondetur; Roma-

nam

(a) *Pag. 628.* (b) *Apoleg. sua Conuers.*

Digitized by Google

nam Ecclesiam dupliciter sumi: vno modo pro Ecclesia particulari Vrbis Romæ solius, quę olim fuit, & nunc est; alio modo pro collectione ōnium fidelium, qui toto orbe dispersi, Romano Pontifici, tāquā supremo Pastori, & Christi Vicario olim adhęrebant, & nunc etiā adhærent, & hoc sensu Ecclesia ipsa varijs nominibus appellatur. Catholica, quia vniuersalis est; Apostolica, quia ab Apostolo fūdata; Pontificia, quia supremo Pontifici subiecta; & Romana, à nobiliori sui parte. Petrus autem non primo modo, sed vtroque modo coniuncto, Episcopus Romanus fuit, & ideò non currit consequentia, quia vt in precedentibus diximus, Summus Pontificatus ex Christi præcepto, Episcopatui Romano coniūctus fuit Sed

234 Contra. Solus Christus est vniuersale caput Ecclesiæ. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius*, ait Paulus Apostolus. Cæteri vero Episcopi, sūt Christi membra. Ergo non est Romanus Pontifex caput Ecclesiæ.

235 Respondetur. Christum, vt sępe sæpius diximus, vniuersale Caput totius Ecclesiæ in terris extitisse, tum quo ad influxum internum donorum gratiæ: tum quo ad visibilem, & externam omnium gubernationem; Primus modus non admittit Vicarium; Secundus verò admittit. Ne igitur post ascensionem in Cœlum; capite visibili, sine externa gubernatione eius oues carerent, Christus ad huiusmodi munus in terris exercendum, Petrum sum Vicarium, siue caput visibile totius Ecclesiæ instituit. Sed

236 Contra insurgūt Anglo Caluinistæ; Papam esse caput Ecclesiæ negantes, & summam totius Ecclesiasticæ gubernationis, in Regem Angliæ referentes; eum que tam supremū Anglicanę Ecclesiæ caput immediatè sub Christo prædicantes, quam Iudicem in omnibus ecclesiasticis, & ciuilibus causis constituentes.

237 Quem errorem, vt oppugnem, nullum alium Doctorem in arenam producam; nisi proprios ipsorum Reges, supremam Pontificis Ro-

Digitized by Google

Romani auctoritatem conteſtantes; præſertim *Eduardum* I. *Angliæ* Regem hac pia inſcriptione epiſtolam ſuam ad *Nicolaum Papam* II. miſſam, exornantem. *Summo Vniuerſalis Eccleſiæ Patri Nicolao, Eduardus gratia Dei Anglorũ Rex, debitam ſubiectionem, & obedientiam, &c.* ipſaque ab eo petebat quædam à prioribus Pontificibus ſibi indulta priuilegia confirmari, quo magis Eccleſiaſticam poteſtatem corroborabat, quam in ſummo Pontifice ſitã agnoſcebat. Sequitur hunc Eduardum, alter *Eduardus*, qui epiſtola ad *Bonifacium* VIII. directa, ita pontificiam auctoritatẽ coluit, vt eam multis ſeculis proſperam conſeruari optet. His annectimus quamdam Angliæ Reginam, cuius epiſtola extat inter Epiſtolas *Petri Bleſſenſis*, Epiſtol. 144. præclare de Romani Põtificis auctoritate ſentiẽtem, his verbis. *Gentes diuulſæ, Populi lacerati, Prouinciæ deſolatæ, & generaliter tota occidẽtalis Eccleſia confecta lamentis in ſpiritu contrito, & humiliato ſupplicant vobis; quem conſtituit Deus ſuper gentes, & Regna in omni plenitudine poteſtatis.* Item *Comites, & Barones* Anglię epiſtola *ad Bonifacium* VIII. Illum vniuerſalis Eccleſiæ Summum Pontificẽ, cuius ſe deuotos filios proteſtantur, appellant; atque ab eo depoſcunt iura, libertates, conſuetudines, leges à prioribus Põtificibus impetratas, Regẽ pacificè poſſidere permittat. Demũ *Henricus* VIII. *Amaſius* Annę Bolenę, quamdiù Homo fuit, acerrimus catholicæ poteſtatis contra Lutherum propugnator extitit; etenim plura eruditè in *Aſſert. Septem Sacramentorum*, aduerſus ipſum conſcripſit; hæc pauca tamen ex art. 2. ad noſtrum intẽtũ libauimus. *Negare Lutherus non poteſt*, inquit Henricus, *quin omnis Eccleſia fidelium Sacroſanctam Sedem Romanam velut matrem, primatumque recognoſcat, & veneretur; quocumque ſaltem, neque locorum diſtantia, neque periculis interiacentibus prohibetur acceſſu. Quamquam, ſi vera dicunt qui ex India quoque veniunt huc. Indi etiam ipſi tot terrarum, tot marium,*

tot

tot sulitudinum plagis disiũcti, Romano tamẽ Pontifici se submittunt. Ergo, si tantam, & tã latè fusam potestatem neque Dei iussu Pontifex, neque hominum voluntate consecutus est, sed sua sibi vi vendicauit: dicat velim Lutherus, quãdo in tantæ ditionis erupit professionem? num potest obscurum esse initium tam immensæ potentiæ, præsertim si intra hominũ memoriam nata sit? Quod si rem dixerit, vnam fortasse, aut duas ætates superare; in memoriã nobis redigat ex Historijs: alioqui si tam vetusta sit, vt rei etiam tantæ obliterata sit origo, legibus omnino cautum esse cognoscat, vt cuius ius omnẽ hominũ memoriã ita supergreditur, vt sciri nõ possit cuiusmodi habuerit initium, cẽseatur habuisse legitimum, vetitumq; esse constat omniũ consensu Gentiũ, ne quę diu manserunt immota, moueantur. Sed

238 *Quo iure*, repetit impius Lutherus, (a) *Papa supernos constituit leges? Quis dedit ei potestatem captiuandæ huius nostrę libertatis?*

239 *Iure diuino*, ò perfide Luthere, & potestate ei tradita à Deo, testatur infracitandus S. Anacletus, post B. Petrum Papa vocatus. Præuio igitur ipso iure, caput, & princeps Ecclesiæ est Papa, pro cuius bono regimine decreta condit, quibus nos in libertatem filiorũ Dei: & non in captiuitatem, sicut tu impie blasphemas, constituit, & asseruat.

240 Contra, in medio prosilit perfidus Vuitclephus, sic obijciens. (b) *Constat ex fide, quomodo Potestas, quam exercet Papa, fuit à potestate Cæsarea deriuata, nec habet fundationem in fide scripturæ, nisi loquar ironicè &c. Ergo non est à Deo iure diuino, sed sophistica, & sic à Diabolo vsurpata.*

241 Respondetur, Huiusmodi execrandum mẽdaciũ, Vuitclephum non suo marte finxisse, sed potius ob maximum in Papam odium, ex damnata ante ipsum conclusione 11. desũpsisse, sicut manifestè ostendit Vualdensis, ad allatum argumentũ ita respõdens

(a) *lib. de captiuit. Babylon.* (b) *lib. de Christo, & Antechristo cap. 7.*

Digitized by Google

dens.(a) *Inter conclusiones damnatas, est conclusio C. XI. sic.* Certum videtur ex Chronicis, quod non à Christo, sed à *Cæsare Constantino*, Romanus Episcopus accepit, vel vsurpauit potestatem. Et Conclusio proxima est, quod ex fide Euangelij ista præeminentia Papalis cæpit ortum, est æque falsum, sicut ex prima veritate error illis est exortus. Hęc ibi. *Hoc modo*, prosequitur Vualdensis, *sinuntur errare, qui sę mendacijs assuefaciunt, vt aliquando cadant in publico, & quantitatem peccati sui, singuli deprehendant. Toto fermè tempore, quo sub persecutione Principum tyrannorum Christi premebatur Ecclesia, Romani Pontifices vendicabant sibi Primatum, qualiter de Anacleto Papa legimus, qui secundum computum Augustini, & Hieronymi ex Damaso successit immediatè Clementi, Quartus à Petro. Nam is decreto suo tertio, hæc inquit.*(b) Sancta Romana Ecclesia Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore nostro primatum obtinuit: sicut Beato Petro Apostolo dixit, Tu es Petrus, & super hãc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo Claues Regni Cœlorum, &c. Prima ergo sedes est Cœlesti beneficio Romana Ecclesia, quam vt memoratũ est, beatiss. Petrus, & Paulus suo martyrio consecrarunt. *Hæc ibi Anacletus. Istum (Anacletum) si iam fuisset tam propinquus Constãtino, quam fuit proximus Sancto Petro, potueras habere dedotis fauore suspectũ. Sed quomodo rogo mi Vuitcleph, in Ecclesia Romana Primatum suum, & potestatem præeminentiæ vsurpauit aliquis Papa auctoritate Cæsarea Constantini, quã iam successisse comperimus à diebus veteris Anacleti? Adhuc audi, quam audax scribat ibidem capitulo quarto.* Anacletus, si (inquit) causæ difficiles inter vos ortæ fuerint, ad huius Sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad Caput referretis, vt Apostolico terminentur iudicio: quia sic velle ab eo, à quo ita constitutum esse dictis testimonijs declaratur. Hæc vero Apostolica sedes Caput, & Cardo (vt factum est à Domi-

(a) *Tom. 1, lib. 2. art. 3. c. 33. n. 1.* (b) *Cap. 3.*

Digitized by Google

no, & non ab alio) est constituta: & sicut cardine ostium regitur, sic huius Sanctæ Sedis auctoritate, omnes Ecclesiæ, Domino disponente, reguntur. Hæc ibi. *Iuxta quod habetur in libro Decretorum iuxta illud Decretum Præsulis Anacleti, non Principis Constantini Romana sedes vendicat sibi ab antiquo rationem Capitis super omnes locales Eccles.s, non quidem ab ipsis Apostolis, sed sic à Domino instituta. Demum ad Alexandrum pergamus, secundum ab isto; sextum à Petro secundum Hieronymum, & ipse quidem in Decreto, in suo proœmio Decreti, sic ait.* Alexander. Rursum insuper est ad huius Sanctæ, & Apostolicæ Sedis apicem, cui summatum dispensationes causarum, & omnium negocia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput, ipso quoque dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. *hæc ille. Iam benè cõmemorat Alexander antiquam prærogatiuam suæ Ecclesiæ sibi dispensatam à Christo, iuxta quod Anacletus supra testatur. Et hæc omnia vt signantur in locis, habere potes in annoso libro Decretorum Pontificum. Ecce nondum venit Constantinus in orbem: adhuc Ecclesia habebatur odiosa Principibus, adhuc astiterũt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christũ eius, & tamen suam præeminẽtiam Papalis sedes exercet in vniuersalem Potestatem, in corrigendis nociuis, in causis maioribus terminãdis, & vniuersalem tuitionẽ offensis Personis extendens, auctoritate non Cæsaris. Non vtique (quod maius est) ab Apostolis, sed à Christo Domino promittit, exhibet, & exponit. Veniat iam Vuitcleph, & dicat si audeat, quod Potestas, quam Papa exercet, sit à potestate Cæsarea deriuata, & non à Christo. Sed*

242 Contra, subiungit *Vuitclephus*, & cum eo (a) *Lutherus, Melancton*, & etiam Caluinus, *lib. 4. institut. cap. 7. §. 17.* quos refert Lindanus. *Phocam Imperatorem primum*, inquiunt, *Romano Pontifici detulisse Primatum, quia ipse Im-*

(a) *Pamphilia lib. 4. c. 85. fol. 432.*

Digitized by Google

Imperiali lege sanciuit, vt Romana Ecclesia Caput omnium Ecclesiarum haberetur. Ergo non competit illi de iure diuino.

243 Respondetur. Per Phocæ Imperatoris historiam à Beda descriptam, nullam inferri Ecclesiæ proprij iuris confessionē. Etenim Beda sic refert,(a) *Phocas regnauit annis octo. Huius secundo anno, indictione octaua, Gregorius migrauit ad Dominum. Hic, rogante Papa Bonifacio, statuit, Sedem Romanam, & Apostolicæ Ecclesiæ Caput esse omniū Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana, primam se omnium Ecclesiarum scribebat.* Si hoc autē argumento, prosequitur Vualdensis, (b) *ò Vuitcleph arguas apud conceptum tuum, potestatē Papæ à Cæsare esse traditam, & traductam, tamen mendacium non euades, quod Cæsarē illum Constantinum dixeris, cum historia dicit, Bonifacium ideo impetrasse à Phoca, qui successit Syluestro Papæ trigesimus tertius. Et iterum si hoc dicis, nō esse Romanam sedem caput omnium Ecclesiarum, nisi ex potestate Cæsarea, eo quod pro capitalitate eius Imperator decreuit. Ergo conformiter potestas baptizandi fideles nō ineſt Sacerdotibus, nisi à potestate Cæsarea, eo quod pro ea primus Philippus Imperator Romanus, diu ante Constantinum ipse baptizatus, liberam potestatem baptizandi concessit; & potestas prædicandi non adesset Sacerdotibus Angliæ, nisi à potestate regia, eo quod Itheibertus potestatem concessit, & laxam prædicandi licentiam Augustino legato Gregorij condonauit. Sed motiua seductoria sūt ista, & norunt cuncti fideles potestatem istorum Regum fuisse solutoriam: Et ita Phocas Cæsar, quando capitalitatem statuit Romanæ Ecclesiæ, non ipse tunc eam primo concessit, sed antiqui iuris potestate contra insurgentes, imperiali suo decreto protexit; & hoc sonat ratio textus, quæ dixit, quod hoc Imperator decreuit, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omniū Ecclesiarum scribebat.* Sed

244 Contra respondet *Nicetes* schismaticus, & supradictę Ecclesiæ Constantino-

(a) *Lib. de sex ætatib. cap. de Phoca.* (b) *Ibid. num. 4.*

Digitized by Google

politanæ Episcopus. Non enim in cassum primam omnium Ecclesiarum, Constantinopolitana Ecclesia se scribebat, *quia Constantinopoli præsidebant semper clari Philosophi, pragrandes Dialectici, & profundi Theologi, qui scirent bonum, & malum abunde conferre. Romæ è contrario, Viri simplices, Idiotæ, pauca veritate contenti, qui forsan nescirent, & si vellent errare constanter, cum autem quatuor olim Ecclesias fuisse sorores, Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam, & Romanam; ipsam Romanam Ecclesiam Primatum vsurpâsse.* Ergo eius Primatus non est de iure diuino.

245 Respondetur. Maximè delirare *Nicetem*, vtpotè, qui tempus, quo Ecclesia Romana à Constantinopolitana Primatum abstulerit, non recenset, antene scilicet, vel post Constantinum: non ante Constantinum, quoniam tunc Cõstantinopolitana Ecclesia non existebat. Non post Constantinum, quia nemo quærit quod intus habet; Cũ autem, vt ex Anacleto compertum est, Romana Ecclesia ante Constantinopolitanam, omnium Ecclesiarum Primatum habuerit, proculdubio ipsum à Constantinopolitana minimè abstulit. Propterea *Valdensis* (a) miratur, qua arte Idiotæ Romani, super tot, quos Nicetes iactat Sagaces, & doctos, poterant vsurpare primatum? *Sed videtis, inquit, qualiter Hæretici. Viri ex suo sensu potestatem quærentes Ecclesiæ demoliri, contrarias vias inuenire coguntur, quarum vtraque potest esse falsa, vtraque numquam vera. Sed contra omnes, tam latinos, quam Græcos Hæreticos, qui sine auctoritate Scripturæ, vel Sanctorum Patrum, adinuentiones suas contra eminentiam S. Sedis intrudunt, loquatur concors Sanctorũ Patrũ oratio, quæ ex Orientis, & Occidentis partibus in Nicænam Synodum conuenerunt; Cuius Capitula quidem continet rescriptum Iulij Papæ ad Orientis Episcopos Theoginum, Theodorum, Berinthum, & alios, & primum est* Iulius Papa. Vt omnes Episcopi, qui

in

(a) *Ibid. num.* 6.

Digitized by Google

in quibuſdã grauioribus pulſantur, vel criminantur cauſis, quoties neceſſe ſit, Apoſtolicã liberè appellent ſedem, atque ad eam, quaſi ad matrem cõfugiant, vt ab ea, ſicut ſemper fuit, piè fulciantur, defendãtur, & liberentur. Cuius diſpoſitioni omnes Eccleſiaſticas maiores cauſas, & Epiſcoporum iudicia antiqua Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, atque Canonum antiqua auctoritas reſeruauit. Quoniam culpãtur Epiſcopi, q. aliter cõtra fratres egerint, quam eiuſdem Sedis Papę placuerit. Hæc ibi. *Ecce quæ vna nimis decreuit Sanctorum Patrum Concilium, non ex Latinis tantum, ſed & Græcis, & Africis, cæterisque vniuerſi orbis conuocatis Epiſcopis in ſaluberrima illa Synodo.* Omnes *inquit*, Epiſcopi pulſati in grauibus, liberè appellent Apoſtolicam Sedem, cui etiam diſpoſitionem reſeruauit omnium maiorum cauſarum Eccleſię antiqua Apoſtolorum, & ſucceſſorum eorum auctoritas. *Vbi eſt iam Vuitcleph, qui dicit eminentiam Romanæ Sedis, in diſpoſitione omnium maiorum cauſarum Eccleſiæ, emanaſſe de Cæſare? Vbi Vuilhelmita, vbi Græci Schiſmatici dicentes, eam vſurpatam à Romanis Præſulibus? Hic in prima mundi Synodo eam non vſurpatam, nec veniſſe de Cæſare, concors omnium Patrum definit edictum, ſed ipſi potius reſeruatam eſſe per antiquam Apoſtolorum auctoritatem, & canones ſucceſſorum, & non primo ab Apoſtolis. Quamuis à tempore Apoſtolorum, ſed vt ab ea, ſicut ſemper fuit, fulciantur, & defenſentur Epiſcopi.* Sic habet etiam Primum Capitulum Concilij Niceni. Placuit ſi accuſatus, vel damnatus Epiſcopus, appellauerit Romanum Põtificem, id ſtatuendũ, quod ipſe cenſuerit. *Teneamus ergo præeminentiam, & Principatum Romanæ ſedis nõ emanaſſe de Cæſare, nec vſurpatum eſſe per Apoſtolos, quem pene primus omnium Anacletus ſcripſit fluxiſſe de Chriſto, & ſplendida Nicena Synodus, demum, & Auguſtinus ſemper inibi viguiſſe concedunt.* Sed

Digitized by Google

lyticus Lutheranorum rigidorum Parens, subiungit.(a) *Æneas Syluius, qui Papa Pius II. postea fuit*; in sua Epistola 228. ait. *Ante Nicænum Concilium sibi quisque viuebat, & ad Romanam Ecclesiam paruus habebatur respectus.* Ergo Romana Ecclesia ex præfato Cõcilio Primatum accepit, & nõ ex iure diuino.

247 Respondetur. *Æneam Syluium* in supra relata Epistola ad Martinum Mayner scripta, nihil aliud ostendere, quam Romanæ Ecclesiæ Primatum à Christo originem desumpsisse, sicut in exordio ipsius ita habetur, & legitur. *Sunt nonnulli nationis tuæ Homines parum sensi habentes, quibus Romani Pontificis auctoritas, neque necessaria esse videtur, neque à Christo instituta. Contra quos hanc epistolam scribere, & tibi transmittere decreuimus, vt si quando tales homines te adierint, habeas ex nobis quo gladio eorum temeritatem confundas.* Pergit Æneas, & epistolę decursu, ad acerbissimas Ecclesiæ persecutiones, quas illo infelicissimo tempore patiebatur, oculos intendens, dixit; *Ante Nicenũ Concilium quisque sibi viuebat &c.* Etenim multi metu Tyrãnorum, esto vellent, Ecclesiam Romanam non adibant, ideoque videbatur Episcopos paruam Romanæ Ecclesiæ rationem habuisse; sed profecto aliter se res habebat, videlic. quod ab initio Romanus Põtifex Primatum obtinuit, & totius orbis Episcopi eum, tamquam caput, & Pastorem Vniuersalis Ecclesiæ venerati sunt, sicut ex epistola Euaristi, ad omnes Episcopos Græciæ; ex illa Victoris, ad omnes Episcopos Beticæ, & Toletanæ Prouinciæ; ex illa Fabiani, ad omnes Episcopos Orientales; & ex illa Cornelij ad omnes Episcopos Gallię, & Hispaniarum, quas cap. 6. quęst. 3. Primæ partis retulimus, aperte videri potest; etenim ipsi ante Concilium Nicenum; Romanæ Ecclesię moderamen habuerunt. Sed

248 Contra, *Nilus Thessalonicensis* iterũ repetit. Concilium Chalcedonẽse Canon. 28. in nostro vero codice Actio-

(a) *Lib. contr. primat. Pap.*

Digitized by Google

ctione 16. asserit, Romanum Pontifi sem ita obtinuisse Primatum à Patribus, quia Ciuitas Romana erat caput orbis, eiusque Imperium per omnes orbis oras peruaserat. Ergo nõ à iure diuino. Adstipulatur huic argumento, Iustiniani constitutio 100. apud nos 131. ita inquiens. *Decernimus secundum sacrarum Synodorũ decreta, Sanctissimum veteris Romæ Episcopum, primum esse omnium Sacerdotum.* Ergo Primatus Romani Pontificis, non est de iure diuino, sed humano.

249 Respondetur. Allatũ decretum Concilij Chalcedonensis esse nullius valoris, vtpote ab ipso Concilio non legitimè emanatum, sicut ex Act. 16. sed legatis sedis Apostolicæ absentibus, quinimmo ipsis reclamantibus, nec deletum. Decretum autem sine Romano Pontifice, aut eius legato editum, nullum robur habet, sicut in Concilio 2. Niceno, Action. 6. inspicitur. Propterea S. Papa Leo tale Decretum proscripsit; sed esto quod aliter euenerit: *Romana Ecclesia*, inquit Gelasius in Concilio septuaginta Episcoporum: *nullis Synodicis Constitutionibus cæteris Ecclesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris nostri Primatum obtinuit.* Quæ verba cum illis Concilij Niceni 1. can. 6. coincidunt, & in ipso Concilio Chalcedonensi Act. 16. recitata, videlicet: *Ecclesia Romana semper Primatum habuit.* Si semper, quomodo illud habuit à Patribus? sed intelligendum est, quod quando Concilia dicũt, Pontificem à Patribus, vel à Concilijs Primatum habuisse, non intendunt, quod antea non habuerit, sed agnoscunt, & declarant, eum semper habere, & habuisse Primatum; sicut testatur ad Michaelẽ Imperatorẽ Nicolaus Papa. *Ista priuilegia*, inquit, *à Christo sunt donata, à Synodis vero nõ donata, sed declarata, & honorata.* Sicuti cum Patres Nicæni definiũt: *filium Dei esse consubstantialem Patri*, Filio consubstantialitatem nõ tribuũt, sed potius declarant, eam ab æterno cum Patre habuisse. Sunt enim verba Concilij tutoria ad expellendas falsi-

ta-

Digitized by Google

tates hæreticas: ceù & Decretum supracitatum Iustiniani, Papam primum omnium Sacerdotum esse non statuit, sed tantummodo eius Primatum tali sanctione cõtra suos perduelles protexit. Illud autem, quod addunt Aduersarij, videlicet: Primatum Romanos Pontifices ob Romanæ Ciuitatis Imperium, quia caput mundi, & sedes Imperij erat, obtinuisse, falsum est; eique Gelasius Papa in *Epistola ad* Episcopos Dardanię, sic contradicit. *Romanam sedem, primam omnium sedium Episcopalem esse, non quia ibi sederunt Imperatores, sed quia sedit ibi Pastor vniuersalis Gregis Christi, & Princeps Apostolorum, & Regum terra* Petrus *Apostolus. Nam Mediolanum, Sirmium, Rauenna, Treuiris, & Nicomedias fuerunt adhuc diù Imperij sedes; nec tamen legimus, illarũ Ciuitatum Episcopos, dignitatẽ Primatus à Patribus obtinuisse. Sed*

250 Contra. Potest Ciuitas adeo euerti, vt nullum remaneat ipsius vestigium; Ergo tunc separaretur ab illa Primatus orbis. Ergo talis Primatus non est de iure diuino cũ Vrbis Episcopatu coniunctus, quia alias nequaquam separari posset ab ea.

251 Respondetur distinguendo antecedens. Potest omnino euerti absolutè, concedo. Potest omnino euerti, vt nullum ipsius vestigium remaneat ex suppositione promissionis diuinę, *non deficiet fides* Petri, *& Portæ inferi nõ preualebũt aduersus eã*; nego antecedens, & nego cõsequentiam. Experientia nos docet, quoties Romana Ecclesia ab Infidelibus, Tyrannis, ac Hæreticis persecutionibus, exilijs, & filiorum suorum morte acriter vexata fuit; toties vegetior, & numerosior rediuiua surrexit: Vnde dicere solebat Tertullianus, *Quotidiè metimur, & plures efficimur.* Quid est hoc, nisi diuinæ promissionis effectus? si ergo inter tantas turbinum procellas Petri nauicula neque subuersa, neque submersa est, haud dubium est, eadem diuinæ promissionis fidelitate manente, neque aliquando euersuram fore eam vrbem, cui iussione diuina Primatus orbis

Digitized by Google

bis est iunctus, sed potius Isaiæ vaticinium veritate comprobaturum. (a) *Ponam te in superbiam, id est in gloriam perpetuam seculorum. Et collocabo te*, inquit Cyrillus noster, in eumdem locum, *in exultationem sempiternam, & in lætitiam per omnes ætates. Sed*

251 Contra. Nulla vrget necessitas, vt Primatus orbis, iunctus sit cum Episcopatu Romano, etenim sedes Petri fuit aliò translata; Ergo ipsius coniunctio non est de iure diuino.

252 Respondetur, distinguendo eodem modo antecedens; nulla vrget necessitas absolutè, concedo. Nulla vrget necessitas facta suppositione promissionis diuinæ, nego antecedens, & pariter consequentiam. Quod autem Petri sedes fuerit aliò translata, scilicet Auinione, non per hoc Papa dicebatur Episcopus Auinionensis, sed Pontifex Romanus, iuxta illud eulgatum adagium, *vbi Papa, ibi Roma*; & hoc ex Clero, Parochijs, Episcopatu Romano, & fide Romanæ Ecclesię, quæ vt ait D. Paulus, *annũciatur in vniuerso mundo.*

253 Contra. Hæc Romana Ciuitas, quę nunc extat, nõ est antiqua illa Vrbs, in qua Petrus sedit, sed potius suburbium illius. Ergo Primatus totius orbis huic vnitus non est, nec etiam successor Petri est Episcopus Romanus, sed ab illo diuersus.

254 Respondetur; distinguendo antecedens. Non est illa Vrbs antiqua materialiter, concedo. Non est illa Vrbe antiqua formaliter, nego. Ergo Primatus totius orbis ipsi non est vnitus, nego pariter consequentiam. Nam licet quoad [illegible]nes, & ædificia, Roma præsens, & Roma antiqua non sit eadem materialiter; est tamen eadem formaliter, ratione situs, ratione nominis, & ratione dominij. Nõ enim quia in Ciuitate Hierosolymorum, Babylonis, & in Ciuitate Argentanensi non sunt ijdem Homines, ædificia &c. sequitur quod non sint Hierosolyma, Babylon, & Argentanum; & sic etiã philosophandum est de reliquis alijs

(a) *Cap.* 60.

Digitized by Google

Ciuitatibus. Sed

255 Contra tandem, ex *Synodo Smaliadica*, Protestantium. Papa à Cardinalibus eligitur, & ab ipsis Pontificiam accipit potestatem. Ergo eius Primatus non est de iure diuino. Probatur antecedens ex decreto Electionis Gregorij VII. sic à Platina relatum in eiusdem Gregorij vita. *Nos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Subdiaconi, Presbyteri, Episcopi &c. Eligimus hodie Kalendis Maij, in Basilica Sancti Petri ad Vincula, anno M.LXXIII. in verũ Christi Vicarium, Hildebrandũ Archidiaconum, hominem doctrina, pietate, prudentia, iustitia, constantia, religione ornatum: modestum, sobrium &c. quem quidem cum ea potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus, qua Petrus Dei mandato quõd. præfuit.* Ergo &c.

256 Respondetur: Cardinales in electione Summi Põtificis, designare tantum Personam; Primatum autem, & auctoritatem, immediatè designatum Pontificem à Deo accipere, eo modo quo homini à Patre generato, Anima immediatè à Deo infunditur, & nõ est Pater genitor animæ, prout ex supra relati decreti verbis, apertè colligitur. Etenim per ly *præesse volumus*, hoc intelligitur, *præesse declaramus cum ea potestate, qua Petrus Dei mandato præfuit.* Ergo Cardinales per eorum electionem, Personam tantum designant, potestatem autem Summo Pontifici minimè tribuunt, sed ipsam immediatè à Deo Summus Pontifex accipit, vt eius verus Vicarius in terris existat.

CAPVT V.

Iterum Hæretici fabulantur, electionem Romani Pontificis in legitimum Petri Successorem, non esse de iure diuino, nec pertinere ad Cardinales.

257 TOt, tantisque conuicijs de Papæ Primatu perperam prolatis, minimè acquiescens *Vuitclephus*, acrioribus nunc in Cardinales inuehitur delirando, depromens Summi Pon-

Digitized by Google

Pontificis electionem non esse de iure Diuino, nec ad ipsos pertinere; immo contrarium asserentes, grauissimum incurrere infidelitatis peccatum. Propterea sequenti argumento, ipsam irridet electionem. (a) *Quæ maior infidelitas, ait, quam approbare electiones Cardinalium, quod si qualemcumque personam eligerent in Papam, tunc ipse est Pater Sanctissimus, & immediatus Christi Vicarius hic in Terris.* Ergo Romani Pontificis electio, nec de iure Diuino est, nec nisi iocosè, ad ipsos pertinet Cardinales.

258 Respondet huic argumento sic Vualdensis: (b) *Cur electionem Papæ tam molestè ferat* Vuitcleph, *nescio, nisi quia promoueri cupit illum Papam suum absconditum, qui eũ non possit criminari de hæresi, quia totum mundum latet, & sibi ipsi manet ignotus. Sed ipse à solo Deo foret in Papam eligendus, sicut soli Deo est cognitus, immo si verus Papa esset, nescio. Nulli enim sibi præsumãt Sacerdotium, nisi per hominum electionem ex hominibus assumantur, & pro hominibus à cõsiderante homine constituantur in his, quæ sunt ad Deum, iuxta Paulũ Apostolum ad Hæbræos, & Augustinum ita scribentem.* (c) Si Sacerdos alicubi desit, potest alterius loci Sacerdos rogatus venire, & vicem eius agere, non tamen Propheta, quamuis sanctæ vitæ sit, agere potest, quod sibi scit minimè esse concessum. Aliud est enim bene viuere, & aliud potestatem accipere alicuius officij. Sicut enim, qui Sacerdos est, non ex eo vitam suam commendatam putare debet: ita, & qui sanctæ conuersationis, & vitæ est, non iam ex eo sibi Sacerdotium vendicare debebit. Quamuis enim bonum sit Sacerdotium, tamẽ malum erit ei, cui concessum non est, & præsumit. *Non ergo potest abscõditus suus* Vuitcleph *esse quidquam Sacerdos, multo magis non Summus Sacerdos, quantacumque fulgeat Sanctitate, quousque potestatẽ officij à sibi concedente susceperit. Sũmum autem Sacerdotium per*

(a) *Lib. de Verit. & Mendac. c. 16.* (b) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 39.*
(c) *Tom. 4. lib. de quæst. noui & vet. Testam. c. 46.*

Digitized by Google

electionem plurium Episcoporũ accipiat : quemadmodũ exemplificauit Sanctus Spiritus per Apostolos in Matthia. Sed iam Cardinales Episcopi, & alij loca supplent Episcoporum primatuum, qui vice Apostolorum inferiorum Episcoporum solebant electiones, & vitas tractare, quod non possunt in Petrum, qui non habent Primatẽ. Cardinalium ergo Patrum electio quantũ ad electionis substantiam, nescio à quo possit, coloratius deprauari, quã ab eo, qui omnem Ecclesiæ politiam diuellit, sed nullam procreat, nullam disponit; sufficit autem simplicitati fideliũ, quod Christus vocaliter elegit plures Apostolos, vt ex hac exemplari forma Magistri, aut voce, aut sensibili quidem signo, vnus ritè à pluribus eligatur: quemadmodum vnus Matthias à pluribus Apostolis; vnus Paulus; vnus Barnabas in opus Apostolicum Domini à Spiritu Sancto, sed non sine Apostolorũ mysterio segregati. Et cur non à pluribus Cardinalibus vnus Papa? Sicut ex Synodali decreto Nicolai Papæ ita reperitur sancitum. (a) Primo inspectore Deo statutum est, vt electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit, ita vt si quis Apostolicę sedi sine præmissa concordi, & canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum &c. consensu intronizetur, nõ Papa, vel Apostolus, sed Apostaticus habeatur. Hęc ille. *Sic hactenus credimus obseruatum circa Papę electionem, vt hi eligant, illi consentiant sic electo. Plus de hoc videri poterit lib. 3. Decretor. Iuonis in principio.* Sed

259 Contra subiungit (b) *Vuitclephus.* Curia Romana sibi statuit p regula, quod Papa sit, qui Sũmus Christi Vicarius à Cardinalibus eligatur. Sed hoc error est, quia gignit plures hæreses, potissimũ sequentẽ. Christus verus Deus, & Homo ex summa sapientia elegit sibi duodecim Apostolos: in hoc autem Cardinales, non possunt ex fide æquiparari isti sapientię increatæ, quia præsumptio foret stulta, hoc sine euidentia fidei attentare. Ergo Cardinales nequeunt

(a) *Lib. antiq. dec. Sum. Pontif.* (b) *lib. de Christo, & Antechristo c. 9.*

Digitized by Google

unt eligere Summum Pontificem, nec huiusmodi electio de iure diuino est, aut ad ipsos pertinet.

260 Respondetur: *Vuitclephum* dementem esse, cum ex resultandi consuetudine sẽsum suum amiserit. Etenim ex illato eius argumento, hoc sequitur. Christus prædicauit Pauperibus, Christus orauit Patrem, Christus instruxit Discipulos: sed cæteri Viatores ex fide non possunt æquiparari sapientiæ increatæ. Ergo sine euidentia fidei, nullus purus Viator debet hactenus ista attentare. Sed quid dicis Vuitcleph, inquit Vualdensis, (a) *si respondeam hoc Cardinales illa euidentia fidei attentare, qua Christus elegit Apostolos, docens eos secundum hanc formam vnius Christi in vno Christi spiritu conuenire ad eligendum in Ecclesia, qualiter omnes Apostoli vno Christi Spiritu Matthiam elegerunt, Paulum quoque, & Barnabam seriatim Apostolos, Christo hoc volente, & dicente: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum Ego feci vobis, ita & vos faciatis. Si soli Christo licebat, cur hoc attentabant Apostoli? cur Paulus Timotheum consecrauit Episcopũ? cur Petrus Marcum? Quod si Apostolis hoc licebat ex institutione Christi, ad conseruandas successiones Sacerdotũ: qui tamẽ æquiparari nõ poterant Christo, sapientiæ increatæ, quid valet, in quo redarguis Cardinales?* Quando Apostolis succedunti & per consequens ex Christi institutione, Pontificis electio ad ipsos pertinet.

261 Contra, iterum repetit Vuitclephus. *Vbi operatio est securior, nemo debet procedere in ambiguo. Sed operatio securior, & meritorior est euãgelizatio, & dictio orationis Dominicæ: electio vero Paparum per istos Cardinales est illis ambigua.* Ergo huiusmodi electio non est de iure diuino, & ideo secundum Dei prouidentiam dimittenda, & euangelizatio, ac orationis Dominicæ recitatio à Deo in ædificationem Ecclesiæ ordinata, est humiliter ãplectenda. Maior est vera. Minor verò probatur *ex cap. de consecrat. dist. 5. non mediocriter, vbi. Quis*

da-

(a) *Ibid. num. 5.*

Digitized by Google

dubitat quin recta euangelizatio securior, atque facilior sit, quam Papæ talis electio. Ergo Cardinales debent id, quod melius est eligere, & Pontificis electionem vti ambiguam, dimittere.

262 Respondetur, negando suppositum. Si enim pro illa hora meritorior, & securior operatio, ac dictio orationis Dominicę, quam Summi Pontificis electio esset, cur Christus dimittens electionem duodecim Apostolorum, orationem Dominicam non recitauit? Quare Petrus orationem Dominicam non dixit cum eligeretur Matthias? Imo cur Vuitclephus comedit, & dormit, & meliorem euangelizationis, & dictionis orationis Dominicæ operationem postponit? Quod si dicat benè operantem etiam benè orare; Cur Cardinales non benè orant, quando eligunt bonum, vel benè Papam? Quod autem dimissa hac operatione, illa oratio, vel talis Euangelizatio melior esset, restat, vt modo probet; propterea ista laicis dimitto. Sed

263 Cõtra replicat Vuitclephus. (a) *Ex Apostolorũ facto post missionem Spiritus Sancti contrarium videtur. Etenim ipsi eligendo Matthiam, non audebãt istud præsumere, sed sortes miserunt super Matthiam, & Ioseph, & cecidit sors super Matthiam. Ergo existimarunt electionem dubiam dimittendam esse, quia irregularis est electio frontosa*, sicut electionem Romani Põtificis ipse autumat, & per consequens non est de iure diuino, nec pertinere potest ad Cardinales.

264 Respondetur, cum *Vualdense*: Dignus Doctor Vuitcleuistarum, qui tam abundè scripturas allegat, quas nescit, immò frontosè mentitur, cum factum hoc Apostolorum super Matthiam post missionem Spiritus Sancti dicat, & planè constet, electionem ipsam ante Pentecosten, & post Ascensionem esse factam, sicut in Actibus Apostolorum legi potest, & Nicolaus de Lyra sic testatur. *Inter Ascensionem, & Spiritus Sancti missionem hoc factum.* At nè quisquam nouus historicus eius

(a) *Motiuum Vvitclep. 4.*

Digitized by Google

eius sectæ, volens Magistri sui iuuare mendacium, aliter dicat; textum legat, & si textus ipse non sufficit, Beda eius Expositor audiatur. (a) *Hic Matthias sorte eligitur, ne Apostoli electio veteris legis mandato discrepare videretur. Vbi Summus Sacerdos sorte quæri tubebatur, sicut de Zaccharia dicitur, secundum consuetudinem Sacerdotij sorte exijt, vt incensum poneret. Qui idcirco, vt reor, tunc sorte eligebatur, vt in typo figuraretur verum semper quærendum fuisse Sacerdotem, donec veniret cui repositum erat.... Donec ergo Veritas compleretur, in figuram licuit exerceri. Vnde est, quod Matthias, qui ante Pentecosten ordinatur, sorte quæritur. Septem vero Diaconi, qui postea nequaquam sortis agitatione, sed Discipulorum tãtum electione, Apostolorum verò oratione, & manus impositione sunt ordinati.* Hæc ille. Ecce quod Matthias, inquit Vualdensis, *ordinatur Apostolus ante Pentecostẽ, & congruè, nè tanta illustrationi Paracliti, perfectus Apostolorum numerus deesset, consecratus. Et ecce iterum rationem, quare sorte electus fuit Matthias, quia licuit exercere figuram, donec veritas cõpleretur, ideſt licuit exercere modum eligendi veteris legis, donec nouæ legis in aduentu Spiritus Sancti Veritas doceretur.* Cuncta ergo insipientiam Vuiteleffi foras producunt, & produnt, nempe Matthiæ electionem subsecutam Spiritus Sancti missionem extitisse, cum de facto eam præcesserit, sicut & causam, ex qua ipse argumentum sumpserat, etiã confundunt, videlicet; *non audebant Apostoli istud præsumere, ideoque sorte elegerunt.* Non audebant, ex eo quia Spiritus Sancti non dum veritas apparebat, post autem Paracliti aduentum, bene septem Diaconos per seipsos absque vlla sorte eligere audebant, in qua electione Christus concurrit, sicut nunc in illa Summi Pontificis etiam concurrit. Sed

265 Contra denique blaterat Vuiteleffus. *Numquid credimus istos Electores cognoscere, quod Christus ad ædificatio-*

(a) *Tom. 2. Apost. Act. sup. illud dederunt sortes.*

Digitized by Google

tionem suæ Ecclesiæ elegit hunc in Papamnempè, malum? Ergo eum eis Christus non concurrit.

266 Respondetur. Christum semper cum Cardinalibus in Summi Pontificis electionem concurrere, non autē semper ad ædificationem Ecclesiæ hunc in Papam, hunc in Regem, vel Episcopum, sed aliquando in vindictam, & malum Plebis, saltem pro tēpore eligit; sicut in libro Iudicū, sic Origenes exponit. (a) *Dicit forta sse Populus, num Ecclesia Dei sine Iudice est? etiam si prior defecerit, alter adhibetur. Audacter fortassis aliquid dicemus, tamē quod scriptū est dicemus. Nō sēper Princeps Populi, & Ecclesiæ Iudex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malum in conspectu Dei, dantur nobis Principes secundum cor nostrū: & hoc tibi de scripturis probabo. Audi nāque quid Dominus per Oseam c. 8. dicat.* Fecerunt sibi Regē, & non per me, & Principem, & non per consilium meum. *Et hoc dictum videtur de Saule illo, quem vtique Dominus ipse elegerat, & Regem fieri iusserat; sed quoniam nō secūdum Dei voluntatem. sed secūdum peccatorū Populi meritū electus fuerat, negat eum cum sua voluntate, vel consilio constitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in Ecclesijs fieri, quia pro meritis Populi, aut in verbo, & opere potens à Deo tribuitur rector Ecclesiarum, aut si malignum faciat Populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ Iudex datur. sub quo famem, & sitim Populus patiatur; non famem panis, neque sitim aquę, sed famem ad audiendum Verbum Dei.* Ecce quod ipse Dominus Saulem in malum Regem propter Populi peccatū elegit. Quid mirum ergo si idipsum nescienter eligentes faciant, seducti propter peccatū Populi, quādo Dominus propter idem scienter malum Regem elegit? & ita Cardinales peccatis Populi excæcati, quandoque malum Iudicem Ecclesiæ eligunt, sub quo famem Populus patiatur, nec propter hoc crimino-

(a) *tom. 1. homil. 4.*

Digitized by Google

minosa est electio: sicut nec electio Christi Iesu. Ergo sẽper in omni Pontificia electione cũ Cardinalibus Christus concurrit, etenim cum ipsis, aut eligit, aut permittit malum Iudicem, saltem pro tempore, vt scribit Augustinus. (a) *Saul Rex, non ad permanendum electus est à Domino, sed secundũ cor Populi durum, & malum datus ad eorũ correptionem, non ad vtilitatẽ: secundum illam sententiam scripturæ, quæ ait de Deo:* Qui regnare facit Hominem hypocritam propter peccata populi. (b) *Cum ergo talis esset hic Saul, persequebatur Dauid, in quo Deus præfigurabat Regnũ salutis æternæ, & quem Deus elegerat permansurum in sensu.* Ecce quomodo nec Deus semper ad vtilitatem designat quos elegit, sed aliquando ad correptionem, & vt electus nõ semper permaneat, sed vt aliquando transeat. Ideo secundũ distinctas Dei electiones, eligentium mentes absque illorum culpa duci cõtingit ad eum quandoque eligendum, qui ad vtilitatem nõ permaneat, sed in foras sedeat ad iniustæ plebis correptionem.

267 De iure igitur Diuino, Sũmi Põtificis electio ad Cardinales spectare debebat, cum ipsorum ordo sit etiam de iure diuino, testatur *Sanctus Antoninus.* (c) Propterea subiungit noster Resolutus Doctor, *licet Episcopi, Archiepiscopi, & Patriarchæ maiores sint ratione ordinis Episcopalis; Cardinales tamen maiores sunt ratione iurisdictionis Papalis. Nam ex dignitate status sui, in iudicijs Episcoporum, Archiepiscoporum, & Patriarcharum corrigendorum, & causis tam fidei, quam morum, & in constitutionibus pro vniuersali statu Ecclesiæ condendis, immediatè assistere debent ipsi Sũmo Pontifici. .... ob hinc delinquẽtes in Cardinales, multipliciter puniuntur. Si quis enim Romanæ Ecclesiæ Cardinales fuerit insecutus hostiliter, vel percusserit, aut ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandauerit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, aut fauorem, aut posteà*

Aaa re-

(a) *Tom. 8 sup. Psal. 51.* (b) *Iob. c. 34.* (c) *P. 3. tit. 21. c. 1. & 2. in 4. q. 10. Prolog. ar. 4.*

receptauerit, vel defensauerit scienter, sicut reus criminis læsæ Maiestatis perpetuò sit infamis, & multis grauissimis pœnis puniatur.

CAPVT VI.

Non admittunt Aduersarij, Romanum Episcopum, Supremum totius Orbis Pastorem esse, ex eo quia ipsius Antecedanei ipsãmet auctoritatem in terris exercuerunt, cum ea non legitimè, sed imprudenter, & criminosè functi sint.

268 SIcut Græcorum, vt habetur in Vita S. Cyrilli (a) Constantinopolitani Carmelitæ, ita Hæreticorum mos est, si quando ad catholicas veritates labefactandas scripturis in numerato carent, ad blasphemias, & conuicia Ardelliorum more recurrere; quibus Doctores, & Sancti perperam inusti, eorum verò doctrinæ auctoritate, vt putant, per ipsos spoliatæ, nullam deinde apud cæteros fidem faciant, nihilque aduersus eorum dicta probare valeant. Propterea *Lutherus* anno 1520. non modò Epistolas decretales, & totum Corpus Iuris Canonici, cui ipsæ insertæ erant, ad infirmandam earum auctoritatem, publicè combussit, scribit *Cochleus* in eius vita, & meus (b) P. *Coriolanus* refert; Verum & Sanctos Pontifices Romanos, ipsorum Auctores (contra illud Deuteronomij 17. *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto Iudicis, morietur Homo ille, & auferes malũ de Israel.* Et illud Pauli ad Romanos 13. *Omnis Anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c. Itaque, qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit, qui autẽ resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*) blasphemijs non paucis, temerè impetiuit. Sed quo validius Doctores, & Sancti ab hostibus impetuntur, eo magis illustriores euadunt, & veritatem catholicam contestantur, sicut in sequentibus clarum fiet. Nam vbi ad expugnandam supremam in toto orbe terrarum Romani Epi-

(a) *Cap. 1. ad diem 6. Martij.* (b) *Summ. Concil. prælud. 7.*

Digitized by Google

piscopi auctoritatem, Diuos summos Pontifices Petri successores, quibus ipsa apertè probatur, contumelijs afficiunt, nihil probant, sed detectis calumnijs, magis ac magis catholica veritas roboratur, prout in vindicandis iniurijs Victori, Gelasio, & Gregorio Magno, (relictis alijs à nobis relatis in probatione cap. 6. q. 3. primæ partis) per ipsos inflictis, palam modo dignosci potest.

269 Victor Papa, inquiunt, cũ ob diuersam diei Paschatis obseruationem, totius Asiæ Ecclesias excommunicationi subiecisset, Irenæo tãquam malè auctoritate Pontificia aduersus supradictas Ecclesias vsus esset, acrius reprehenditur. Ergo ex talis potestatis vsu, vniuersalis in Romano Pontifice auctoritas nõ benè colligitur.

270 Respondetur. Hæreticos ipsos non facta referre mendacia, non enim humillimus Pater Irenæus, Victorem summum Pontificem reprehendit, eo quod auctoritate Pontificia malè vsus esset, sed enixè, & humiliter ab ipso petijt, vt pro sua humanitate, & charitate, ac etiam pro vniuersali pace Asiæ, Ecclesias toleraret, vsque dum ab errore, & Diaboli laqueis resipiscerent, & ab Ecclesiæ corpore non se præciderent. Venerabatur igitur Irenæus Pontificis potestatem, quam vti legitimã agnoscebat, & auctoritatem, qua idem Victor benè vsus fuerat, & habebat, tũ rebelles excommunicandi, tũ Concilia congregandi, ac res fidei declarandi. Pontifex autem, Irenæi supplicationibus annuere nõ potuit, siquidem, cum ex Pontificia tolerantia, noua semper excitarẽtur dissidia, nouæque hæreses exorirentur, nec Conciliorum auctoritate, aut Prælatorum monitis, proficeretur in melius; Victor tandem, rebelles ab Ecclesiæ Communione præcidit. Ecce Romani Pontificis super omnes Asiæ Ecclesias suprema auctoritas comprobata.

271 Gelasius Papa, subiungit *Vuitakerus*, (habetur enim Cẽturia 5. colũna 1262. aduersus cap. *Comperimus de consecrat.*) ordinauit integram

Digitized by Google

cænam sumenda m esse, vel ab ea abstinendum, nec vnam partem, altera relicta, accipiendam. Sed hoc negant Catholici; Ergo errauit Gelasius, & sicut in hac sanctione potestatem sibi arrogauit, ita etiam quandò de suo Primatu ad Episcopos scripsit.

272 Respondetur: Gelasium in illo Canone, loqui tantum de Sacerdote Sacrificante, qui ingens Sacrilegiũ committeret, si vnam tantum speciem sumeret, & incruentum Sacrificium iniuria afficeret, ipsum vtriusque speciei sumptione minimè perficiendo. Ergo Gelasius non errauit, & sicut in hoc Pontificia auctoritate benè vsus est: ita etiã & quando de suo Primatu ad Episcopos Lucaniæ, Calabriæ, & Siciliæ scripsit.

273 Gregorius Magnus, replicat *Caluinus*, (a) nõ modò ius corrigendi alias sibi vsurpauit, sicut omnibus patet; verum & Episcopũ Constãtinopolitanũ de mandato Imperatoris, & non de sua propria auctoritate iudicauit. Ergo Summus Pontifex non est Pater totius orbis, quia vt talis similẽ potestatem in eo exercuit, sed quia eam sibi arrogauit, & postea iniustè vsus est.

274 Respondetur: Bifariam Caluini temeritatem, in allato argumento ostensam, dupliciter detundi: primo, quia relato (b) *lib. 4. Instit.* Gregorium Virum Sanctum, & non alieni iuris raptorem, & vsurpatorem fuisse, ipsemet fatetur. Hæc autem duo, nempè Gregorius est Vir Sanctus; & Gregorius est raptor, & inuasor iuris alieni, valdè inter se pugnant. Ergo Caluinus se Vertumnum ostendit. Secundo: Gregorius nunquam ab Imperatore accepit auctoritatem, vt Episcopum Constãtinopolitanum iudicaret; sed Imperator eum esset ille corã ipso in iure vocatus, ne in alienam messem falcem immitteret, & alienum ius inuadere videretur, Constantinopolitanũ Episcopum, ad Gregorium, tanquam ad legitimũ Ecclesiasticorũ omnium Iudicem, statim remisit. Ergo Gregorius, nec ius corrigendi alias

(a) *Lib. 4. instit. c. 7. §. 12.* (b) *Cap. 7. §. 22.*

Digitized by Google

alias sibi vsurpauit, hec malè, sed legitimè, & rectè Pontificia auctoritate, tanquam Supremus omnium Pastor, in toto terrarū orbe vsus fuit. Sed

275 Contra, *Archiapostata Spalatrensis* inclamat.(a) *Vidi apertissimè*, inquit, *penitusq; perspexi, Romę absq; vllo fūdamēto*, nempè auctoritate, *immo per summam vim, innumeros fidei articulos nouos quotidiè cudi, & nobis obtrudi.* Ergo Romani Pontifices ius supremi Pastoris illegitimè sibi vsurparunt, & per vim ipso in toto terrarum orbe vsi fuerunt.

276 Respondetur. Si ipsemet Ecclesiæ Osor adamussim hæc verba perpenderet, forsan exhorresceret ad magnitudinem mendacij. Etenim temerè dicit, dogmata nullo fundamento subnixa, tanquam fidei articulos, quotidiè, multitudine innumerabilia Romæ cudi, & nobis per summam vim obtrudi; ex ipsa autem multitudine, nec quidem vnum profert, nec proferre potest articulum, qui non fuerit velut fidei dogma prioribus seculis receptus, vel Romæ cusus, à Pontifice simul cum Generali Concilio definitus. Sed

277 Contra, magis temerè prosequitur Archiapostata. Certum est, ait; *Concilia Sacra iamdiù Romanam Curiā compressisse, ac proinde Sanctæ Ecclesiæ oculos eruisse*. Sed hoc non nisi per vim, & vsurpando sibi auctoritatem. Ergo, &c,

278 Respondetur. *Spalatrensem Archiapostatam* apertissimè mendacia in medium afferre; nam si de Concilijs iam celebratis loquitur, omnibus notum est, Romanam Ecclesiam religiosissimè illa obseruare, eorumque obseruātiam sub anathemate, fidelibus mandare. Si verò loquitur de celebrandis, nonnè Concilia Dioecesana, Prouincialia, Nationalia, sæpissimè celebrantur? Quomodo igitur Romana Curia Cōcilia comprimit? Si de Concilijs generalibus tantum loquitur Aduersarius, nonnè Ecclesia Romana Tridentinā Synodum vltimò congregauit? facilè autem non est Concilia

(c) *Libel. de profect. sua pag. 15.*

Digitized by Google

cilia generalia congerere, nec quauis Hæresi exoriente necesse, vt scripsit Augustinus. Dolet Archiapostata, vt video, Pontificem sine Concilio, vt scribit Resolutissimus (a) *Bachonius*, eũ damnare posse: Innata Hæreticorum superbia hanc gloriam captat, vt in eorum causa Concilia conuocentur; sicut de Pelagianis lib. 4. aduersus duas Epistolas Pelagianorum cap. 13. scribit lumen Ecclesiæ Augustinus. *Orbem Catholicum*, ait, *quem Domino ijs resistẽte, peruertere non possunt, saltem commouere conantur.* Ergo verum non est, Curiam Romanam Concilia compressisse, aut vim alicui intulisse, vel ius sibi vsurpasse, sed tamquã Supremi Pastoris ministram, in toto terrarum Orbe se gerit. Sed

279 Contra in medium saltat Lutherus *Adhuc*, inquit, *non inuenitur Ecclesia ad omnes Mundi angulos penetrasse, nec ad omnes homines peruenisse.* Ergo non est totius Orbis Pastor, eius Episcopus.

280 Respondetur: Sanctam Ecclesiam, iuxta illud Psalmi (b), *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ*: ad omnes mundi angulos penetrasse, & ad omnes etiam Homines peruenisse, testatur Eusebius Cæsariensis, his verbis. (c) *Sancti Apostoli Saluatoris nostri, cæterique Discipuli ad prædicandum verbum Dei per singulas quasque Orbis terrarum Prouincias dimittũtur.* Sicut ex sequenti partium totius Mundi enumeratione, palam constabit. Illas tamen Prouincias primò enumeramus, quibus Sancti Apostoli interfuerunt. Etenim facta post Pentecosten ipsorum diuisione, de qua antiquitus, tesse (d) *Lezana*, Carmelus festum solemne ob suorum Elianorum commemorationẽ celebrare solebat: Petrus Princeps Apostolorum, in Iudæa, Cappadocia, Ponto, Asia, & Bythinia, Iesu Christi Euãgelium disseminauit. Andreas verò in Scythia, Græcia, Epiro, Galatia, Bythinia, Ponto Euxino,

(a) *In 4. q. 10. Probat. 2.* (b) 18. (c) *Histor. Eccles. lib. 3. c. 1.* (d) *Tom. 2. Annal. ad. an. Christi 36. n. 21.*

Digitized by Google

xino, Oris Septentrionalibus, Tracia, Macedonia, Bizãzio, & Æthyopia. Iacobus in Iudæa, & in Hiſpania, ſimul cum Elpidio Eliano, ſicut ex fragmentis Luitprandi, (a) *Thomas de Vargas*, ita refert S. *Elpidius, quem Sanctus Iacobus præfecit Toletanis primũ Pontificem, Carmelita Monachus fuit, in prima Petri concione conuerſus ad fidem.* Ioannes verò Euangeliſta, in Aſia minori, Parthia, & India, apud Epheſum tandem commoratus, & defunctus. Bartholomæus, in Armenia maiori, & India citeriori. Matthęus in Æthiopia, Parthia, & Aſſiria. Philippus in parte ſuperiori Aſię, Scythia, Galatia, & Phrygia. Simon in Meſopotamia, Perſide, Ægypto, Africa, & Brittania, ex Dorotheo in Synopſi. Thadæus in Meſopotamia, Arabia, & Idumæa. Thomas in Parthia, Media, Perſia, India, Æthiopia, & Tropobana. Matthias, in Iudæa, & Æthiopia. Iacobus Alphæi, à Iudæa non diſceſſit, cum Hieroſolymorum extiterit Epiſcopus, ſed ibi Dei Euangelium prædicauit. An verò Apoſtoli in tali munere Elianos habuerint Coadiutores, ſic ſcribit Ioſephus Antiochenus. *(b) Perfectorum militum Chriſti, Apoſtolorum Coadiutores, ſurrexerunt ſtrenuiſſimi Viri ſolitarij, contemplationi dediti, Sanctorum Eliæ, & Eliſei imitatores, qui de Monte Carmelo deſcendentes, per Galilęam, Samariam, & Paleſtinam, Chriſti fidem conſtantiſſimè ſparſerunt.*

281 Nec poſt Apoſtolos Viri Apoſtolici defuerũt, qui per vniuerſum Mundum Eccleſias fundarent, ſed innumeri extiterunt, quorum Catalogum longum eſſet hic recenſere: Sicut difficilè ſingulas Orbis Plagas excurrere, vbi, ipſis auctoribus, Euangelium ſuum ortum agnoſcit: præcipuas tamen referemus, & primo

282 Africa, vt in ſua Epiſtola ad Decennium S. Innocentius Romanus Pontifex ſcribit, per Apoſtolicos Viros à S. Petro miſſos, ad Catholicam fidem conuerſa, adeò in ipſa profecit, & excreuit, vt tem-

(a) *In ſua Bibliot. tit. 101.* (b) *Spec. perfect. milit. primit. Eccl.*

Digitized by Google

tempore D. Augustini, prout (a) *ipsemet refert*, quadrigentę, & sexaginta sex ibi essent Sedes Episcopales Catholicæ, & centum quinquaginta nouem Donatistarum: ex quo conijcere licet Ecclesiæ Romanæ amplitudinem, quæ adhuc inter sæuas persecutionum procellas, quando totus Mundus Arianus videbatur, Hæreticorum Ecclesias superabat.

283 De magno Abyssinorum Imperio, & qui interiorem Æthyopiam incolunt, nil minus dixerim; Etenim ipsos tempore Apostolorum, Æthiops Candacis Reginæ Eunuchus à Philippo baptizatus, ad fidem Christi conuertit, testatur Eusebius, his verbis; (b) *Verum per dies singulos augescẽte prędicatione Verbi Diuini, per Dei prouidentiã ex Æthiopiæ regionibus adest quidam Reginæ gentis illius Prępositus. Huic Philippus primo ex omnibus Gentibus mysterium fidei, & Sacramentum baptismatis tradidit. Hunc opinio tenet ad Patriam terrã regressum, scientiam Dei summi, & Saluatorem Domini nostri prædicationem indigenis gẽtibus, sicut sibi tradita fuerat prędicasse. In quo rebus ipsis completa est per eum Prophetia, quę dicit: Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Et quãuis Æthiopica Ecclęsia per multos annos propter Dioscori, & Eutichetis errores à Sanctæ Ecclesiæ Romanæ cõmunione diſiũcta fuerit; Anno tandem Salutis nostræ 1595. Clemente VIII. Pontifice, Ecclesia Alexandrina, vna cum suo Patriarcha Gabriele, eiuratis erroribus, & ferali Schismate profligato, simul cum ipsa, ab eodem Pontifice in communionem Ecclesiæ Catholicæ recepta est.

284 De insigni propagatione Christianæ fidei in Congo, Ialophij, Nigritis, Senaga, Tungubutu, Mandinga, Manicongo, Sofala, Inhambana, Monotapa, Mohambique, Madegostar, Quiloa, Melinde, Magadoxo, & totis littoribus Africæ, atque adiacentibus Insulis per Fratres minores, Prædicatores, Carmelitas Excalceatos, Iesuitas, aliosque

(a) *Ereuicul. collat. primi diei c.* 14. (b) *Lib.* 2. *c.* 1.

Digitized by Google

que mirificè peracta, longum esset cuncta enarrare. Qui hoc vero scire desiderat, *Hieronymum Osorium*, de rebus Indiæ à Lusitanis gestis, copiosè scribentem, P. *Vincentium Mariam* à S. Catharina Senensi, Carmelitam Excalceatum, *lib. Viaggio all'Indie Orientali lib.* 4. & 5. cæterosque alios, præsertim Petrum Mosseium consulat; & hæc de Africa.

285 De Asia vniuersa, nemo ambigit. De Persia vero, tempore Magni Constantini, hæc in eius vita Eusebius prodit. (a) *Cum accepisset Cõstantinus, apud Persas frequẽtes esse Dei Ecclesias, & infinitum penè Populum Christi gregibus contineri: non mediocri ex hac fama affectus voluptate, vtpotè quem communis quædam omnium cura tangeret, de his etiam sollicitus erat.* Clemens autem VIII. anno 1604, nostros Patres Excalceatos ibi misit, litteris datis ad Scichabam Regem; quæ inter alia verba, hæc continent. *Habuerunt olim Religionis huius Professores, sicut à Romanis Pontificibus, Prædecessoribus nostris memoriæ productum est, sui instituti Auctores, Sanctos Prophetas Eliam, & Elisæum, omnibus gentibus, & nationibus notos.* Vnde ab ipso Rege humaniter excepti, plura Cœnobia, non modo in Persia; verũ vsque Arabiam in Ciuitate Bassoræ condiderunt, in quibus religiosè viuendo, multos vsque ad præsentem diem fide Christiana erudiunt, pluresque in gremium S. Romanæ Ecclesiæ perducunt. Consule supradictum Patrem Vincentium Mariam à S. Catharina Senensi, superius relatum lib. 1. c. 19. in fine.

286 *Arabes* quoque, vti scribit (b) *Sozomerus*, fidem Christi etiam susceperunt, sicut Ormutium, Guinea, ac tã Regna Nigrotorum, quàm Indiarum, Cheul, Dabul, Beuda, vsque Goam. Item Narsingæ, & Melabari, ad quas Regiones pro extirpatione schysmatis anno 1654. exorti, nostri P. *Ioseph à S. Sebastiano* Episcopus Hierapolitanus, & suprarelatus *P. Vincentius Maria*, à Summo Pontifice

(a) *lib. 4. c. 8.* (b) *lib. 6. c. 36.*

Digitized by Google

Alexandro VII. missi fuerũt. Extenditur pariter Christiani hominis Religio ad Reges Honori, Becacalæ, Otisę, Deli, Cananôri, Colochi, Corchimi, Coluai, Insulæque Sylanei, & vltra Gangem, per Regna Becallę, Peguæ, Scani, per Magnam Malachiæ Ciuitatem, Insulamque Sumatram, in cuius Metropoli, Achem nuncupata, vnus noster Carmelita, Martyr egregius, vitam pro Iesu Christo profudit: supradictus(a) P. *Vincentius Maria* testatur Item ad Iauam quoque Minorem, & Maiorem, nec non per Insulas Iapponiam Borneum, Celibes, Moluccas siue Philippinas.

287 De admirabili *Armeniæ*, eiusque Regis Tyridatis conuersione, per Sanctum Gregorium Magnæ Armeniæ Episcopum, Miraculis innumeris nobilitata, scribit etiam suprarelatus(b) *Sozomerus*. In ea autem Asiæ parte, quæ respicit Austrum, Anthiochia est, vbi primo Christi Discipuli dicti fuerunt Christiani. In ea porro, quæ est versus Occasũ, includitur Cæsarea, vbi *Cornelius Centurio*, Vir Religiosus, à S. Petro eius *Episcopus* institutus fuit. Pars, quæ respicit Orientem, includit Cappadociam, Armeniam &c. sicut dictum est. Pars tandem, quæ respicit Septentrionem. Schytas, Alanos, Hunnos, & Tartaros in se continet, qui etiam ad Christi fidem conuersi fuerunt. Et hæc sint satis de Asia.

288. Ad Europam nũc deueniamus, & vt par est, primo ad *Italiam*; in cuius Vrbe Romana, Gentium Regina, mundi Cæphala, ac omnium gentium Domitrice, Princeps Apostolorum *Petrus*, & *Paulus* Doctor gentium, Euangelium prædicarunt. In *Calabria* Paulus Apostolus *Rheginis*. *Marcus* Euãgelista Coriolanensibus & Argentanis. *Dionysius Areopagita* Cotronensibus, fidem Catholicam euangelizarunt. *Hispania* autem Ecclesiarum suarũ fundationem per Iacobum, & Paulum profert, vt tradunt *Chrysostomus* homilia 7. de Laudibus Pauli; *Cyrillus* noster Hierosolymitanus in *Cathechis.* 17. & Athanasius in Epistola ad Dracontium.

289 Gal-

(a) *ibid. lib.* 1. *c.* 38. *circ finem pag.* 130. (b) *lib.* 2. *cap.* 7.

Digitized by Google

289 Gallia verò, per *Maximinum, Lazarum, Dionysium Areopagitam, Martialem, Crescentem, Eutropium*, cæteroſq; alios Apoſtolorum Diſcipulos, Euangelium ſuſcepit. Sicut *Brittania* à Ioſepho ab Arimathia, Auguſtino, eiuſq; Socijs. Hiberni, & Scoti, licet Conſtantini Magni opera, fidei Catholicæ prædicationē audierint; ad tollendum tamen Pelagianorum errorem in Scotia tunc pullulantem, illis *Palladius Græcus Carmelita*, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus, à Cęleſtino Papa, anno 429. mittitur, propterea Scotorum Apoſtolus à *Nicolao Harſemio, & Ioanne Balęo* (a) Apoſtata nūcupatur. *Palladius Græcus*, inquit Harlemius, *primus Scotorum Apoſtolus, Ioannis 44. Hieroſolymorum Epiſcopi Diſcipulus olim fuit, dum adhuc Eremi cultor, ſolitaria Syriæ loca, potiſſimè Carmelum, incoleret, &c.* Deinde Illiricis *Paulus, & Hermagoras* D. Marci Diſcipulus, Euangelium annunciarunt. *Dalmatis Titus*: Slauis, *Croatis*, affinibuſque *Cyrillus, & Methodius*: Hungaris, noſter *Sanctus Gerardus* martyr, Canadienſis Epiſcopus, dictus Hungarorum Apoſtolus; ſicut Carmelus ad diem 24. Septembris de eo ſolemne celebrat officium. *Germanis*, Canonis Papæ induſtria, *Chilianus, & Bonifacius* Magontinus Epiſcopus. *Morauis Cyrillus, & Methodius*. Pruſſis, *Adalbertus*: Pomerianis *Otho* Bambergenſis. *Saxones* ſub Carolo Magno fidem Chriſti ſuſceperunt. *Ruſſi Moſcouitæ*, ſub Baſilio Imperatore. *Cumani*, Iuſtino Imperante, proprio ſanguine Euangelium obſignarunt. *Poloni*, à ſuo *Michiſlao Principe*, ijsdēq; procuratoribus *Pruſſi, Lithuani*, & Samogethi, Religione Catholica ſunt inſtructi. *Daniæ, Suetiæ, & Gothiæ*, Hamonogentium Epiſcoporum labore, Chriſto nomen dedere. Item *Norvegia* opera Adriani Quarti Summi Pontificis: ſicut & alij *Boreales* termini per Euangelicos verbi Dei Prædicatores, Bernardum Anglum, Pappum, Leuiſcum, & Gerbardum Chriſti

(a) *Centur.* 14.

Digitized by Google

fidem susceperunt. Hæc de Europa.

290 De *America* tandē, quarta Orbis parte, aliqua etiam dicere licebit. Ipsa enim, quæ diù toti Mundo iacuit ignota, immenso tamen Castellanorum, & Lusitanorum labore nūc reperta, adeò Iesu Christi Euangelium (pietate, & industria Catholicorum Hispaniarum Regum, & peculiari Summorum Pontificum vigilantia) per Religiosos (a) *Prædicatores*, *Minores*, *Augustinianos*, *Carmelitas*, *Iesuitas*, cæterosque alios susceptit, vt fructum centuplū per Sanctos suos afferat Domino. Etenim in Perù, Cusco, Mexico, Chile, Brasilio, cæterisque alijs eius Regnis, Insulisque adiacentibus, Cathedrales, Monasteria, Confraternitatum Ecclesiæ, Collegia, Studia, &c. more Romano erecta sunt, in quibus eius Nationales Deo famulantur, & veritatem Catholicam prosequuntur; quinimmo suprædictorum mendacium Patrū integræ Prouinciæ, quæ, & eorum Prouinciales religiosè regūntur, augumentantur, & gubernantur.

191 *Conueniant nunc hic omnes Hæretici*, inquit noster Sylueria: (b) *Quanam Ecclesia, quanam fides, ac doctrina totum adimplet Orbem, per omnes Mundi partes apud remotissimas nationes; Græcos, Armenios, Sinas, Indos, Tartaros, Persas, Æthiopes Turcas Brasilios, Mexicanos, Peruanos, &c. Quanam doctrina prædicatur, & colitur, & obseruatur, nisi tantum fides Catholica Romana? omnibus in his locis reperiuntur Templa more Romano, Altaria, Imagines Christi, ac Sanctorum, qui mirificè coluntur, ac venerātur, celebratur Missa, administrantur Sacramenta, & doctrina Ecclesiæ Romanæ obseruatur. Numquid apud has remotas Nationes auditur Lutherus, Caluinus, & eorum Sectatores? minimè sanè; Ergo solum fides, quam profitetur Ecclesia Romana, est vera fides, & vniuersalis: Hæreticorum autem in vno angulo terra*

(a) *Boterus lib. 3. par. 4. fol. 554.* (b) *opusc. 2. resolut. 30. de notis Eccl. q. 4. num. 24.*

Digitized by Google

ra falsa, & Diabolica. Solam ergo Ecclesia Romana cum totum Orbem adimpleat, vt sibi proprium retinet hoc nomen Catholica, idest vniuersalis; iure optimo igitur eius Episcopus, totius Orbis Summus Pontifex est.

CAPVT VII.

Deluò Hæretici deliranr, Concilia generalia, cum ex se sint fallibilia, numquam certo nobis Supremam Romani Pontificis auctoritatem testari posse.

292 HOrum damnatorum Hominum signiter est Vuiteleph us, ita perfidè Conciliorũ auctoritatem blasphemans. (a) *Concilium Apostolorum tanto credi debet, quanto creditur, quod Spiritus Sanctus eorum sententiam confirmauit. Sed cum multi concurrentes ad modernum Concilium, vt plurimum Apostatę stolidi, & ignari sunt; blasphema foret lex, vel regula, quę dictaret, quod generaliter standum, & credendum est iudicio maioris partis.* Ergo Concilia fallibilia sunt, & nihil certo de potestate Papæ determinate possunt.

293 *Respondetur.* Pontra similem Vuitclephi hæreticam temeritatem, Christum Veritatem Infallibilem ita decernere. *Vbicumque sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Spiritus autem Sanctus, numquam Christo deest, quia vt ait, *ipse testimoniũ perhibebit de me.* Ergo in Concilio adest Spiritus Sanctus, suggerens, docens, & confirmans illos, & veritas hęc à nemine, nisi ab illis negari potest, Bernardus scribit, (b) *Qui zelũ Dei habẽt nõ secũdũ scientiam, sed errorem suum sequentes, & obstinati, vt nullis velint consilijs acquiescere: Hi sunt vnitatis diuisores inimici pacis, & charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, & quæ maior superbia, quam vt vnus Homo toti Congregationi iudicium suum præferat, tanquam*

(a) *par. 2 serm. serm. 45.* (b) *Serm. 3. de temp. resurre.*

Digitized by Google

quam ipſe ſolus habeat ſpiritum Dei? Idolatriæ ſcelus eſt nolle acquieſcere, & quaſi peccatum bartolãdi repugnare. Eant nunc, qui ſe faciunt religioſores alijs: ecce barioli, & idolatriæ facti ſunt, ſi nõ ei, qui dixit, hoc pluſquam ſibi iudicant eſſe credendum. Neque huic diſſonat veritatis ſermo, ſi Eccleſiã non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Fuge hinc, ſubiungit Vualdenſis, ò mi Vuitcleph: (a) *Aut Bernardus te percutiet, quia tu vnus Homo toti Congregationi Synodi maioris. Eccleſiæ iudicium tuum præfers, quaſi tu ſolus Spiritum Dei habeas, cũ cæteris, quæ ſequuntur, aut in quo calumniaris Concilium.*

294 In hoc proſequitur Vuitclephus; *Quia maior pars talium Apoſtatarum de facili hæreſi & deſtructioni Eccleſiæ conſentiret. Ideo ſicut Religioſiarchæ noſtri ad Chriſtum in conſtituendo ſuos ordines non poſſunt attingere, ſic vocati Apoſtolorum Vicarij, ratione ſuæ conuerſationis peruerſæ, Apoſtolos ipſos in ſuis Concilijs non poſſunt attingere. Ideo blaſphema eſt lex, vel regula. Quod ſi maior pars talium ſententiæ cuicumque conſenſerit, tunc eſt vera, laudabilis, aut tenenda. Sed quo eo magis omni Catholico reuerenda peccauit ſcimus Ariminenſe Concilium: peccauit, & Nicenum, Concilium Thraciæ.*

295 Reſpondetur cum eodem *Vualdenſe*. Peccauit magnus Exercitus Angelorũ, peccauit etiam in Apoſtaſia poſt acceptam fidem ſacer numerus Apoſtolorum, nec tamen ideo Angelorum reliquorum chorus ſua felicitate, nec Apoſtolorum Conuentus principalitate Eccleſiæ; nec certè regularitèr Concilium generale auctoritate ſua priuatur; Auguſtinus enim dicit: *Illa quæ non ſunt ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quę quidẽ toto terrarum orbe ſeruatur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs Concilijs, quorum eſt in Eccleſijs ſaluberrima auctoritas commendata, & ſtatuta retineri.* Ecce Auguſtinus dicit plenariam auctoritatem Conciliorum in Eccleſijs ſaluberrimam eſſe,

per

(a) to. 1. *lib.* 2. *ar.* 1. *c.* 26.

Digitized by Google

per quam cõmendata, & statuta tenentur. Ergo Concilia certè de auctoritate Papæ statuere possunt. Fauet huic veritati Origenes, cum asserat, quod multorum sententia, aut concursus in vna re, multum valet. (a) Paulus, inquit, *in quibusdam Epistolis aliorum vocabula secum iungit, & dicit. Paulus, & Sosthenes frater: & alibi. Paulus, & Siluanus, & Timotheus, puto non inaniter factum, sed per hoc ostendit, quia duobus, vel tribus in vno positis, Spiritus Sanctus vnum de eis sensum, atque vnum elicuerit sermonem; vt qui Ecclesiam docere cupiebant, vnum dicere, vnanimes omnes, atque vnum sapere demõstrarent: & vno ore honorificent Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Vnum namque os dicitur, vbi vnus, atque idem per diuersorum ora sonus, & sermo procedit.* Et ob hanc rationem Augustinus dicit, Cyprianum cum pleno suæ Prouinciæ Cõcilio, generalis Concilij determinationi cedere voluisse; nec se quidquam posse, quod vniuersali auctoritate non sit firmatum, (b) *nec nos ipsi tale* (prosequitur Augustinus) *quid auderemus asserere, nisi vniuersali Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui, & ipse sine dubio cederet, si iam illo tẽpore quæstionis huius veritas eliquata, & declarata per plenarium Concilium solidaretur. Si enim Petrum laudat, & predicat ab vno posteriore Collega patienter, concorditerque correctum, quanto ipse citius cum Concilio Prouinciæ suæ vniuersi orbis auctoritate patefacta veritati cessisset?* Nimis ergo superbit Vuitcleph, replicat Vualdensis, (c) *si auctoritati generalis Concilij non dignatus obedire, resultet, cui Augustinus, & Cyprianus cum omni suo Cõcilio patefacta veritate cessissent?* Quomodo ergo præferri se Vuitcleph? quo superuolat Sãctum Paulum, *qui nec vna causa, nec alia dicit conuocandum Concilium sed ipsi videtur sufficiens iudicium proprium in scripturis cum impulsu spiritus hæretici?* Sed *& si decet satis impulsus vnius Spiritus*

(a) *lib. 10. super Epist. D. Paul. ad Rom. ad c. 15.* (b) *tom. 7. lib. 2. de baptis. c. 4. contra Donatistas.* (c) *ibid. super n. 7.*

Digitized by Google

tus, vnum singulariter, quomodo vnus communis omnium impulsus in Generali Concilio non satis docebit eundem? sed verè magis optat, non idipsum sentire omnes, & vnumquemque ambulare in prauitate cordis sui. Audi Doctor diuisionis, & non pacis, Ezechielem inculpare eos, qui ambulant in voluntate cordis sui. Va bis, qui prophetant de corde suo, qui ambulant post spiritũ suũ. Sed

296 Contra repetit (a) *Lutherus*. D. Petri decretum in Apostolorum Concilio latum, quod Gentiles ad legalẽ obseruantiam cogi non deberent, fuit verum; eumque D. Paulus in Epistola ad Galatas defendit, & testatur. Sed tale Decretum à D. Iacobo reprobatur, & suum, ne gentes iudaizarent, iubens eos à sanguine, & suffocato abstinere, fuit à Concilio approbatum. Ergo si Concilium tunc erravit, dum gentes iudaizare permisit; multò magis alia Cõcilia errare possunt circa auctoritatem *Papæ*.

297 Respondetur. Decretum allatum D. Petri; à Iacobo approbatum fuisse, sicut ex illis verbis, *Tacuit autem omnis multitudo*, Sylueira noster ita refert, (b) *Petrus, vt Princeps omnium, & Supremus Iudex quæstionem definit; ac decidit, cuius sententiam mox Iacobus Apostolus, ac cæteri omnes approbãt, & sequuntur; sicut* D. *Chrysostomus, Hieronymus, & Theodoretus notarunt*: sed quia sanguinis, & suffocati comestio, scandalum Iudeis esse poterat, si Gentiles sanguine, & suffocato vesci vidissent, vel carnibus immolatis, à quibus ipsi rigorosè abstinebant: vt pax, & concordia inter has duas nationes, ex quibus Ecclesia tunc congreganda erat, Iudeos nempè, & Gentiles conuersos, omnino seruaretur: (sicut ex verbis Iacobi desumitur. *Ego iudico nõ inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum.* Arias legit, *non turbari eos.* Syriacus verò, *non esse confundendos.*) Ad preces Iacobi, executio Decreti Petri dilata fuit, vsque dũ Ecclesia cresceret, & ex Gentilibus, & Iudæis coalesceret; quo peracto sicut finis legis, ita & lex ipsa cessauit.

Non

(a) *in assertionib. c. 29* (b) *Act. Apost. c. 15. expos. 2. n. 15.*

Digitized by Google

Non ergo tunc Concilium errauit, nec sequentia alia Concilia circa Papæ auctoritatem, & cætera omnia ab eis legitimè sancita. Sed

298 Contra iterum replicat *Lutherus*. (a) Concilium Nicenum in uno canone sanciuit: Hæreticos Caulinianos redeuntes ad Ecclesiã, rebaptizãdos esse. Sed hoc est contra fidẽ, quia *vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*. Ergo sicut Concilium Nicenum in hoc errauit, ita etiã in auctoritatis Papæ contestatione errare potest.

299 Respondetur. Cum Cauliniani nõ in nomine Trinitatis baptizarent; quia ipsã negabant, & Christum purum hominem esse asserebant; eorum baptisma validũ nõ erat, nec baptizabãt; quia baptismus *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sãcti*, ex Christi institutione fieri debet; Propterea ad Ecclesiam redeuntes, erant rebaptizandi; Hoc autem iterum baptizare non erat, sed propter baptismi pauliniani inualiditatem, primum baptizare. Igitur in hoc Concilium Nicenum non errauit, nec etiam in cæteris alijs suis legitimis statutis. Sed

300 Contra iterat *Lutherus*; & cum eo Brentius, & Hamelmannus. In supradicto Concilio Niceno militia dãnatur, eamque suscipientibus pœnitentia iniungitur. Sed in Scriptura Luc. cap. 3. à Ioãne Baptista tanquam licita approbatur. Ergo in hoc errauit Concilium, & ita etiam &c.

301 Respondetur. Concilium damnare militiam, eãque suscipientibus pœnitentiã iniungere, non quia militia ipsa secundum se sit mala, sed quia tunc militiæ cingulus militibus hac conditione dabatur, vt Idolis immolarent; sicut lib. 10. histor. scribit Ruffinus, (b) referens Iulianum mandasse, *quod militiæ cingulus nemini detur, nisi immolantibus*, & cum ipse cingulus res maximi honoris esset, vt Eusebius refert: (c) *Item militares solos parua ignis scintilla inflãmauerat cum delegerent si qui essent inter milites Christiani, aut immolandũ sibi scirent, aut militiam pariter, vi-*

Ccc tam-

(a) *lib. de Concil. par.* 1. *pag.* 92. (b) *c.* 32. (c) *hist. Eccl. lib.* 8. *c.* 4.

Digitized by Google

tamque ponendam: plurimi ex ipsis militiam pro fide Christi, pauci etiam animas posuere. Plurimi, suadente Diabolo, & ambitione ebulliente, talis cinguli militaris honorem affectabant, & Idolis sacrificabant: Concilium autem tanto malo occurrens, pœnam pro talibus constituit, eisque pœnitentiam iniungit. Ergo ipsum in hoc non errauit, sed potius, sicut & in cæteris, bene sanxit.

302 Contra post Lutherũ subnectit *Caluinus.* (a) Secũda Synodus Nicena, definiens cultum, & venerationem Sacrarum Imaginum, destruit Decreta generalis Concilij Constantinopolitani, celebrati tempore Cophronymi Imperatoris; Ergo vel illud Concilium, vel ista secunda Synodus errauit; sicque Concilia fallibilia sunt &c.

303 Respondetur. Secũdam Synodum Nicenam, nullius generalis, & legitimi Cõcilij Decreta destruere; siquidem Concilium illud Constãtinopolitanum sub Constantino Pophronymo, nec generale, nec legitimum fuit, cum in illo nec per se, nec per legatos Romanus Pontifex interfuerit, nec Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Quale ergo generale Concilium esse poterat sine Orientis, & Occidentis Episcopis, sed cum quibusdã tantum ab Aquilone missis, *à quo pãditur omne malũ?* Quale Concilium legitimum, si eius Decreta non sunt à Romano Pontifice confirmata? Ergo secunda Nicena Synodus nulla Decreta generalis Concilij destruit, & per consequens non errauit. Sed

304 Cõtra subiũgit *Caluinus*. Gregorius Nazianzenus in epistola ad Procopium, Concilia his verbis detestatur. *Ego si vera scribere oportet, ita animo affectus sum, vt omnia Episcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem lætum, fauſtumque vidi, nec quod depulsionem malorum potius, quam accessionem, & incrementũ habuerit.* Ergo Concilia mala sunt, quia fallibilia.

305 Respondetur primo. Na-

(a) *lib. 4. instit. c. 9. §. 9.*

Digitized by Google

Nazianzenum in allata Epistola ad Procopium, loqui de Concilio illegitimo: Siquidē eius ætas incidit inter primū, & secundum Concilium: quo tempore multa celebrata sunt Concilia, quæ propter frequē. tiam Episcoporum Arianis fauentium, infelicem habuerunt exitum; propterea desperat Nazianzenus (sicut Basilius Epistola 52. ad Athanasium) tunc posse congregari Concilium legitimum.

305 Respondetur secundo, negando consequentiam, & ad supradictam Epistolam Nazianzeni, iterum dico; ipsam fuisse responsuam Procopij, per quem Imperatoris nomine, non vero Papæ ad quoddam Concilium vocabatur: & cum neque conuenire vellet, neque posset, duplici ratione se excusat. Primo, quod grauissimo morbo detineretur, & quotidie se morituum putaret. Secundo, quod illius tempestatis infelicitas, nullum legitimum Cōcilium ex omni parte patiebatur iniri propter multitudinem Hæreticorum, vt supra diximus. Propterea desperans S. Episcopus legitimum eo tēpore Concilium se visurum, relata verba scripsit, non de legitimis generalibus Concilijs à Papa indictis, sed de Conciliabulis intelligens.

306 Contra. *Leo Papa* epist. 53. 54. & 55. agnoscit Concilium Chalcedonense legitimum, & tamen ambitionis, & inconsultæ temeritatis illud arguit. Ergo licet Concilium sit legitimum, potest tamen errare, & esse fallibile.

307 Respondetur: legitimum Concilium in eo posse errare, quod non sit legitimè. Decretum autem reprehensū à Leone, vt patet ex vltima Actione eiusdem Concilij, editum fuit absentibus Legatis Papæ; propterea illegitimè in Epist. 61. eiusdem Leonis declaratur.

308 Contra. In omni cætu multitudinis sæpè accidit, vt maior pars vincat meliorē. Ergo in legitimis Concilijs Ecclesiæ, vbi definiuntur omnia ad plura suffragia, facilè fieri poterit, vt contingat error.

309 Respondetur, Antecedens verum esse in cætibus

Digitized by Google

humanis, non autem absolutè in Concilijs legitimis Ecclesiasticis, quibus Papa cum Spiritu Sancto præsider, etiam secundũ Caluinũ, lib. 4. instit. c. 9. §. 1. *Porro hoc est Christi ius*, inquit, *vt Concilijs omnibus præsideat, nec sociũ habeat Hominem in ista dignitate.*

310 Contra, replicat (a) *Archiapostata Spalatrensis.* Omnes Episcopi diuisiuè sumpti, possunt errare. Ergo etiam simul congregati, idest collectiuè. Probatur cõsequentia, quia talis Conciliaris Cõgregatio in vno loco, non reddit Episcopos indeuiabiles à fide, seu inobliquabiles; Sed modo sunt diuisi. Ergo si ita possunt errare: ita & vniti.

311 Respondetur, negando consequentiã. Ad probationem verò distinguo antecedens: Cõciliaris Congregatio non reddit Episcopos indeuiabiles à fide, vt Causa efficiens, concedo. Vt conditio, nego antecedens. Spiritus Sanctus enim reddit Episcopos indeuiabiles, seu inobliquabiles à fide. Verum ipse Sanctus Spiritus hanc inobliquitatem Episcopis, nisi in vnum Summi Pontificis auctoritate congregatis, non tribuit. Quapropter in vnum locum Congregatio, tanquam conditio exigitur, ad hoc vt Spiritus Sanctus inobliquitatem tribuat. Exemplum est de die Pentecostes, in quo Spiritus Sanctus, tanquam conditionem requisiuit, vt Apostoli in Cænaculo essent in vnum simul cum Discipulis congregati, ad hoc vt super illos descenderet, suaque dona, præsertim indefectibilitatis à fide, super illos effunderet. Rationem autem ita Bernardus adducit. (b) *Quia vnione animi Deus plus diligitur.* Propterea ait noster Sylueira in eumdem locum Pentecostes. (c) *Venit Spiritus Sanctus, non super tres, sed super omnes, qui erant in Cenaculo, ferè centum viginti, ad ipsos illustrandos, ac illuminandos, & per ipsos totum mundum.* Sed

312 Contra, insurgit denuo *Caluinus*; Promissio Spiritus Sancti, eiusque assistentia non

(a) *De Republ. Christ. lib. 7. c. 3. n. 9.* (b) *Lib. de modo viu. serm. 41.*
(c) *Act. Apost. c. 2. q. 4. n. 27.*

Digitized by Google

(a) *non minus in particularem, quemuis Cætum competit, quã in Concilio vniuersali*. Ergo vniuersalis Congregatio non est conditio indefectibilitatis à fide.

313 Respondetur, negãdo consequentiam, & rationẽ negationis Concilium Chalcedonense sic profert. (b) *Si Dominus duobus simul Episcopis promisit se interesse* (vbi sunt duo, vel tres in nomine meo congregati; ibi in medio eorum sum) *quanto magis plurib̃us?* Sicut etiam Cælestinus Papa allatum scripturę locũ expendens, ita contestatur. (c) *Spiritus Sancti præsentiam testatur Congregatio Sacerdotũ. Pertum est enim, quod legimus, quia nec potest veritas nostra mentiri, cuius ista sententia est: Vbi duo, vel tres Congregati fuerint &c. quod cum ita sit, si nec huic tam breui numero Spiritus Sanctus deest, quanto magis eam nunc interesse credemus, quãdo in vnũ conuenit tãta turba Sacerdotum?* Huic veritati noster Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in explanatione Symboli Niceni circa initium, etiam adstipulatur. Sed

314 Contra, iterum repetit (d) *Spalatrensis*. Patres in Concilio congregati, non faciunt rem de fide per sua Decreta; Sed tantum id, quod est de fide, declarant. Ergo non in ipsis est infallibilitas, sed in veritate, quam ponunt. Ergo &c.

315 Respondetur distinguendo antecedens. Ipsi in se Patres rem de fide non faciũt, quia ipsa res iam de fide est, concedo. Quoad nos ipsam rem de fide non faciunt, nego. Etenim res illa, quę in se de fide erat, à Patribus in Concilijs declaratur, explicatur, & in lucem producitur, non quidem simplici manifestatione veritatis, sed auctoritatiuè mandando, & decernendo, eam rem esse de fide tenendam. Vnde rem non de fide, non faciunt de fide, sed rem de fide, esse talem declarant, & talem iubent tenendam esse, cum ad ipsos veritatis declaratio, & manifestatio

(a) *Lib. 4. instit. c. 9. §. 2.* (b) *Act. 10.* (c) *Epist. 7. ad Concil. Ephes.*
(d) *Ibid. n. 9. & 10.*

Digitized by Google

tio pertineat, in qua donum indefectibilitatis à fide, ostēdunt

CAPVT VIII.

Hæretici de more impiè blasphemant: Romani Pontifices principatum ex Sanctorum auctoritatibus probari non posse, cum Sancti ipsi recti homines minimè extiterint.

316 IMpijssimi Ecclesiæ perduelles Sanctorum Doctorum auctoritates falsis suis dogmatibus aduersari omnino agnoscentes, dum ad ipsos penitus euellendos nequeūt S. Scripturæ testimonia inuenire; ad diuersas elabendi rimulas recurrunt, vel asserendo, Patres, qui per annos quincentos à Christo nato scripserūt, apostolos, vel næuis esse respersos, aut eorum codices corruptos, & deprauatos fuisse: Alios verò, qui post annum quincentesimum à mundo redempto, vsque ad hæc nostra tempora scripserunt, etiam reijciendos esse; ex quo quid quid per Pontifices, Concilia, ac Patres sancitum est, & declaratum, nullam apud ipsos auctoritatem habet. Vel quod peius est, malorum litigantium more, testes omni exceptione dignos pro eorum libidine, pessimè criminantur, vt illorum auctoritate infirmata, tūminus aptè, à Catholicis vrgeri possint: tum præuijs ipsis criminibus, & verborum turbinibus, à Catholicorum simplicium cordibus, veræ fidei constantiam eripiant & in summ perditionis massam perducant. (a) *Hæretici*, scribit Gregorius, *contra infirmas fidelium mentes, verborum violentia grassantur, & pauperum vulgus spoliant, quia cum in doctos non prævalent, indoctos quosq; à fidei velamine pestifera prædicatione denudēt.* Videre nos igitur oportet, quomodo *linguas suas exacuerunt sicut serpentes*. Et nē in hac re prolixiores videamur, relictis cæteris Græcis, & Latinis Doctoribus, quorum

(a) *Lib. 16. moral. c. 24.*

Digitized by Google

rum teſtimonio Romani Pontificis Principatus ſatis oſtenditur,& cõprobatur; in vnius tantum Hieronymi, luce ſapientiæ à Deo illuminati, vitam,nefaria ſcõmata à Caluinianis affricata,modo hic recenſere, & vindicare licebit.

317 Lutherus igitur ſic primò Hieronymum exagitat. (a) *Impia*,inquit,*& deteſtanda eſt vox Hieronymi. Quin te Hieronyme conculcamus, vna cum Bethelem cucullo,& deſerto.* Caluinus verò pari modo in Hieronymum debacchatur,vtpotè, (b) *quod inſcriptis ſuis malignum, peruerſumque apertè monſtrauerit Spiritum; Hominem eſſe obtrectatorem,maledicum, ſeditioſum,blaſphemum,&c.* Nec mitius agit Melanchton, dum aſſerit, Hieronymum (c) *confirmare falſas,& ſuperſtitioſas opiniones de traditionibus humanis,vituperare coniugium, malè colligere detortas Scripturæ ſententias, Ethnico more coacerauare conuicia ſexus muliebris, & coniugij, ſcurrilia, conuicia tacere in Dei ordinationem, &c.* Caluiniani tandẽ lingua doloſa Hieronymum appellant, (d) *furioſum, rabidum, mentecaptum, ſibique repugnantem, Sacræ Scripturæ euerſorem,cum ſtultas,infelices, & fanaticas opiniones nititur aſſerere.* Similia maledicta, tã in Græcos, Sanctos, Chryſoſtomum,Epiphanium,Irenæũ, Cyprianum,Damaſcenum, & Dionyſium Areopagitam;quã adauerſus Latinos,Ambroſiũ, Auguſtinum,& Hilarium,cæteroſque Doctores effutiunt. Ex quibus conuicijs demum concludunt, ergo Principatus Romani Pontificis Sanctorũ auctoritatibus minimè comprobatur

318 Reſpõdetur. Patres, & Doctores, doctrinis minimè ſuperare, ſed effrænata temeritate iniurijs perperam laceſſire, ac in eos ementita maledicta conſpuere, quæ lenitatem Spiritus, ſicut Hæretici ſe iactant, non redolent, ſed potius Satanicam rabiem, incredibili Superbia inflammatam oſtendunt; ſicut ex ipſiſmet Eutipis hominibus pa-

(a) *In Comment.in c.22.& 31 Geneſ.* (b) *Harmon.ad c.19. Matth.* (c) *In Comm.ad.c.14.epiſt.ad Roman.* (d) *In ſcut.fidei dialog.6.7.& 8.*

Digitized by Google

Palam colligi potest. Nam sedata rabie, euacuata bile, de ipsis Sanctissimis Patribus aliter sic rectè, vt decet, sentit, & tenet Lutherus. (a) *Hilariũ, Cyrillum, Ambrosium, Augustinum, Euangelium, & fidem in Christum absque vlla hypocrisi purè, ac simplicitèr tradidisse, Hæreticis resistisse, & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgasse.* Caluinus verò in Epistola ad Sadoletũ, sic scribit. *Statuendum esse ob oculos veterem Ecclesiæ faciem, quæ fuit Chrysostomi, aut Basilij ætate apud Græcos, Cipriani, Ambrosij, Augustini sæculo apud Latinos.* Melanthon denique in Epistola ad Ioannem Cratonem ait. *Optimi Duces esse possunt Ireneus, Tertullianus, Augustinus &c. qui adhibuerunt fidei regulam, cui iungebant consensũ Apostolicarum Ecclesiar.* Quibus Vuhitgiftus, Anglo Caluinista, scribens contra Puritanos, sic adstipulatur. (b) *Hactenus numquam viri in Eccle. sia docti extiterunt, priusquam disciplinæ Geneuenſis axiomata a vobis ò Puritani prodita. sunt? Ante vos exortos sapientia extincta est? Rectius vos, quod Apostolorum tempore creditum, aut factum fuit, intelligitis, quam Patres illi Apostolorum successores? Lux igitur, quæ in veteribus Patribus eruditione, & Sanctitate conspicuis toto Orbe resplenduit, sic in tenebras conuersa est, vt videat Cartherouitus, Tranesius, Fennetus, & alij huiusmodi Puritani, qui vix vmbram eruditionis habent: Ireneus autem, Cyprianus, Ambrosius, Hyeronimus, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, & reliqui Sanctissimi illi Viri, cæci iudicẽtur? mortalium stolidissimus esse debet, qui ita iudicat.* Ergo ex supradictorum Sanctorum auctoritatibus in fauorem Principatus Romani Pontificis in prima parte adductis, Principatus ipse magis comprobatur: nec Hæreticorum conuicia contra nos vrgent, aut aliquid probant, vnde ipsa deridendo, sic aduersus Eluidium scribit ipsemet Hyeronimus. *Gloria sunt nobis vestra conuicia, cum eodem ore, quo Mariæ detrahitis, nos laceratis, & cani-*

(a) *In c. 5. ad Galat.* (b) *Exam. discipl. Conciftor. lib. 1. c. 27. pag. 341.*

Digitized by Google

cuninam facundiam serui Domini pariter experiantur, & Mater.

CAPVT VIIII.

Effutiunt Hæretici, Romani Pontificis principatum per interruptam Successorum eiusdem Chronotaxim, interruptum fuisse.

319 QVod verò in hoc capite Hæretici, & non iccosè, fabellas cæteris narrent, ex sequentium eorum fabula apertè desumitur. (a) Ioannes VIII. inquit Martinus Polonus Protestans, *vt asseritur, fœmina fuit, & cum à puellari ætate à quodam suo Amasio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diuersis scientijs profecit, vt nullus sibi par inueniretur &c. adeò vt post Romæ degens, magnos Discipulos, Magistros, & Auditores haberet.* Ergo Romanorũ Pontificum Chronataxis, & pariter eorum Principatus interrupta fuerunt.

320 Respondetur, *Martinum*, cæteros que Protestantes in narratione fabellæ huius, quæ per insipientium ora circumfertur, mendacissimum se præstare; ferunt enim, Ioannã hanc, studiorum causa Athenas ductam, vbi inter Condiscipulos eximiè profecit; quod omninò est falsum. Athenis enim post Hũnorũ deuastationem, tamdiũ studia siluerunt, sicut *Claudianus* scribit ad Rũffinum, donec anno 850. à Bardes Imperatore fuerint restituta. Dictu ergo incredibile est anno 855. in quo Ioannis VIII. electio contigit, Ioannam ipsam post absoluta studia in Pontificem Maximũ eligi potuisse. Quę enim ratio suadet, ipsam Athenis anno 850. quo studia restituta fuerunt, nisi post ipsorum studiorum publicationem accessisse. Quinquennali igitur spatio, non modò accessus, mora, in studijs progressus, ac in ipsa Vrbe accessus habetur; verum etiam, quod Romæ legerit, plurimosque habuerit Discipulos. Nec doctrinæ ipsius fama illicò, nisi post diuturnam annorum seriem, Romæ innotescere potuit. Quam breui

(a) *Ad ann. 855.*

Digitized by Google

igitur mulier ista tantũ profeçit ; verum fœminam illam diuinitus infusam habuisse scientiam Protestantes fabellæ huius assertores respondẽt; Sed proh improbos veteratores, vaferrima, quinimmò ridicula hæc commenta in vulgus effundentes, & à veritate aberrantes! Purum namque sapientiæ Spiritum fœdissimis mulierculis, nefariè per Orbem ferè totum scortatis, tribuere non perhorrescunt.

321 Attamen dato, sed nunquam concesso, mulierem istam per Hæreticorum somnia excogitatã, maximoperè in studijs profeciſſe, virilem sexum mentitam, hoc vnum quæro, quomodò scilicet, ad Summum Põtificatus fastigiũ fuerit euecta, per saltum ne, an Sacrorum Ordinum collatione præmissa? Quod ad primum attinet, nequaquam credibile est, Sacrum Eminentissimorum Cardinalium cętũ, Hominem incognitum, & non probatum, ad tantam dignitatem, Andabatorum more euexisse. Quod ad secundum, Quisnam suaderi potest, post studiorum Athenis reintegrationem, & illorum publicationem, accessum ad ipsa, permanentiam, profectum, recessum, in summum gymnasiarchum cooptationẽ, sacrorum ordinum collationem, & ad supremum Pontificatus Apicem eleuationem, intra quinquennium huic Scorto contigisse? certò nemo. Similia fere verba habet Barrius, ita inquiens. (a) *Quod feminam, eamq; gente Britanicam Põtificem factam Ioãnemq; Octauum vocatam post Leonem Quartum in hac sede sedisse, atque à familiari compressam, ac tempus partus nesciam, dum ad Diui Ioannis Basilicam equitaret, in itinere peperisse dicatur, falsissimum quidem est, quin etiam ridiculum, atque impium credere. Quod mendacium, ac probrum subdolus, ac peruersus quidam Romanæ Ecclesiæ obtrectans veti, vt creditur, impos, quia quod affectabat assequi, non potuerit; in libro Chronichon Martini, aut fortassit ipsemet Martinus primus po-*

(a) *Lib. 2. de gest. Vrbis Rom. pag. 554.*

Digitized by Google

posuit in medium. Siquidem Martinus ipse, qui Innocentij Quarti temporibus, fuit in sede Romanorum Pontificum in secunda folij pagina prima part. scribit vitam Leonis Quarti, quæ scripta nō modicè ibi margo restat. In sequentis verò folij secunda itidem pagina, parte quoque prima, denuò eiusdem Leonis vita diuersa à prima describitur, vt propalam sit subdole fuisse confictam. Quæ completa, Ioannes Papa fœmina scribitur, non tamen Ottauus nominatur. Sic enim ibi scriptū est. Post hunc Leonem Quartū, Ioannes Anglicus natione Maguntinus sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quatuor, & mortuus Romæ, & cessit mense vno. Hic, vt asseritur, fœmina fuit, & in puellari ætate à quadam suo Amasio in habitu iuuenili Athenas ducta, sic in diuersis scientijs profecit, vt nullus sibi par inueniretur, adeò, vt postmodum Romæ ciuilium legum magnos Magistros discipulos, & auditores habuerit: Et cum in Vrbe, vita, & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impregnatur, vnde tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranū tenderet, angustiata Hèc ibi. *Nunc peto* Ego à te ò falsari nequā, quicunque es, à quonam quæso auctore id asseritur, quod tu fingis? cum nemo ante te hanc fabulam scripserit. Nempè, Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, qui Romanorum Pontificum vitas vsque ad Nicolaum primum exarauit, secundo Sergij secundi, Leonis Quarti, Benedicti Tertij, Nicolai primi, Hadriani secundi, & Ioannis Octaui creationibus interfuisse refert, nil prorsus de Ioanne fœmina mentionē facit. Quin etiā Leone Quarto rebus humanis exemptō, post quindecim dies à morte eius Benedictū in vrbium. in Romanum Pontificē electum fuisse tradit. Cui vni magis credendum est, quam alij omnibus, qui posteriorib⁹ temporibus fuere. Rursus, qui fieri potuit, vt fœmina incesta, ac constuprata cum Amasio suo impudicitijs, & libidinibus demersa in tanta Vrbe in Iuris ciuilis scientia primas teneret, & iuris professores discipulos

Digitized by Google

haberet, & vitæ probitate tãta opinionis esset, vt concorditer Romanus Pontifex eligeretur? & inde impregnata, sexum, & fœturam nouem menses iam in dies intumescente alueo occultaret? Pariendi mensem ignoraret, vt tum equitaret cum paritura erat? Quis prudens, ac pius vir adduci potest, vt tã ridiculam, & propbanam fabulam, tam apertum mendacium credat? Permisisset Deus tantum facinoris crimen, vt famina flagitiosa, & constuprata eius vices gereret? Sacros ordines conferret? A peccatis absolueret? Eucharistia Sacramentum conficeret? Sed nec profecto sub tempus illud Athenis literarum studium florebat, & si floruisset, non Romani Iuris, sed aliarum scientiarum. Item si in sede Petri femina, eaque incæsta sedisset, nequaquã Leo Nonus, qui ducentos circiter annos post Leonis Quarti fuit, Michaeli Patriarchæ Constantinopolitano in quadam ad ipsum epistola obiecisset, Constantinopolitanam sedem Eunuchos, & fœminam rexisse. Nemo enim vir grauis crimini dat alteri, quo se laborare sentit. Hanc anilẽ, & abominandam fabulam, veluti veram historiã sectati sunt multi, inter quos est Platina, qui tamen à semetipso dissidet. Sed

322 Contra insurgit *Vuitclepb.* Semota Ioanna ista, videamus aliquantulum, Successorum Petri Chronotaxim, interrupta fuerit, necnè. (a) *Deus non promisit, quod quicumque in officio pastorali Petro Romæ successerit, gaudebit dignitate, vt sit Caput Ecclesiæ.* Ergo illi, qui Petro successerunt, non successerũt ipsi, tamquam verum Ecclesiæ Caput, & per consequens legitimorum Petri successorum, vera Chronotaxis non habetur.

323 Respondetur: *Vuitclephum* hoc argumento dũtaxat probare, Deum in primæ Sedis officio adeò fuisse negligẽtiæ nomine suspectum, vt neque per successionem prouidere digoum duxerit Ecclesiæ suæ stabiles præsidentes, quod falsũ est, & vt ex Sacra Scriptura ostenditur libro Numeri (b) *Locutus est Dominus ad Moysen dicens, pergat Aaron ad*

(a) *Concluſ. 88. damnata.* (b) *cap. 20.*

Digitized by Google

ad Populum suum, non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris Patrem veste sua, indues & Eleazarum filium eius; Aaron colligetur, & morietur ibi, fecitque Moyses vt præceperat Dominus; & ascenderunt in Montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset se vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Hęc gerenda de successione Summi Pontificatus figuralis! Deus instituit: quid ergo in noua lege de successione veri Pontificis Deus efficiet? Augustinus scribit; (a) *Quod Sacerdotium illud, & sacrificium nullã partem tenent hodie fidei Christianæ, nisi quod in vmbris futurorum, atque signis acta sunt. Cum verò ambobus fratribus, idest Aaron, & Moysi dicitur, vt apponantur ad Populum suum, manifestum est, non esse in illos iram Dei, quæ ceperat à pace sanctæ societatis æternæ. Vnde manifestatur non solum officia, sed etiam mortes eorum, futurorum, fuisse signa.* Compertum est igitur, inquit Vualdensis, quod Sacerdotiũ illud Aaroniticum Christianis prophanum esset, nisi vmbra Sacerdotij, & Pontificij Christiani ipsum extitisset. (b) *Manifestantur enim non solum officia, sed & mortes eorum, signa fuisse futurorum*, scribit Augustinus. Ita etiam Sacrificia, & holocaustomata, & ritus, & festi dies, & quæcumque alia, quæ illis in figura tantũ contingebant, nobis in veritate succedunt. Si ergo Deo tunc cura de Hominibus non fuit, quare de habendo Successore Summi Pontificatus Aaronitici tantopere curauit. Si non magis Episcopus de successione Summi Pontificij Sancti Petri fuerit sollicitus; An figura volebat veritati præferre, & succurrere? voluit potius nè Sacerdotium Iudæorum occũberet, & magnum Pontificatum, quem in Petro post sciplum dedicauit, patietur occũbere? Quis ista putaret, cum non tantum in hoc loco, verum & quando de Thuribulis seditio-

(a) Tom. 4. de quæst. numeror. q. 42. (b) Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 30. n. 3.

Digitized by Google

tionis fieri laminas ductiles in ornamentum altaris Eleazaro commendauit, hoc idem de successione Pontificatus etiam insinuauit, vt testatur Augustinus; (a) *Hoc loco*, inquit, *cur non ad Moysen, & Aaron, sicut in superioribus Dominus locutus sit sed ad Moysen, & Eleazarum, hæc mihi causa interim occurrit: Quoniam, qui erat de progenie Sacerdotum, ideſt de quo genere esse deberent. Vnde illi ex alio genere, quia sibi vsurpare Sacerdotium ausi sũt, cum horrendo, & admirabili supplicio perierunt, non ad Aaron, qui summus iam Sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, & secundo iam Sacerdotio fungebatur, vt eo modo seriem ordinis commendaret, quę in successionibus Sacerdotum esse deberet.* Hoc ergo modo voluit per *Eleazarum Deus nõ Sacerdotium, quod iam erat in Aaron, sed successionibus Sacerdotalis progeniei commendare.* Pluris Põtificij successio, prosequitur Vualdensis, vt fideles veraciter credunt, debet esse Christianis; nempè vt non tantum cum Sancto Petro obierit, sed ad mysticum Eleazarum transferatur. Re uera Aaron moriturus, veste qua vestitur Eleazar Pontifex subrogandus spoliatur; & moriturus Petrus Summi Pontificis se exuit potestate, eaque Clementem, ad formam, & ritum legitimi Successoris instituit; ipsemet Clemens epistola in *cap. 4. q. 3.* primæ partis à nobis relata, refert. Solus Aaron adhuc superstes, Pontificatum successori subrogat, & solus Petrus adhuc superstes, Pontificatum Clemẽti donat. Cæteri Põtifices legis, prędecessore suo mortuo, vel expulso, subintrant; ita, & singuli quoque Pontifices legis Christi, & non subrogantur; hoc autem Deo iubente, tantum in primo Pontifice legis completum est, vt regula successionis seruandæ aliquando daretur, ipsamque in hoc facto perpendere in primo Pontifice gratiæ debemus. Vestem suam exuit Aaron, potestatem suam Petrus. Sic enim Hieronymus super illud Pauli ad Corinthios. (b) *Mulier velamen debet habere su-*

(a) *ibid. qu. 30* (b) *Epist. 1 c. 11.*

Digitized by Google

super caput, apertè testatur. *Velamen*, inquit, *signum potestatis esse declarat*. Velamen ergo vestis suæ. Petrus tunc Clemēti, tanquam Aaron successori suo distribuit, quando ligandi, atque soluendi de quibuscumque potestatem ei tradidit. Ergo qui Petro successerunt, & succedent, ei ex Dei præordinatione tanquam caput Ecclesiæ succedunt.

324 Contra, inquiūt Protestantes. Ille, qui legitimē tanquam Ecclesiæ caput Petro succedit, debet esse vnus sicut fuit Eleazar, & Clemens, non plures. Sed tempore schysmatis non vnus, sed plures successerunt Petro; Ergo ipsi vt Caput Ecclesiæ tunc minimè Petro successerunt, & sic tunc saltem Pontificum Chronotaxis interrupta fuit ob schysmata.

325 Respondetur: Vel tempore schysmatis constitit de vero Petri successore, nimirum, alterutrum ex illis verum Pontificem, & Ecclesiæ Caput fuisse, vel non constitit, & sic neuter illorum fuit. Si primum, habemus intentum, quod scilicet tunc non sit interrupta legitima pontificum Chronotaxis, quia semper fuit, & enituit verus summus Pontifex, & Ecclesię Caput. Si secundū, nempè quod de vero Pontifice, & Ecclesiæ Capite non cōstaret, & nullum illorum esse summum Pontificem censebatur. Ergo tunc Romana sedes vacabat per non legitimam, & concordem Successoris Petri electionem. Sede autem vacante, non censetur interrupta successorū Chronotaxis, aut Pontificum successio; *Vacat* enim, & noua electione noui successoris iterum impletur; & sic semper verus vero, certus certo *Pontifici*, in Cathedra Apostolica Petri noua electione, serie continuata succēssit; numerando Summos *Pontifices* ab ipso Petro, vsque in hodiernum Innocentiū XII. legitimum Petri successorem.

CA-

tio pertineat, in qua donum indefectibilitatis à fide, ostendunt

CAPVT VIII.

Hæretici de more impiè blasphemant: Romani Pontifices principatum ex Sanctorum auctoritatibus probari non posse, cum Sancti ipsi recti homines minimè extiterint.

316 IMpijssimi Ecclesiæ perduelles Sanctorum Doctorum auctoritates falsis suis dogmatibus aduersari omnino agnoscentes, dum ad ipsos penitus euellendos nequeũt S. Scripturæ testimonia inuenire; ad diuersas elabendi rimulas recurrunt, vel asserendo, Patres, qui per annos quincentos à Christo nato scripserũt, apostos, vel hæreticos fuisse reperios, aut eorum codices corruptos, & deprauatos fuisse: Alios verò, qui post annum quincentesimum à mundo redempto, vsque ad hæc nostra tempora scripserunt, etiam reijciendos esse; ex quo quid quid per Pontifices, Concilia, ac Patres sancitum est, & declaratum, nullam apud ipsos auctoritatem habet. Vel quod peius est, malorum litigantium more, testes omni exceptione dignos pro eorum libidine, pessimè criminantur, vt illorum auctoritate infirmata, tũ minus aptè, à Catholicis vrgeri possint: tum præuijs ipsis criminibus, & verborum turbinibus, à Catholicorum simplicium cordibus, veræ fidei constantiam eripiant & in summ perditionis massam perducant. (a) *Hæretici*, scribit Gregorius, *contra infirmas fidelium mentes, verborum violentia grassantur, & pauperum vulgus spoliant, quia, cum in doctos non prævalent, indoctos quosq; à fidei velamine pestifera prædicatione denudẽt.* Videre nos igitur oportet, quomodo *linguas suas exacuerunt sicut serpentes*. Et nè in hac re prolixiores videamur, relictis cæteris Græcis, & Latinis Doctoribus, quorum

(a) *Lib. 16. moral. c. 24.*

Digitized by Google

rum teſtimonio Romani Pontificis Principatus ſatis oſtenditur,& cõprobatur; in vnius tantum Hieronymi, luce ſapientiæ à Deo illuminati, vitam,nefaria ſcõmata à Caluinianis affricata,modo hic recenſere, & vindicare licebit.

317 Lutherus igitur ſic primò Hieronymum exagitat. (a) *Impia*,inquit,*& deteſtanda eſt vox Hieronymi. Quin te Hieronyme conculcamus, vna cum Bethelem cuculla,& deſerto.* Caluinus verò pari modo in Hieronymum debacchatur,vtpotè, (b) *quod inſcriptis ſuis malignum, peruerſumque apertè monſtrauerit Spiritum; Hominem eſſe obtrectatorem, maledicum, ſeditioſum,blaſphemum,&c.*Nec mitius agit Melanchon, dum aſſerit, Hieronymum (c) *confirmare falſas,& ſuperſtitioſas opiniones de traditionibus humanis,vituperare coniugium, malè colligere detortas Scripturę ſententias, Ethnico more coaceruare conuicia ſexus muliebris, & coniugij, ſcurrilia, conuicia iacere in Dei ordinationem, &c.* Caluiniani tandẽ lingua doloſa Hieronymum appellant, (d) *furioſum, rabidum, mentecaptum, ſibique repugnantem, Sacræ Scripturæ euerſorem,cum ſtultas,infelices, & fanaticas opiniones nititur aſſerere.* Similia maledicta, tã in Græcos, Sanctos, Chryſoſtomum,Epiphanium,Irenæũ, Cyprianum,Damaſcenum, & Dionyſium Areopagitam;quã adauerſus Latinos,Ambroſiũ, Auguſtinum,& Hilarium,cæteroſque Doctores effutiunt. Ex quibus conuicijs demum concludunt, ergo Principatus Romani Pontificis Sanctorũ auctoritatibus minimè comprobatur

318 Reſpõdetur. Patres, & Doctores, doctrinis minimè ſuperare, ſed effrænata temeritate iniurijs perperam laceſſire, ac in eos ementita maledicta conſpuere, quæ lenitatem Spiritus, ſicut Hæretici ſe iactant, non redolent, ſed potius Satanicam rabiem, incredibili Superbia inflammatam oſtendunt; ſicut ex ipſilmet Eutipis hominibus pa-

(a) *In Comment.in c.22.& 31 Geneſ.* (b) *Harmon.ad c.19. Matth.* (c) *In Comm.ad.c.14.epiſt.ad Rom.in.*(d) *In ſcut.fidei dialog.6.7.& 8.*

Digitized by Google

Palam colligi potest. Nam sedata rabie, euacuata bile, de ipsis Sanctissimis Patribus aliter sic rectè, vt decet, sentit, & tenet Lutherus. (a) *Hilariũ, Cyrillum, Ambrosium, Augustinum, Euangelium, & fidem in Christum absque vlla hypocrisi purè, ac simplicitèr tradidisse, Hæreticis resistisse, & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgasse.* Caluinus verò in Epistola ad Sadoletũ, sic scribit. *Statuendum esse ob oculos veterem Ecclesiæ faciem, quæ fuit Chrysostomi, aut Basilij ætate apud Græcos, Cipriani, Ambrosij, Augustini sæculo apud Latinos.* Melanchon denique in Epistola ad Ioannem Cratonem ait. *Optimi Duces esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus &c. qui adhibuerunt fidei regulam, cui iungebant consensũ Apostolicarum Ecclesiar.* Quibus Vuhitgiftus, Anglo Caluinista, scribens contra Puritanos, sic adstipulatur. (b) *Hactenus numquam viri in Eccle. sia docti extiterunt, priusquam disciplinæ Geneuensis axiomata a vobis ò Puritani prodita, sunt? Ante vos exortos sapientia extincta est? Rectius vos, quod Apostolorum tempore creditum, aut factum fuit, intelligitis, quam Patres illi Apostolorum successores? Lux igitur; quæ in veteribus Patribus eruditione, & Sanctitate conspicuis toto Orbe resplenduit, sic in tenebras conuersa est, vt videat Cartherouitus, Traneſius, Fennetus, & alij huiusmodi Puritani, qui vix vmbram eruditionis habent: Irenæus autem, Cyprianus, Ambrosius, Hyeronimus, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, & reliqui Sanctissimi illi Viri, caci iudicẽtur? mortalium stolidissimus esse debet, qui ita iudicat.* Ergo ex supradictorum Sanctorum auctoritatibus in fauorem Principatus Romani Pontificis in prima parte adductis, Principatus ipse magis comprobatur: nec Hæreticorum conuicia contra nos vrgent, aut aliquid probant, vnde ipsa deridendo, sic aduersus Eluidium scribit ipsemet Hyeronimus. *Gloria sunt nobis vestra conuicia, cum eodem ore, quo Mariæ detrahitis, nos laceratis, & cani-*

(a) *In c. 5. ad Galat.* (b) *Exam. discipl. Conciſtor. lib. 1. c. 27. pag. 341.*

Digitized by Google

cæcinam facundiam ſerui Domini pariter experiantur, & Mater.

CAPVT VIIII.

Effutiunt Hæretici, Romani Pontificis principatum per interruptam Succeſſorum eiuſdem Chronotaxim, interruptum fuiſſe.

319 QVod verò in hoc capite Hæretici, & non iccosè, fabellas cæteris narrent, ex ſequenti eorum fabula apertè deſumitur.(a) Ioannes VIII. inquit Martinus Polonus Proteſtans, *vt aſſeritur, fœmina fuit, & cum à puellari ætate à quodam ſuo Amaſio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diuerſis ſcientijs profecit, vt nullus ſibi par inueniretur &c. adeò vt poſt Romæ degens, magnos Diſcipulos, Magiſtros, & Auditores haberet.* Ergo Romanorũ Pontificum Chronotaxis, & pariter eorum Principatus interrupta fuerunt.

320 Reſpondetur, *Martinum*, cæteroſque Proteſtates in narratione fabellæ huius, quæ per inſipientium ora circumfertur, mendaciſſimum ſe præſtare; ferunt enim, Ioannã hanc, ſtudiorum cauſa Athenas ductam, vbi inter Condiſcipulos eximiè profecit; quod omninò eſt falſum. Athenis enim poſt Hũnorũ deuaſtationem, tamdiũ ſtudia ſiluerunt, ſicut *Claudianus* ſcribit ad Ruffinum, donec anno 850. à Bardes Imperatore fuerint reſtituta. Dictu ergo incredibile eſt anno 855. in quo Ioannis VIII. electio contigit, Ioannam ipſam poſt abſoluta ſtudia in Pontificem Maximũ eligi potuiſſe. Quę enim ratio ſuadet, ipſam Athenis anno 850. quo ſtudia reſtituta fuerunt, niſi poſt ipſorum ſtudiorum publicationem acceſſiſſe. Quinquennali igitur ſpatio, non modò acceſſus, mora, in ſtudijs progreſſus, ac in ipſa Vrbe acceſſus habetur; verum etiam, quod Romæ legerit, plurimoſque habuerit Diſcipulos. Nec doctrinæ ipſius fama illicò, niſi poſt diuturnam annorum ſeriem, Romæ innoteſcere potuit. Quam breui

(a) *Ad ann. 855.*

Digitized by Google

igitur mulier ista tantũ profecit; verum fœminam illam diuinitus infusam habuisse scientiam. Protestantes fabellæ huius assertores respondẽt; Sed proh improbos veteratores, vaferrima, quinimmò ridicula hæc commenta in vulgus effundentes, & à veritate aberrantes! Purum namque sapientiæ Spiritum fœdissimis mulierculis, nefariè per Orbem ferè totum scortatis, tribuere non perhorrescunt.

321 Attamen dato, sed nunquam concesso, mulierem istam per Hæreticorum somnia excogitatã, maximoperè in studijs profeciſſe, virilem sexum mentitam, hoc vnum quæro, quomodò scilicet, ad Summum Põtificatus fastigiũ fuerit euecta, per saltum ne, an Sacrorum Ordinum collatione præmissa? Quod ad primum attinet, nequaquam credibile est, Sacrum Eminentissimorum Cardinalium cętũ, Hominem incognitum, & non probatum, ad tantam dignitatem, Andabatorum more euexisse. Quod ad secundum, Quisnam suaderi potest, post studiorum Athenis reintegrationem, & illorum publicationem, accessum ad ipsa, permanentiam, profectum, recessum, in summum gymnasiarchum cooptationẽ, sacrorum ordinum collationem, & ad supremum Pontificatus Apicem eleuationem, intra quinquennium huic Scorto contigisse? certò nemo. Similia fere verba habet Barrius, ita inquiens. (a) *Quod feminam, eamq; gente Britanicam Põtificem factam Ioãnemq; Octauum vocatam post Leonem Quartum in hac sede sedisse, atque à familiari compressam, ac tempus partus nesciam, dum ad Diui Ioannis Basilicam equitaret, in itinere peperisse dicatur, falsissimum quidem est, quin etiam ridiculum, atque impium credere. Quod mendacium, ac probrum subdolus, ac peruersus quidam Romanæ Ecclesiæ obtrectans voti, vt creditur, impos, quia quod affectabat assequi, non potuerit; in libro Chronichon Martini, aũt fortassit ipsemet Martinus primus po-*

(a) *Lib. 2. de gest. Verbis Rom. pag. 554.*

Digitized by Google

posuit in medium. Siquidem Martinus ipse, qui Innocentij Quarti temporibus, fuit in sede Romanorum Pontificum in secunda folij pagina prima part. scribit vitam Leonis Quarti, quæ scripta nõ modica ibi margo restat. In sequentis verò folij secunda itidem pagina, parte quoque prima, denuò eiusdem Leonis vita diuersa à prima describitur, vt propalam sit subdole fuisse confictam. Quæ completa, Ioannes Papa fœmina scribitur, nec tamen Octauus nominatur. Sic enim ibi scriptũ est. Post hunc Leonem Quartũ, Ioannes Anglicus natione Maguntinus sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quatuor, & mortuus Romæ, & cessit mense vno. Hic, vt asseritur, fœmina fuit, & in puellari ætate à quodam suo Amasio in habitu iuuenili Athenas ducta, sic in diuersis scientijs profecit, vt nullus sibi par inueniretur, adeò, vt postmodum Romæ ciuilium legum magnos Magistros discipulos, & auditores habuerit: Et cum in Vrbe, vita, & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur; Sed in papatu per suum familiarem impregnatur, vnde tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranũ tenderet, angustiata Hèc ibi. *Nunc peto Ego à te ò falsari nequã, quicunque es, à quonam quæso auctore id asseritur, quod tu fingis? cum nemo ante te hanc fabulam scripserit. Nempè, Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, qui Romanorum Pontificum vitas vsque ad Nicolaum primum exarauit, secuto Sergij secundi, Leonis Quarti, Benedicti Tertij, Nicolai primi, Hadriani secundi, & Ioannis Octaui creationibus interfuisse refert, nil prorsus de Ioanne fœmina mentionẽ facit. Quin etiã Leone Quarto rebus humanis exempto post quindecim dies à morte eius Benedictũ tertium in Romanum Pontificẽ electum fuisse tradit. Cui vni magis credendum est, quam alij omnibus, qui posterioribus temporibus fuere. Rursus, qui fieri potuit, vt fœmina incesta, ac constuprato cum Amasio suo impudicitijs, & libidinibus demersa in tanta Vrbe in Iuris ciuilis scientia primas teneret, & iuris professores discipulos*

Digitized by Google

haberet, & vitæ probitate tãta opinionis esset, vt concorditer Romanus Pontifex eligeretur? & inde impregnata, sexum, & futuram nouem menses iam in dies intumescente alueo occultaret? Pariendi mensem ignoraret, vt tum equitaret cum paritura erat? Quis prudens, ac pius vir adduci potest, vt tã ridiculam, & prophanam fabulam, tam apertum mendacium credat? Permisisset Deus tantum facinoris crimen, vt famina flagitiosa, & constuprata eius vices gereret? Sacros ordines conferret? A peccatis absolueret? Eucharistia Sacramentum conficeret? Sed nec profecto sub tempus illud Athenis literarum studium florebat, & si floruisset, non Romani Iuris, sed aliarum scientiarum. Item si in sede Petri famina, eaque incesta sedisset, nequaquã Leo Nonus, qui ducentos circiter annos post Leonis Quarti fuit, Michaeli Patriarchæ Constantinopolitano in quadam ad ipsum epistola obiecisset, Constantinopolitanam sedem Eunuchos, & fœminam rexisse. Nemo enim vir grauis crimini dat alteri, quo se laborare sentit. Hanc anilẽ, & abominandam fabulam, veluti veram historiã sectati sunt multi, inter quos est Platina, qui tamen à semetipso dissidet. Sed

322 Contra insurgit *Vuitclepb.* Semota Ioanna ista, videamus aliquantulum, Successorum Petri Chronotaxim, interrupta fuerit, necnè. (a) *Deus non promisit, quod quicumque in officio pastorali Petro Romæ successerit, gaudebit dignitate, vt sit Caput Ecclesiæ.* Ergo illi, qui Petro successerunt, non successerũt ipsi, tamquam verum Ecclesiæ Caput, & per consequens legitimorum Petri successorum, vera Chronotaxis non habetur.

323 Respondetur: *Vuitclephum* hoc argumento dũtaxat probare, Deum in primæ Sedis officio adeò fuisse negligẽtiæ nomine suspectum, vt neque per successionem prouidere digoum duxerit Ecclesiæ suæ stabiles præsidentes, quod falsũ est, & vt ex Sacra Scriptura ostenditur libro Numeri (b) *Locutus est Dominus ad Moysen dicens, pergat Aaron ad*

(a) *Concilf. 88. damnata.* (b) *cap. 20.*

Digitized by Google

ad Populum suum, non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris Patrem veste sua, indues & Eleazarum filium eius; Aaron colligetur, & morietur ibi, fecitque Moyses vt præceperat Dominus; & ascenderunt in Montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset se vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Hęc gerenda de successione Summi Pontificatus figuralis! Deus instituit: quid ergo in noua lege de successione veri Pōtificis Deus efficiet? Augustinus scribit; (a) *Quod Sacerdotium illud, & sacrificium nullā partem tenent hodie fidei Christiana, nisi quod in vmbris futurorum, atque signis acta sunt. Cum verò ambobus fratribus, idest Aaron, & Moysi dicitur, vt apponantur ad Populum suum, manifestum est, non esse in illos iram Dei, quæ ceperat à pace sancta societatis æternæ. Vnde manifestatur non solum officia, sed etiam mortes eorum, futurorum, fuisse signa.* Compertum est igitur, inquit Vualdensis, quod Sacerdotiū illud Aaroniticum Christianis prophanum esset, nisi vmbra Sacerdotij, & Pontificij Christiani ipsum extitisset. (b) *Manifestantur enim non solum officia, sed & mortes eorum, signa fuisse futurorum,* scribit Augustinus. Ita etiam Sacrificia, & holocaustomata, & ritus, & festi dies, & quæcumque alia, quæ illis in figura tantū contingebant, nobis in veritate succedunt. Si ergo Deo tunc cura de Hominibus non fuit, quare de habendo Successore Summi Pontificatus Aaronitici tantopere curauit. Si non magis Episcopus de successione Summi Pontificij Sancti Petri fuerit sollicitus; An figura volebat veritati præferre, & succurrere? voluit potius nè Sacerdotium Iudæorum occūberet, & magnum Pontificatum, quem in Petro post seipsum dedicauit, patietur occūbere? Quis ista putaret, cum non tantum in hoc loco, verum & quando de Thuribulis seditio-

(a) *Tom. 4. de quæst. numeror. q. 42.* (b) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 30. n. 3.*

Digitized by Google

tionis fieri laminas ductiles in ornamentum altaris Eleazaro commendauit, hoc idem de successione Pontificatus etiam insinuauit, vt testatur Augustinus; (a) *Hoc loco*, inquit, *cur non ad Moysen, & Aaron, sicut in superioribus Dominus locutus sit sed ad Moysen, & Eleazarum, hæc mihi causa interim occurrit: Quoniam, qui erat de progenie Sacerdotum, ideſt de quo genere esse deberent. Vnde illi ex alio genere, quia sibi vsurpare Sacerdotium ausi sūt, cum horrendo, & admirabili supplicio perierunt, non ad Aaron, qui summus iam Sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, & secundo iam Sacerdotio fungebatur, vt eo modo seriem ordinis commendaret, quę in successionibus Sacerdotum esse deberet.* Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus nō Sacerdotium, quod iam erat in Aaron, sed successionibus Sacerdotalis progeniei commendare. Pluris Pōtificij successio, prosequitur Vualdensis, vt fideles veraciter credunt, debet esse Christianis; nempè vt non tantum cum Sancto Petro obierit, sed ad mysticum Eleazarum transferatur. Re uera Aaron moriturus, veste qua vestitur Eleazar Pontifex subrogandus spoliatur; & moriturus Petrus Summi-Pontificis se exuit potestate, eaque Clementem, ad formam, & ritum legitimi Successoris instituit; ipsemet Clemens epistola in *cap. 4. q. 3.* primæ partis à nobis relata, refert. Solus Aaron adhuc superstes, Pontificatum successori subrogat, & solus Petrus adhuc superstes, Pontificatum Clemēti donat. Ceteri Pōtifices legis, prędecessore suo mortuo, vel expulso, subintrant; ita, & singuli quoque Pontifices legis Christi, & non subrogantur; hoc autem Deo iubente, tantum in primo Pontifice legis completum est, vt regula successionis seruandæ aliquando daretur, ipsamque in hoc facto perpendere in primo Pontifice gratiæ debemus. Vestem suam exuit Aaron, potestatem suam Petrus. Sic enim Hieronymus super illud Pauli ad Corinthios. (b) *Mulier velamen debet habere su-*

(a) *ibid. qu. 30* (b) *Epist. 1. c. 11.*

Digitized by Google

super caput, apertè testatur. *Velamen*, inquit, *signum potestatis esse declarat*. Velamen ergo vestis suæ. Petrus tunc Clemēti, tanquam Aaron successori suo distribuit, quando ligandi, atque soluendi de quibuscumque potestatem ei tradidit. Ergo qui Petro successerunt, & succedent, ei ex Dei prædordinatione tanquam caput Ecclesiæ succedunt.

324 Contra, inquiūt Protestantes. Ille, qui legitimē tanquam Ecclesiæ caput Petro succedit, debet esse vnus sicut fuit Eleazar, & Clemens, non plures. Sed tempore schysmatis non vnus, sed plures successerunt Petro; Ergo ipsi vt Caput Ecclesiæ tunc minimè Petro successerunt, & sic tunc saltem Pontificum Chronotaxis interrupta fuit ob schysmata.

325 Respondetur: Vel tempore schysmatis constitit de vero Petri successore, nimirum, alterutrum ex illis verum Pontificem, & Ecclesiæ Caput fuisse, vel non constitit, & sic neuter illorum fuit. Si primum, habemus intentum, quod scilicet tunc non sit interrupta legitima pontificum Chronotaxis, quia semper fuit, & enituit verus summus Pontifex, & Ecclesię Caput. Si secundū, nempè quod de vero Pontifice, & Ecclesiæ Capite non cōstaret, & nullum illorum esse summum Pontificem censebatur. Ergo tunc Romana sedes vacabat per non legitimam, & concordem Successoris Petri electionem. Sede autem vacante, non censetur interrupta successorū Chronotaxis, aut Pontificum successio; *Vacat* enim, & noua electione noui successoris iterum impletur; & sic semper verus vero, certus certo *Pontifici*, in Cathedra Apostolica Petri noua electione, serie continuata successit; numerando Summos *Pontifices* ab ipso Petro, vsque in hodiernum Innocentiū XII. legitimum Petri successorem.

CA-

tio pertineat, in qua donum indefectibilitatis à fide, oſtẽdunt

CAPVT VIII.

Hæretici de more impiè blaſphemant: Romani Pontifices principatum ex Sanctorum auctoritatibus probari non poſſe, cum Sancti ipſi recti homines minimè extiterint.

316 IMpijſſimi Eccleſiæ perduelles Sanctorum Doctorum auctoritates falſis ſuis dogmatibus aduerſari omnino agnoſcentes, dum ad ipſos penitus euellendos nequeũt S. Scripturæ teſtimonia inuenire; ad diuerſas elabendi rimulas recurrunt, vel aſſerendo, Patres, qui per annos quincentos à Chriſto nato ſcripſerũt, apſos, vel ræuis eſſe reſperſos, aut eorum codices corruptos, & deprauatos fuiſſe: Alios verò, qui poſt annum quincenteſimum à mundo redempto, vſque ad hæc noſtra tempora ſcripſerunt, etiam reijciendos eſſe; ex quo quid quid per Pontifices, Concilia, ac Patres ſancitum eſt, & declaratum, nullam apud ipſos auctoritatem habet. Vel quod peius eſt, malorum litigantium more, teſtes omni exceptione dignos pro eorum libidine, peſſimè criminantur, vt illorum auctoritate infirmata, tũ minus aptè, à Catholicis vrgeri poſſint: tum præuijs ipſis criminibus, & verborum turbinibus, à Catholicorum ſimplicium cordibus, veræ fidei conſtantiam eripiant & in ſum perditionis maſſam perducant. (a) *Hæretici*, ſcribit Gregorius, *contra infirmas fidelium mentes, verborum violentia graſſantur, & pauperum vulgus ſpoliant, quia cum in doctos non præualent, indoctos quoſq; à fidei velamine peſtifera prædicatione denudẽt.* Videre nos igitur oportet, quomodo *linguas ſuas exacuerunt ſicut ſerpentes*. Et nẽ in hac re prolixiores videamur, relictis cæteris Græcis, & Latinis Doctoribus, quorum

(a) *Lib. 16. moral. c. 24.*

Digitized by Google

rum teſtimonio Romani Pontificis Principatus ſatis oſtenditur,& cõprobatur; in vnius tantum Hieronymi, luce ſapientiæ à Deo illuminati, vitam,nefaria ſcõmata à Caluinianis affricata,modo hic recenſere, & vindicare licebit.

317 Lutherus igitur ſic primò Hieronymum exagitat. (a) *Impia*,inquit,*& deteſtanda eſt vox Hieronymi. Quin te Hieronyme conculcamus, vna cum Bethelem cucullo,& deſerto.* Caluinus verò pari modo in Hieronymum debacchatur,vtpotè, (b) *quod inſcriptis ſuis malignum, peruerſumque apertè monſtrauerit Spiritum; Hominem eſſe obtrectatorem,maledicum, ſeditioſum,blaſphemum,&c.*Nec mitius agit Melanchon, dum aſſerit, Hieronymum (c) *confirmare falſas,& ſuperſtitioſas opiniones de traditionibus humanis,vituperare coniugium, malè colligere detortas Scripturę ſententias, Ethnico more coaceruare conuicia ſexus muliebris, & coniugij, ſcurrilia, conuicia iacere in Dei ordinationem, &c.* Caluiniani tandẽ lingua doloſa Hieronymum appellant, (d) *furioſum, rabidum, mentecaptum, ſibique repugnantem, Sacræ Scripturæ euerſorem,cum ſtultas,infelices, & fanaticas opiniones nititur aſſerere.* Similia maledicta, tã in Græcos, Sanctos, Chryſoſtomum,Epiphanium,Irenæũ, Cyprianum,Damaſcenum, & Dionyſium Areopagitam;quã adauerſus Latinos,Ambroſiũ, Auguſtinum,& Hilarium,cæteroſque Doctores effutiunt. Ex quibus conuicijs demum concludunt, ergo Principatus Romani Pontificis Sanctorũ auctoritatibus minimè comprobatur

318 Reſpõdetur. Patres, & Doctores, doctrinis minimè ſuperare, ſed effrænata temeritate iniurijs perperam laceſſire, ac in eos ementita maledicta conſpuere, quæ lenitatem Spiritus, ſicut Hæretici ſe iactant, non redolent, ſed potius Satanicam rabiem, incredibili Superbia inflammatam oſtendunt; ſicut ex ipſiſmet Eutipis hominibus pa-

(a) *In Comment.in c.22.& 31 Geneſ.* (b) *Harmon.ad c.19. Matth.* (c) *In Comm.ad.c.14.epiſt.ad Rom.in.*(d) *In ſcut.fidei dialog.6.7.& 8.*

Digitized by Google

Palam colligi potest. Nam sedata rabie, euacuata bile, de ipsis Sanctissimis Patribus aliter sic rectè, vt decet, sentit, & tenet Lutherus. (a) *Hilariũ, Cyrillum, Ambrosium, Augustinum, Euangelium, & fidem in Christum absque vlla hypocrisi purè, ac simplicitèr tradidisse, Hæreticis resistisse, & Ecclesiam ab innumeris erroribus expurgasse.* Caluinus verò in Epistola ad Sadoletũ, sic scribit. *Statuendum esse ob oculos veterem Ecclesiæ faciem, quæ fuit Chrysostomi, aut Basilij ætate apud Græcos, Cipriani, Ambrosij, Augustini sæculo apud Latinos.* Melanchon denique in Epistola ad Ioannem Cratonem ait. *Optimi Duces esse possunt Irenæus, Tertullianus, Augustinus &c. qui adhibuerunt fidei regulam, cui iungebant consensũ Apostolicarum Ecclesiar.* Quibus Vuhitgiftus, Anglo Caluinista, scribens contra Puritanos, sic adstipulatur. (b) *Hactenus numquam viri in Eccle. sia docti extiterunt, priusquam disciplinæ Geneuensis axiomata a vobis ò Puritani prodita. sunt? Ante vos exortos sapientia extincta est? Rectius vos, quod Apostolorum tempore creditum, aut factum fuit, intelligitis, quam Patres illi Apostolorum successores? Lux igitur, quæ in veteribus Patribus eruditione, & Sanctitate conspicuis toto Orbe resplenduit, sic in tenebras conuersa est, vt videat Cartherouitus, Tranesius, Fennetus, & alij huiusmodi Puritani, qui vix vmbram eruditionis habent: Irenæus autem, Cyprianus, Ambrosius, Hyeronimus, Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, & reliqui Sanctissimi illi Viri, caci iudicẽtur? mortalium stolidissimus esse debet, qui ita iudicat.* Ergo ex supradictorum Sanctorum auctoritatibus in fauorem Principatus Romani Pontificis in prima parte adductis, Principatus ipse magis comprobatur: nec Hæreticorum conuicia contra nos vrgent, aut aliquid probant, vnde ipsa deridendo, sic aduersus Eluidium scribit ipsemet Hyeronimus. *Gloria sunt nobis vestra conuicia, cum eodem ore, quo Mariæ detrahitis, nos laceratis, & cani-*

(a) *In c. 5. ad Galat.* (b) *Exam. discipl. Conciftor. lib. 1. c. 27. pag. 341.*

Digitized by Google

caninam facundiam ſerui Domini pariter experiantur, & Mater.

CAPVT VIIII.

Effutiunt Hæretici, Romani Pontificis principatum per interruptam Succeſſorum eiuſdem Chronotaxim, interruptum fuiſſe.

319 QVod verò in hoc capite Hæretici, & non iccosè, fabellas cæteris narrent, ex ſequenti eorum fabula apertè deſumitur. (a) Ioannes VIII. inquit Martinus Polonus Proteſtans, *vt aſſeritur, fœmina fuit, & cum à puellari ætate à quodam ſuo Amaſio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diuerſis ſcientijs profecit, vt nullus ſibi par inueniretur &c. adeò vt poſt Romæ degens, magnos Diſcipulos, Magiſtros, & Auditores haberet.* Ergo Romanorũ Pontificum Chronotaxis, & pariter eorum Principatus interrupta fuerunt.

320 Reſpondetur, *Martinum*, cæteroſque Proteſtãtes in narratione fabellæ huius, quæ per inſipientium ora circumfertur, mendaciſſimum ſe præſtare; ferunt enim, Ioannã hanc, ſtudiorum cauſa Athenas ductam, vbi inter Condiſcipulos eximiè profecit; quod omninò eſt falſum. Athenis enim poſt Hũnorũ deuaſtationem, tamdiũ ſtudia ſiluerunt, ſicut *Claudianus* ſcribit ad Ruffinum, donec anno 850. à Bardes Imperatore fuerint reſtituta. Dictur ergo incredibile eſt anno 855. in quo Ioannis VIII. electio contigit, Ioannam ipſam poſt abſoluta ſtudia in Pontificem Maximũ eligi potuiſſe. Quę enim ratio ſuadet, ipſam Athenis anno 850. quo ſtudia reſtituta fuerunt, niſi poſt ipſorum ſtudiorum publicationem acceſſiſſe. Quinquennali igitur ſpatio, non modò acceſſus, mora, in ſtudijs progreſſus, ac in ipſa Vrbe acceſſus habetur; verum etiam, quod Romæ legerit, plurimoſque habuerit Diſcipulos. Nec doctrinæ ipſius fama illicò, niſi poſt diuturnam annorum ſeriem, Romæ innoteſcere potuit. Quam breui

(a) *Ad ann. 855.*

Digitized by Google

igitur mulier ista tantũ profecit; verum fœminam illam diuinitus infusam habuisse scientiam Protestantes fabellæ huius assertores respondẽt; Sed proh improbos veteratores, vaferrima, quinimmò ridicula hæc commenta in vulgus effundentes, & à veritate aberrantes! Purum namque sapientiæ Spiritum fœdissimis mulierculis, nefariè per Orbem ferè totum scortatis, tribuere non perhorrescunt.

321 Attamen dato, sed nunquam concesso, mulierem istam per Hæreticorum somnia excogitatã, maximoperè in studijs profeciſſe, virilem sexum mentitam, hoc vnum quæro, quomodò scilicet, ad Summum Põtificatus fastigiũ fuerit euecta, per saltum ne, an Sacrorum Ordinum collatione præmissa? Quod ad primum attinet, nequaquam credibile est, Sacrum Eminentissimorum Cardinalium cętũ, Hominem incognitum, & non probatum, ad tantam dignitatem, Andabatorum more euexisse. Quod ad secundum, Quisnam suaderi potest, post studiorum Athenis reintegrationem, & illorum publicationem, accessum ad ipsa, permanentiam, profectum, recessum, in summum gymnasiarchum cooptationẽ, sacrorum ordinum collationem, & ad supremum Pontificatus Apicem eleuationem, intra quinquennium huic Scorto contigisse? certò nemo. Similia fere verba habet Barrius, ita inquiens. (a) *Quod feminam, eamq; gente Britannicam Põtificem factam Ioãnemq; Octauum vocatam post Leonem Quartum in hac sede sedisse, atque à familiari compressam, ac tempus partus nesciam, dum ad Diui Ioannis Basilicam equitaret, in itinere peperisse dicatur, falsissimum quidem est, quin etiam ridiculum, atque impium credere. Quod mendacium, ac probrum subdolus, ac peruersus quidam Romanæ Ecclesiæ obtrectans veti, vt creditur, impos, quia quod affectabat assequi, non potuerit; in libro Chronicbon Martini, aut fortassit ipsemet Martinus primus po-*

(a) *Lib. 2. de ætat. Vrbis Rom. pag. 554.*

Digitized by Google

posuit in medium. Siquidem Martinus ipse, qui Innocentij Quarti temporibus fuit in sede Romanorum Pontificum in secunda folij pagina prima part. scribit vitam Leonis Quarti, quæ scripta nõ modica ibi margo restat. In sequentis verò folij secunda itidem pagina, parte quoque prima, denuò eiusdem Leonis vita diuersa à prima describitur, vt propalam sit subdole fuisse confictam. Quæ completa, Ioannes Papa fœmina scribitur, non tamen Ottauus nominatur. Sic enim ibi scriptũ est. Post hunc Leonem Quartũ, Ioannes Anglicus natione Maguntinus sedit annis duobus, mensibus sex, diebus quatuor, & mortuus Romæ, & cessit mense vno. Hic, vt asseritur, fœmina fuit, & in puellari ætate à quadam suo Amasio in habitu iuuenili Athenas ducta, sic in diuersis scientijs profecit, vt nullus sibi par inueniretur, adeò, vt postmodum Romæ ciuilium legum magnos Magistros discipulos, & auditores habuerit. Et cum in Vrbe, vita, & scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impregnatur, vnde tempus partus ignorans, cum de S. Petro in Lateranũ tenderet, angustiata Hèc ibi. *Nunc peto Ego à te ò falsari nequã, quicunque, à quonam quæso auctore id asseritur, quod tu fingis? cum nemo ante te hanc fabulam scripserit. Nempè, Anastasius Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, qui Romanorum Pontificum vitas vsque ad Nicolaum primum exarauit, secuto Sergij secundi, Leonis Quarti, Benedicti Tertij, Nicolai primi, Hadriani secundi, & Ioannis Octaui creationibus interfuisse refert, nil prorsus de Ioanne fœmina mentionẽ facit. Quin etiã Leone Quarto rebus humanis exempto post quindecim dies à morte eius Benedictũ Ianium in Romanum Pontificẽ electum fuisse tradit. Cui vni magis credendum est, quam alij omnibus, qui posteriorib⁹ temporibus fuere. Rursus, qui fieri potuit, vt fœmina incesta, ac constuprata cum Amasio suo impudicitijs, & libidinibus demersa in tanta Vrbe in Iuris ciuilis scientia primas teneret, & iuris professores discipulos*

Digitized by Google

haberet, & vitæ probitate tãtæ opinionis esset, vt concorditer Romanus Pontifex eligeretur? & inde impregnata, sexum, & scturam nouem menses iam in dies intumescente alueo occultaret? Pariendi mensem ignoraret, vt tum equitaret cum paritura erat? Quis prudens, ac pius vir adduci potest, vt tã ridiculam, & propbanam fabulam, tam apertum mendacium credat? Permisisset Deus tantum facinoris crimen, vt famina flagitiosa, & constuprata eius vices gereret? Sacros ordines conferret? A peccatis absolueret? Eucharistia Sacramentum conficeret? Sed nec profecto sub tempus illud Athenis literarum studium florebat, & si floruisset, non Romani Iuris, sed aliarum scientiarum. Item si in sede Petri famina, eaque incesta sedisset, nequaquã Leo Nonus, qui ducentos circiter annos post Leonis Quarti fuit, Michaeli Patriarchæ Constantinopolitano in quadam ad ipsum epistola obiecisset, Constantinopolitanam sedem Eunuchos, & fœminam rexisse. Nemo enim vir grauis crimini dat alteri, quo se laborare sentit. Hanc anilẽ, & abominandam fabulam, veluti veram historiã sectati sunt multi, inter quos est Platina, qui tamen à semetipso dissidet. Sed

322 Contra insurgit *Vuitclepb.* Semota Ioanna ista, videamus aliquantulum, Successorum Petri Chronotaxim, interrupta fuerit, necnè. (a) *Deus non promisit, quod quicumque in officio pastorali Petro Romæ successerit, gaudebit dignitate, vt sit Caput Ecclesiæ. Ergo* illi, qui *Petro* successerũt, non successerũt ipsi, tamquam verum Ecclesiæ Caput, & per consequens legitimorum Petri successorum, vera Chronotaxis non habetur.

323 Respondetur: *Vuitclephum* hoc argumento dũtaxat probare, Deum in primæ Sedis officio adeò fuisse negligẽtiæ nomine suspectum, vt neque per successionem prouidere dignum duxerit Ecclesiæ suæ stabiles præsidentes, quod falsũ est, & vt ex Sacra Scriptura ostenditur libro Numeri (b) *Locutus est Dominus ad Moysen dicens, pergat Aaron ad*

(a) *Concluſ. 88. damnata.* (b) *cap. 20.*

Digitized by Google

ad Populum suum, non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis. Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris Patrem veste sua, indues & Eleazarum filium eius; Aaron colligetur, & morietur ibi, fecitque Moyses vt præceperat Dominus; & ascenderunt in Montem Hor coram omni multitudine. Cumque Aaron spoliasset se vestibus suis, indutt eis Eleazarum filium eius. Hęc gerenda de successione Summi Pontificatus figuralis! Deus instituit: quid ergo in noua lege de successione veri Pōtificis Deus efficiet? Augustinus scribit; (a) *Quod Sacerdotium illud, & sacrificium nullā partem tenent hodie fidei Christiana, nisi quod in vmbris futurorum, atque signis acta sunt. Cum verò ambobus fratribus, idest Aaron, & Moysi dicitur, vt apponantur ad Populum suum, manifestum est, non esse in illos iram Dei, quæ ceperat à pace sanctæ societatis æternæ. Vnde manifestatur non solum officia, sed etiam mortes eorum, futurorum, fuisse signa.* Compertum est igitur, inquit Vualdensis, quod Sacerdotiū illud Aaroniticum Christianis prophanum esset, nisi vmbra Sacerdotij, & Pontificij Christiani ipsum extitisset. (b) *Manifestantur enim non solum officia, sed & mortes eorum, signa fuisse futurorum*, scribit Augustinus. Ita etiam Sacrificia, & holocaustomata, & ritus, & festi dies, & quæcumque alia, quæ illis in figura tantū contingebant, nobis in veritate succedunt. Si ergo Deo tunc cura de Hominibus non fuit, quare de habendo Successore Summi Pontificatus Aaronitici tantopere curauit. Si non magis Episcopus de successione Summi Pontificij Sancti Petri fuerit sollicitus; An figura volebat veritati præferre, & succurrere? voluit potius nè Sacerdotium Iudæorum occūberet, & magnum Pontificatum, quem in Petro post sepsum dedicauit, patietur occūbere? Quis ista putaret, cum non tantum in hoc loco, verum & quando de Thuribulis seditio-

(a) Tom. 4. de quæst. numeror. q. 42. (b) Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 30. n. 3.

Digitized by Google

tionis fieri laminas ductiles in ornamentum altaris Eleazaro commendauit, hoc idem de successione Pontificatus etiam insinuauit, vt testatur Augustinus; (a) *Hoc loco*, inquit, *cur non ad Moysen, & Aaron, sicut in superioribus Dominus locutus sit sed ad Moysen, & Eleazarum, hæc mihi causa interim occurrit: Quoniam, qui erat de progenie Sacerdotum, ideſt de quo genere esse deberent. Vnde illi ex alio genere, quia sibi vsurpare Sacerdotium ausi sũt, cum horrendo, & admirabili supplicio perierunt, non ad Aaron, qui summus iam Sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, & secundo iam Sacerdotio fungebatur, vt eo modo seriem ordinis commendaret, quę in successionibus Sacerdotum esse deberet.* Hoc ergo modo voluit per *Eleazarum Deus nõ Sacerdotium quod iam erat in Aaron, sed successionibus Sacerdotalis progeniei commendare.* Pluris Pontificij successio, prosequitur Vualdensis, vt fideles veraciter credunt, debet esse Christianis; nempè vt non tantum cum Sancto Petro obierit, sed ad mysticum *Eleazarum* transferatur. Re uera Aaron moriturus, veste qua vestitur Eleazar Pontifex subrogandus spoliatur; & moriturus Petrus Summi Pontificis se exuit potestate, eaque Clementem, ad formam, & ritum legitimi Successoris instituit; ipsemet Clemens epistola in *cap. 4. q. 3.* primæ partis à nobis relata, refert. Solus Aaron adhuc superstes, Pontificatum successori subrogat, & solus Petrus adhuc superstes, Pontificatum Clemẽti donat. Ceteri Pontifices legis, prędecessore suo mortuo, vel expulso, subintrant; ita, & singuli quoque Pontifices legis Christi, & non subrogantur; hæc autem Deo iubente, tantum in primo Pontifice legis completum est, vt regula successionis seruandæ aliquando daretur, ipsamque in hoc facto perpendere in primo Pontifice gratiæ debemus. Vestem suam exuit Aaron, potestatem suam Petrus. Sic enim Hieronymus super illud Pauli ad Corinthios. (b) *Mulier velamen debet habere su-*

(a) *ibid. qu.* 30 (b) *Epist. 1. c. 11.*

Digitized by Google

Super caput, apertè testatur. *Velamen*, inquit, *signum potestatis esse declarat*. Velamen ergo vestis suæ. Petrus tunc Clemēti, tanquam Aaron successori suo distribuit, quando ligandi, atque soluendi de quibuscumque potestatem ei tradidit. Ergo qui Petro successerunt, & succedent, ei ex Dei præordinatione tanquam caput Ecclesiæ succedunt.

324 Contra, inquiūt Protestantes. Ille, qui legitimē tanquam Ecclesiæ caput Petro succedit, debet esse vnus sicut fuit Eleazar, & Clemens, non plures. Sed tempore schysmatis non vnus, sed plures successerunt Petro; Ergo ipsi vt Caput Ecclesiæ tunc minimè Petro successerunt, & sic tunc saltem Pontificum Chronotaxis interrupta fuit ob schysmata.

325 Respondetur: Vel tempore schysmatis constitit de vero Petri successore, nimirum, alterutrum ex illis verum Pontificem, & Ecclesiæ Caput fuisse, vel non constitit, & sic neuter illorum fuit. Si primum, habemus intentum, quod scilicet tunc non sit interrupta legitima pontificum Chronotaxis, quia semper fuit, & enituit verus summus Pontifex, & Ecclesię Caput. Si secundū, nempè quod de vero Pontifice, & Ecclesiæ Capite non cōstaret, & nullum illorum esse summum Pontificem censebatur. Ergo tunc Romana sedes vacabat per non legitimam, & concordem Successoris *Petri* electionem. Sede autem vacante, non censetur interrupta successoriū Chronotaxis, aut Pontificum successio; *Vacat* enim, & noua electione noui successoris iterum impletur; & sic semper verus vero, certus certo *Pontifici*, in Cathedra Apostolica Petri noua electione, serie continuata successit; numerando Summos *Pontifices* ab ipso Petro, vsque in hodiernum Innocentiū XII. legitimum Petri successorem.

CA-

CAPVT VLTIMVM

Vrgent iterum Hæretici, Romani Pontificis principatum Monarchicum nõ esse, nec hunc numero Innocentiũ XII. eius verum Monarcham,

326 VT Monarchicum Romani Põtificis Principatum, Catholicæ fidei Hostes omni conatu ad terram prosternerent, hanc viam sibi facilem sterni putarunt, nempè si auctoritati Conciliorum ipsum subijcerent; quia tunc Monarchia non in Romano Episcopo, sed in Concilio esset, cum nefas sit duplicem Monarchiam asserere. Propterea in Epistola ad Franciscum Galliæ Regem *Caluinus* Conciliabolum Basilienſe, verum Concilium fuisse scribit, eo quod sess. 33. Concilium esse supra Papam, de fide catholica tenendum statuit; ipsique Concilio Caluinus sic ait: *Nihil ad exteriorem maiestatem deerat, duobus enim diplomatibus solẽniter in id tum præsidente Romanæ sedis legato consecratum, rerum omnium ordine benè cõpositum, eadem semper vnitate ad extremum perseuerauit.* Et addit (a) *Hermanus*, tale Concilium fuisse à Nicolao V. cõfirmatum. Ergo Papa minime Monarcha est, cum alijs subijciatur.

327 Respondetur. Iudas quidem, inquit *Hieronymus*, benè vitam instituit; Malè autem ad vitæ exitum perductus est. Sic pariter Basilienſe Põcilium, ad Hæresis Huſſitarum extirpationem ab Eugenio IV. Romano Pontifice legitimè indictum, & inchoatum fuit. At quia iniqua hominum tumultuariorum conspiratio sub specie reformandæ Reipublicæ Christi, non contra Huſſitarum errores, sed potius tum in Romanum Pontificem, & de ipsius depositione totis viribus egit, tum plura Romanæ Ecclesiæ priuilegia, præsertim quæ maximè necessaria erant, omnino tollere, & antiquare studuit; ideò illa vniuersalis Congregatio, non Concilium, sed Conciliabolum fuit. Nam cum Romanus Pontifex Basileam

(a) lib. 3. prolegom. c. 12.

Digitized by Google

lem Oratores destinasset, vt factiosè congregati à cæpta conspiratione desisterent, illis obtemperare renuerunt: Propterea Summus Pontifex reuocato Cardinali Cæsarino Apostolicæ Sedis legato, Cõcilium dissoluit, & Ferrariam transtulit, ea præcipuè de causa, quod Græci de vnione cum Romanis incunda acturi, eum locum delegissent. At illa Schismaticorum Congregatio furore percita, in sui sceleris augumentum, sess. 34. Eugenium IV. verum Iesu Christi Vicarium, & Petri Apostoli Successorem legitimum, prius inualidè citauit, deinde à Contificatu nulliter deposuit, in eius locum ad Friderici Imperatoris preces Amodeo Sabaudiæ Duce in Antipapam suffecto, cui Felici V. nomen fuit, & nouem post annis sub Nicolao V. Romano Pontifice, & legitimo Eugenij IV. Successore à Pontificatu se abdicauit. Basilienſe autem Concilium, quod illegitimum omnino fuerit, non modo Patres ipsi testantur, qui Basileæ congregati, Lausannæ deinde ex Basilea Concilium transtulentes, sub nomine Concilij Oecumenici supradicto Eugenij successori, tanquã vero Pontifici se subiecerunt, eique obtemperandum esse ab omnibus decreuerunt: verum & à Leone X. in Concilio Lateranensi sess. 11. nullũ fuisse declaratum, & definitũ fuit. Vnde falsum est id, quod ait Hermannus; videlicet supradictum Concilium à Nicolao V. fuisse confirmatum; quia vt ex Bulla Nicolai eidem Concilio annexa, apertè constat; Pontifex ea sola, quæ Concilium circa beneficia, & censuras Ecclesiasticas egerat confirmauit; non autem ea, quæ contra Monarchiam Papæ attẽtauerat, sicut meus P. Coriolanus ad intentum ita scribit. (a) *Quando verò post horum discessum, Synodus sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, inuitoque Pontifice prorogata est, non tantum Oecumenica, verum etiam legitima Synodus esse desijt. Et propterea dicitur, hoc Concilium ex parte reprobatum. Nam quod sit reprobatum*

Eee *aucto-*

(a) *Sam. Concil. Concil. Basil. pag.* 868.

Digitized by Google

auctoritate legitima, constat ex sess. undecima Concilij Lateranensis sub Leone X. celebrati, vbi Conciliabolum Schismaticum, Seditiosum, & nullius prorsus auctoritatis non immeritò appellatur; Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronunciare ausum est, omnesque præcipui Episcopi discesserant; & quidē Cardinalis Arelatensis munus præsidendi sibi assumpserat. Et quia Episcopi paucissimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem Præsbyterorum multitudinem: ita vt contra omnem formam Conciliorum, non Episcoporum, sed Præsbyterorum Synodus esset.

328 Contra sententiam latam per Melchiadem Papā Episcopus Arelatensis, vt scribit Augustinus, iterum cognouit, & iudicauit. Ergo Papa non est totius Orbis Monarcha. Antecedens est certū. Consequentiam verò sic probat Caluinus, (b) *Si Romana Sedes summam habet potestatem sine prouocatione, cur sibi tam insignem ignominiam irrogari patitur Melchiades, vbi sic Episcopus Arelatensis præferatur?*

329 Respondetur, Arelatensem Episcopum causam iudicatam à Melchiade Papa iterum iudicasse, non ex prouocatione, tanquam ad alium Iudicem, sed quia, vt refert Augustinus, illorum tempore maxima iniquitas ferebat, vt Imperator Donatistis aliud iudicium eiusdem causæ petentibus acquiescceret, non quia necesse esset, cum solum illud Melchiadis *Papæ* sufficeret, sed vt illi dementes condemnati postmodum in duobus iudicijs, veritati cederent, & ad sanam mentem redirent (c) *Dedit Imperator*, scribit ad Gloriū Augustinus, *posse Melchiadis Romani Episcopi iudicium, aliud Arelatēse iudicium aliorum Episcoporum, nō quia iam necesse erat, sed Donatistarum peruersitatibus cedens, omnino cupiens tantam impudentiam cohibere. Nec enim ausus est Christianus Imperator, sic tumultuosas eorū fallaces querelas suscipere, vt de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant, ipse iudicaret, sed*

(a) *epist.* 152. (b) *lib.* 4. *in litur. c.* 7. *s.* 10. (c) *epist.* 1.

Digitized by Google

sed alios Episcopos dedit; Nempè ad plausibiliorem,& euidentiorem eorum condemnationem, sicut actum est, nã vt prosequitur Augustinus, *illorum Episcoporum iudicio,& Ceciliani innocentia, & Donatistarum improbitas declarata est.*(a) De cætero, vt Optatus Mileuitanus refert, *Papæ Melchiadis sententia clausum iudicium est.* Sicque nulla illata fuit Melchiadi Papæ ignominia; & per consequens illæsa remansit potestas eius Monarchica. Sed

330 contra, à multis Episcopis Chalcedonensis Cõcilij, epistola S. Leonis Papæ examinata fuit, sicut ipsemet S. Leo tali illam examine approbatam fuisse gloriatur.(b) Ergo Papa Concilio subditur, & per consequens non est totius orbis Monarcha.

331 Respondetur, allatã S. Leonis Papæ epistolam, nequaquam decretoriã, sed tantum instructoriam fuisse, eaque magis instructi Concilij Chalcedonensis Episcopi, sẽtentiam rectius tulerunt; præterea approbatio illa per Cõciliũ facta dicitur instructionis Pontificiæ commendatio, qua Episcopi ad Decretum,& vltimam sententiam Pontificis,& Cõcilii nomine processerunt; sicut omnes Concilii Patres vno ore clamauerunt, *Petrus per Leonem loquutus est.* Neque ex hoc sequitur, talem approbationem aliquid quãtumuis minimum Monarchiæ Summi Pontificis detrahere, cum ipsimet Conciliares Patres de ea ita decreuerint.(c) *Perpendimus, omnem Primatũ, & honorẽ præcipuum antiquæ Romæ Deo amatissimo Archiepiscopo conseruari.* Et in huius rei argumentum, de Theodoreto ab eodem S. Leone Papa suæ Ecclesiæ restituto, dixerũt.(d) *Ingrediatur Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo.* Sed

332 Contra. Christus ait Petro, & eius successoribus:(e) *Si peccauerit in te frater tuus &c. dic Ecclesiæ*, vnde tam Petrus, quam eius Successores

Eee 2 ex

(a) *lib.*1. *contra Parm.* (b) *epist.*63. (c) *recit. in act.*16. (d) *can. act.*1. (e) *Matth.c.*18.

Digitized by Google

ex Christi mandato debent peccatores ad Ecclesiam, tanquam tribunal superius Petro, deferre; sed Concilium repræsentat Ecclesiam; Ergo Concilium est supra Papam, & Papa non est Monarcha.

333 Respondetur. Nomine Ecclesiæ in loco supracitato, Concilium generale non venire, alias pro vno Peccatore corrigendo, aduocatis in Concilio Episcopis, orbem vniuersum quotidie commouere necesse esset; sed dumtaxat Prælatum in iudicio præsidentem, venire, vt contumaces correptionem secreto eis factam, contemnentes, ligandi potestate, nimirum censuris, publicè corrigantur. Dic *Ecclesia*, exponit ipsum textū noster Sylueira, (a) *nempe illius Præsuli, penes quem est auctoritas ligandi panis, & censuris huiusmodi contumaces: vt qui priuatos despexit, Prælatum ob eius dignitatem, & potestatem reuereatur, eique corripienti obediat. Nec aliud volunt Sancti Patres citati: Nam dicere toti Ecclesiæ per orbem diffuse, fieri facile non poterat. Ergo Ecclesiæ Præposito, seu ministris illius dicendum est.* Nihil autem de Monarchia Papæ. Sed

334 Contra. Papa est membrum Ecclesiæ; Ergo est minor suo toto, quod est Ecclesia, & per consequens subditus illi, & non monarcha; minor enim maiori seruire debet.

335 Respondetur distinguendo primum consequens. Papa est minor suo toto, nempe Ecclesia existente sine Papa, nego consequentiam; quia Ecclesia sine Papa non est totum, sed pars; licet maior, magnitudine molari, nō vero magnitudine potestatis, directionis, & virtutis, sicut in quolibet Corpore patet. Papa est minor suo toto, videlicet Ecclesia existente cum ipsomet Papa, subdistinguo; extensiuè, seu dilatatiuè per vniuersum orbē, concedo. Intensiuè, nego, quia vt sic est æqualis, sicut ostendit hoc exemplum de Ente. Ens enim vt ens, quatenus dicit ens increatum, & creatum simul, intensiue nō est maius bonum, quam sit ēs in-

(a) Homo. 4. lib. 6. c. 11. expos. 3.

increatum, & diuinum, sed extensiuè tantum, quia extẽsiuè plura bona dicit; nempe creatum, & increatum, naturale, & diuinum. (a) *Homo enim*, scribit noster Resolutissimus Doctor *Superabundat animali per rationale* (intẽsiuè) *per quod facit Hominem inferius ad animal* (extẽsiuè) *& tamen retinet superioritatẽ ad Hominem*; pari modo summus Pontifex extensiuè est minor Ecclesia, non autem intensiuè, quia Papa, vt Papa, non est membrum, seu pars Ecclesiæ, sed potius Caput, seu quoddam totum fontale, in quo Deus pro directione Corporis Mystici, videlicet Ecclesiæ, omnem plenitudinẽ auctoritatis, & potestatis spiritualis reposuit; Sublato Capite, moritur Corpus, quia in ratione directionis, principij influentis, siue fontis, potestas fontalis Spiritualis in ipso Capite visibili reposita pro directione Corporis, destruitur. Sed

336 Contra. Potentia agendi principalius est in toto, quam in partibus, quę sunt veluti instrumentum totius; sed Papa est pars; Ecclesia verò est totum; Ergo potestas Spiritualis, & Ecclesiastica principalius conuenit Ecclesię, quam Papæ, & sic Papa non est Monarcha.

337 Respondetur cum P. Fiumi, distinguendo maiorem. Potentia agendi principalius est in toto quãtitatiuo, & integrali, concedo. In toto potestatiuo, auctoritatiuo, & potentiali, nego: Sed Papa est pars, distinguo minorẽ, est pars potestatiua, auctoritatiua, & potẽtialis, cõcedo. Ergo potestas spiritualis principalius conuenit Ecclesię, quam Papæ, vt toti quantitatiuo, & integrali simul cum capite, cõcedo; vt toti potestatiuo, auctoritatiuo, & potẽtiali, nego. Sic enim principalius est in Papa, quia magis potest in potestatiuo vna virtus, quam omnes aliæ virtutes inferiores simul vnitæ; propterea potentia agendi principalius est in illa virtute vna, quam in reliquis inferioribus vnitis. Exẽplũ est de Rege respectu Regni: maior enim potẽtia agẽdi au-

(b) 1. *sent. dist.* 25. *q.* 1. *ar.* 1. *ad* 5. *argum.*

Digitized by Google

auctoritative est in Rege, quã in Regno, & reliquis ministris; A pari in ratione potestatis, potentia agendi principalius est in Papa, quam in reliquo Corpore Ecclesiæ. Etenim de ratione, & natura totius potestatis est, vt omnis virtus in potestijs inferioribus reperta, & dispersa in potestia, & virtute superioris eminentius, & principalius continetur; & ideo superior virtus, non [illegible] dicitur. Sicque Papalis ratione potestatis, non modo est pars principalis Ecclesiæ, sed tota Ecclesia virtualiter; sicut exemplatum est Archetypus, & Exemplar, [illegible] diate à Christo habere auctoritatem, cui omnes, etiam si Papalis dignitatis existant, obedire tenentur. Vel hoc Cõcilium est approbatum, vel non? Si primum. Ergo Papa non est Monarcha, quia subditus Concilio declaratur. Si secundum. Ergo Concilium perperam Ioannem XXIII. Gregorium XII; & Benedictũ XIII. deposuit, & Martinum V. elegit.

339 Respondetur, Supradictum Decretum, vti scribit, (b) *Iacobatius* à paucis admodum Patribus, sub Ioannis XXIII. obedientia eo tempore, quo Ioannes à Concilio discessit, (vt patet ex eodem sess. 4.) absentibus Patribus, qui sub obedientia Gregorij XII. & Benedicti XIII. erant, editum fuisse, ac proinde vtpote à locali, non Generali Concilio emanatum, ab eodẽ Concilio sess. 40. simul cum cæteris alijs reprobatũ fuit. Id autem Cõcilium, vt Schisma, quod tũc vigebat tolleretur, fuit indictum, cum nullus ex tribus in Pontificatum coaptatis, verus, ac legitimus Petri successor, à tota Ecclesia haberetur. Propterea estò Decretum illud tunc temporis legitima fuisset auctoritate sancitum, nihil nobis officeret; etenim de legitimo, & vero Papa tempore schismatis ambigitur; & propterea anceps, & ignotus Pontifex pro vero

(a) *Lib. 6. c. 29.* (b) *Lib. 5. de Concil. c. 16.*

Digitized by Google

vero Papa non habetur; nec vperperam Concilij illos priuando se gessit, aut auctoritatem aliquam supra verum, & legitimum Pontificem exercuit, cum ad medendum schismati illegitimum Pastorem à tota Ecclesia pro vero Papa non habitum Ioannē XXIII. ejecerit; alij vero duo eorum prętensioni cesserunt. Sed

340 Cōtra, inquit *Archiapostata Spalatrensis*. In Concilio Chalcedonēsi, cum ex cōmuni Patrum sententia contra Eutychetem, & Nestorium definitum fuisset, & Romani Pontificis legati cum paucis in subscribendo hæsitarent, ipsimet Patres act. 5. ad Iudices clamare cæperunt. *Iubete subscribi definitionem, contra fidē fraus non fiat, qui non subscribit definitioni, hæreticus est. Omnes Reuerendissimi Episcopi, præter Romanos, & aliquos Orientales, clamauerunt: definitio omnibus placet, hæc fides Patrum, quæ præter istā sapit, anathema sit.* Ergo Concilium dum renitentibus Romanæ sedis legatis, (quos inter Hæreticos deponit, nisi subscribant) definitionem pleniſſimā esse per se decernit, Papam, nō vt Monarcham, sed vt quemlibet alium Episcopum agnoscit; Ergo &c.

341 Respondetur. Non modò somnia in sole narrare, verum & toto Cœlo *Spalatrēsem* mentiri; illius enim definitionis coordinatio, vt habetur Act. 5. Episcopis, & Apostolicę sedis Vicariis commissa fuit; cui Paschasinus primus legatus, seu Vicarius, vt habetur *Act. 6.* his verbis subscripsit. *Paschasinus Episcopus, vice Domini mei Reuerendissimi, atque Apostolici Viri Vniuersalis Ecclesiæ Papæ Vrbis Romæ Leonis, Synodo Præsidens statui, consēsi, & subscripsi.* Quod etiam alij duo Vicarij, Lucentius, & Bonifacius, atque alii Episcopi subscripserunt. Si autem ipsi supradicto Decreto minimè subscripsissent, nullum fermè robur obtinuisset. Decreto autem illi tantum de præcedentia atriarchæ Constantinopolitani super alias Ecclesias, præter Romanam, restiterunt; En quomodo tum Spalatrensis mendacium, tum præsidentia, & auctoritas legatorum Papæ, siue Monarchia eiusdem

su-

Digitized by Google

supra Concilium apertè constat, quam Patres ipsi in Synodica ad Leonem Papam epistola his verbis fatentur. *Rogamus vestram Sanctitatem, dignetur honorare nostrum iudicium decreto vestro, & sicut in bonis rebus, nos ipsos oliẽdimus vniformes nostro capiti, ita & vestra præeminentia, & Principatus respiciat pro suis filijs, quod est honorabile, & conueniens.* Hæc autẽ sint ne Supremi Superioris, an potius subditi cuiuscumque Episcopi verba, sapiens lector diiudicet. Sed

342 Contra. Concilium, vel Ecclesia, Papam in casu hæresis deponere potest. Ergo Concilium est supra Papam, Papa verò inferior Concilio, & minimè Monarcha est; antecedens patet ex dist. 40. *cap.* si Papa, Canone, *nunc autem* 21. dist. & ex Canone etiam *Acatius* 24. qu. 1. Consequentia verò probatur. Quia Inferior Superiorem deponere nõ potest; sed Concilium potest deponere Papam. Ergo Concilium est Superior, Papa verò inferior, & non Monarcha.

343 Respondetur, relatũ casum omnino impossibilem esse; quia scriptura ait, *Impossibile est mentiri Deum*; Dei autem Filius Christus Iesus dixit Petro, (a) *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Si ergo Deus mentiri nõ potest, nec Petrus, aut eius pro tempore successor Papa deuiare potest à fide, quia quod dictũ est Petro, oraui pro te, vt fides tua non deficeret, inquit Sylueira (b) *dictum etiam intelligitur Petri successoribus, Romanis nempè Pontificibus, cathedra Petri super eius fidem est fundata, & ita docent D. Leo serm. 3. de assumptione, D. Bernardus epist. 190. .... Obtinuit Christus orans pro Romanis Põtificibus, vt nunquam eorum fides omnino deficeret, & hucusque numquam accidit, vt Sũmus Pontifex deficeret in fide, quia sicut Deus prouidet, vt ipse definiens, numquam erret; etiam prouidebit, vt ipse numquam fit Hæreticus.* Ita Bellarminus *lib. de Rom. Põtific.* Pighius, Simancas, Suarez &c. sed his omissis dato pro impossibili, quod aliquis in Pontificatu sedens manifesta hæresis labe possit aliquando coin-

(a) *Luc. c. 22.* (b) *Tom. 5. lib. 7. c. 10. expos. 3. q. 5. num. 27*

Digitized by Google

coinquinarit

344 Respondeo ad argumentum, distinguendo antecedens. Concilium, vel Ecclesia, quod ad nos attinet in tali casu Papam deponere potest; ipsum vtpotè notoriè hæreticum, minimè Ecclesiæ membrum, ac per consequens neque Summum pontificem esse decernendo, cõcedo. Etenim, vti scribit municeps meus P. Coriolanus: (a) *Hæreticus manifestus nullo modo est mẽbrũ Ecclesiæ, neque animo, neque corpore, siue neq; vnione interna, neque externa: Ergo desinit esse Christianus, ac etiam Papa.* Potest deponere Papam in propria auctoritate, quam fortè supra ipsum autumat habere, nego; & rationem negationis, dilucidè assignat noster Lezana. (b) *Quia, inquit, quemadmodum in creatione Papæ Ecclesia tantum designat personam, Deus autem immediatè confert illi tam dignitatem, sic in casu notorio hæresis Papæ: & si ab Ecclesia possit, & debeat declarari vt hæreticus, ineptus ad Papatum ob publicum periculum ipsius Ecclesiæ: Deus autem erit, qui immediatè illũ deponit, quia solus ipse habet auctoritatem super ipsum.* Ergo illum non deponit Concilium, & exinde Papa non est inferior Concilio, sed ipso potius Superior, & verus Monarcha est, sicut in Concilio Lateranẽsi sess. 11. his verbis definitur. *Cum solum Romanũ Pontificem pro tempore existẽtem, tamquam auctoritatem super omnia Cõcilia habentem, Conciliorum indicendorum plenum ius, & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum decreto, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat manifestè.*

345 Contra. Si hoc esset, sequeretur, quod Papa vti occultus Hæreticus, esset, & non esset Papa; esset Papa, quia occultus: non esset Papa, quia illum Deus priuauit ob hæresim; Sed hoc implicat: Ergo Papæ depositio omnino pertinet ad Concilium.

(a) *Summ. Concil. prael.* 10. (b) *tom.* 3. *tract.* 1. *de fide. disp.* 8. *de reg. fid. q.* 5. *pag.* 92.

Digitized by Google

346 Respondetur cum *Turrecremata* lib. 4. par. 2. cap. 20. cui meus P. *Coriolanus* (a) etiam adhæret; Papam occultè hæreticum, minimè deponi posse ab Ecclesia, quia adhuc iurisdictionem haberet, cum duplicem à Deo habeat influxum; Alterum prout priuata Persona: Alterum verò quatenus Caput est, & Deus per ipsum tanquam sui ministrum in membra Corporis Ecclesiæ influit. Per hæresim ergo, non reciperet primum influxum, secundum tamen per modum gratiæ, ad aliorũ beneficium gratis datæ reciperet; & ita diuina promissio saluaretur, & Petri fides non deficeret, nec quod attinet ad subditos, auctoritate spoliaretur; in his tamen; quæ secundum veram fidem sunt, & secundum veram fidem docet, & illi in omnibus, quæ contrà fidem non sunt, vel bonos mores, & veram disciplinam Christianam, præstanda esset obedientia; Nec ex hoc sequitur; Ergo est Papa, & non est Papa; quia argumentum non esset ad idem, nam non esset Papa quo ad se, esset tamen quo ad subditos ob gratiam gratis datam, ad ipsorum beneficium, & secundum hoc nõ verificatur contradictorium. Sed

347 Contra inquit Archiapostata Spalatrensis. (b) *Ioannes Gersonus, nixus definitioni Concilij Constantiensis, illam posuit conclusionem: Concilium generale potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cuiuscumque status etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem Schismatis, &c.* Ergo Concilium à Christo supra Papam accipit potestatem, & per consequẽs Papa Concilio subditur, & nõ est Monarcha.

348 Respondetur, Concilij verba non de vero, & indubitato; sed de ignorato Papa intelligenda esse, & cum schisma viget, & neuter est canonicè electus; vel quis an canonicè sit electus ambigitur, & hoc Decretum illud respexit, schismatis nimirum tempus, & factiosos, vel illegitimos Pontifices, non autẽ le-

(a) *Sum. Concil. præl.* 10. *dub.* 1. (b) *lib.* 1. *de Republ. c.* 3.

Digitized by Google

legitimos, & ritè electos, qui supra Concilium sũt, & Orbis vniuersi, tamquam veri Monarchæ moderatores, quemadmodum Innocentius XII. verus, & summus Ecclesiæ Pontifex est. Sed

349 Contra: Non constat, nec est à Deo reuelatum, aut ab Ecclesia definitum, quod Innocentius XII. sit baptizatus, Sacerdos, aut canonica electione electus: & casu cõstaret, non ex fide, sed ex quadam certitudine morali constaret. Ergo hic numero Innocentius XII. non est verus, ac certus de fide summus Pontifex, nec totius orbis Monarcha.

350 Respondetur; quod eo ipso ac Summus Pontifex à Cardinalibus canonicè electus habetur, & toti Ecclesiæ, vti legitimus Petri successor adorandus, & colendus præponitur, & ab ipsis, & tota Ecclesia vt talis adoratur, & colitur, tunc implicitè censetur à Deo reuelatum, eum verum Summum Pontificem, ac totius orbis Monarcham esse, minimè Deo permissuro, Pontificem non baptizatum, non Sacerdotem in Petri Cathedram sedere, vel de Cathedra pronunciare. Pari modo etiam censetur ab ipso Papa definitum, cum esse baptizatum, Sacerdotẽ, ac canonicè electum, quod totum in illis testibus, ex quibus habetur Ecclesiam non posse errare, fundatur, & stabilitur, alias Episcopi in Concilio legitimè congregati, neque essent Episcopi, & Concilij Patres: etenim *Fidei Christianæ dogma est*, inquit P. Coriolanus, (b) *Episcopos assumptos à Romano Pontifice esse legitimos, & veros Episcopos; Ergo Pontificẽ, cuius auctoritate assumũtur, fide catholica fatendum est, esse legitimum, & verum Pontificem; alias Episcopi non essent veri, & legitimi Episcopi, cõtra sess. 23. Canon. 8. Concilij Tridentini definientis.* Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit. *Ergo Clementem, Pium, Gregorium, Paulum, quorum*

Fff 2 *au-*

(a) *Sum. Concil. præl. 10. assert. 2.*

Digitized by Google

auctoritate eliguntur Episcopi, veritate fidei catholicæ cogente, dicendum est, esse legitimos, & veros Pontifices. Item qui Innocentium XII. *cui catholica paret Ecclesia, aut; Caput Ecclesiæ, aut verum Petri successorem, aut Christi Vicarium pernegaret, non in humanam, sed in fidem ortodoxam, & cui non potest subesse falsum, peccaret, & tamquam verus Hæreticus flammis cremaretur: Ergo ad fidem infusam diuinitus pertinet, Innocentium XII. ab vnoquoque Christiano verum, legitimumque Christi Vicarium prædicari.* Hactenus eruditissimus meus Ciuis.

QVÆSTIO VLTIMA

Hæreticorum Obiectiones, quibus Supremam Romani Pōtificis ligandi, atq; soluēdi potestatem criminantur, luculenter diluuntur.

PROLOQVIVM

VT Aduersariorum obiecta de Institutione, hereditaria Successione, monarchico Romani Pōtificis principatu fusius à nobis in præcedentibus explosa sint, minimè tamen nobiscum consentientes, immo vehementiori iracumdię vi compulsi Supremam in Orbem vniuersum Christi Vicario diuinitus elargitam potestatem fædissimis calūnijs vexare, quinimmo omnino euertere contendunt. Idcircò ne insontes, aut simplices vaferrimis eorum dictis adducātur in fraudem, audaciæ eorumdem infringēdæ alacri animo de integro insurgimus. Quapropter sit.

CAPVT PRIMVM

Impiè Hæretici sentiunt, Christum in terris potestatem nullam Romano Pōtifici contuliſſe.

351 INfēlissimi Catholicæ Ecclesiæ osores Lutherus, & Caluinus, vt ab eius Summo Pontifice tēporalis potestatis plenitudinem, diuinitus ei collatam super omnia Mundi bona, omninò auerterent, Christum asserunt, numquam Petro, vel per illa verba *tu es Petrus*; vel

per

Digitized by Google

per alteta *pasce oues meas*, potestatem aliquam contulisse temporalem, vel spiritualem.

Et quidem sic Caluinus insurgit. Petra fundamentalis, de qua loquitur Christus, (a) *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt aduersus eam, & tibi dabo claues, &c.* non est Petrus, sed ipsemet Christus. Ergo Petra illa fundamentalis Petrus non fuit, & ideo auctoritas nulla ei super omnia bona Mundi à Christo collata fuit. Probatur antecedens, tum ex D. Paulo ad Corynthios scribēte: (b) *Fundamentum aliud nemo potest ponere, nisi quod positus est Iesus Christus.* Tum ex D. Augustino testante, (c) *super meipsum filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam: super meipsum ædificabo te, non me super te.* Ergo illa petra fundamentalis non fuit Petrus, & per consequens nulla auctoritas super omnia bona Mundi fuit à Christo ei collata.

352 Respondetur negādo antecedens, & rationem negationis, noster Sylueira sic adducit. (d) *Perperam, & iniquè Caluinus ait: super hanc petrā, ac si dicat Christus super meipsum ædificabo Ecclesiam meam; quia constanter omnes Patres per hanc petram, Petrū Principem Apostolorum denotari docent, quos latè referunt Maldonatus hic, Bellarminus lib. 1. de Rom. Pontific. c. 10. Suarius contra Regem Angliæ lib. 3. cap. 10. à num. 8, vbi latè adducunt omnes Patres. Et patet ex textu Syriaco, & Hæbraico, tu es petra, & super hanc petram. Et Christus loquitur cum Petro, & ad ipsum spectant antecedentia verba, & consequentia, tu es Petrus, & super hanc petram, & tibi dabo Claues Regni Cœlorum. Quæ verba omnia eādem promissionem Petro continuant. Sensus ergo est: ò Petre ob hanc sublimem fidem, et confessionē tuam te constituo, vt post mortem, et resurrectionem meam sis fundamentum Ecclesiæ meæ, quam ei tradidit, cum dixit, Pasce oues meas. Quę*

vir-

(a) *lib. 4. Instit. c. 6. 8. 6.* (b) *Epist. 1. c. 10.* (c) *tract. vlt. in Ioan.*
(d) *tom. 5. lib. 6. c. 5. expos. 2. n. 144.*

Digitized by Google

verba dicta sunt Petro, *eiusque Successoribus, vt est perpetua traditio Ecclesiæ, & docēt D. Chrysostomus, D. Augustinus, D. Cyprianus*, D. *Leo, & communiter* Patres. *Nam si hoc tantum esset dictum* Persona *Petri, vt volunt Hæretici, mortuo* Petro, *extincta esset* Ecclesia, *nam destructo fundamento, destruitur res. Ergo cum Ecclesia sit duratura vsque in finem mundi, vt intelligunt Sancti* Patres *ad illa Christi verba*, Ecce Ego vobiscum sum vsque ad consūmationē seculi: *eius fundamentum durabit vsque ad consūmationem seculi, quod optimè colligitur, & intelligitur constitui ex* Petro, *eiusque successoribus* Romanis Pontificibus, *qui sunt veri, & legitimi successores* Petri, *vt docet Sancta fides catholica, & latè ostendit Suarius citatus à cap.* 13. Ad auctoritatē allatam Diui Pauli.

353 Respondetur: Christum tanquam principale Caput Ecclesiæ & primum summum Pontificem, eiusdem Ecclesiæ primarium fundamentum fuisse; Petrum verò tanquam eius Vicarium, respectu Christi, fundamentum Ecclesiæ secundarium; primarium verò respectu aliorū Apostolorum. Ad illam tandem Augustini rationem.

354 Respondetur: *Augustinum* ibi de lapide angulari, & fundamento originali, & primario, non verò de secundario respectu Christi, locutū fuisse, ita vt sensus sit, Super meipsum tanquam originarium, & primarium fundamentum ædificabo secundarium fundamentum, respectu mei. Ergo tunc Christus potestatis temporalis plenitudinem super omnia mundi bona, præter aliam potestatē contulit Petro. Sed

355 Contra, (a) *Lutherus* vna cum Paluino subiungit: Verbum *dabo* futurum tempus respicit, quo promissa, non autem tributa Petro potestas innuitur, quod si ipsā accepit, tunc fuit, quando ei, *Pasce oues meas* dictum fuit: Sed per hanc vocem, *pasce*, nulla datur Petro potestas, sed tantum doctrinæ per prædicationem pastura. Ergo per

ly

(a) *lib. 5. de potest. Papæ.*

Digitized by Google

ly *tibi dabo claues &c.* aut *pasce oues meas*, nulla Petro potestas tributa fuit à Christo.

356 Respondetur, negãdo minorem, nã per ly *pasce*, non doctrinę pastura super agnos, & oues, sed potestatis plenitudo Petro tradita fuit, nẽpè scribit Sylueira(a) *Super omnes fideles, seu credentes cuiuscumque ætatis sint, sexus, nationis, conditionis, siuè Iuuenes, siue Senes, siue Viri, siue Mulieres, siue Iudæi, siue Græci, siue Discipuli, siue Magistri, omnes per agnos, & oues denotantur. O Magna*, prosequitur, *& excellens potestas Petri, omnes eius iurisdictioni, ac clauibus cõmittuntur, ac subduntur, expendens illa verba, tibi dabo claues Regni Cælorum*, Petrus Damianus ait. Adest Petrus, & ad eius arbitrium orbis vniuersus soluitur, & ligatur, & præcedit Petri sententia, sententiam Redẽptoris; quia non quod Christus, hoc ligat Petrus; Sed quod Petrus, hoc ligat Christus. *Ecce quã sublimis, & alta est Dignitas Petri.* Hæc Sylueira. Sed

357 Contra, repetit Caluinus: (b) Valẽtianus in epistola ad Theodosium, ait. *Beatissimus Romanę Vrbis Episcopus, cui Primatum Sacerdotij super Omnes, antiquitas cõtulit.* Ergo Romanus Pontifex non à Christo *per ly tibi dabo claues Regni Cælorum*; aut per ly *pasce oues meas*, sed ab antiquitate Primatum accepit.

358 Respondetur, negãdo consequentiam: etenim ly *contulit*, non debet taliter intelligi, quasi quod non Christus, sed Antiquitas Primatum Romano Pontifici contulerit; Sed quod ipsa, Principatũ illius agnouerit, & pro tali habendum, & agnoscendũ declarauerit. Sicque Romanus Pontifex est Caput Ecclesiæ vniuersalis vtroque iure, ecclesiastico videlicet, & diuino: Diuino quidẽ collatiuè, Ecclesiastico verò declaratiuè. Neque hoc nouum est, cum sępe eadem res, & diuini iuris sit, & humani. Furtũ enim, diuina, & humana lege est prohibitum. Obedientia filiorum erga Parentes, de iure

(a) *tom. 5. lib. 9. c. 7. q. 8.* (b) *extat, to. 1. Concil. Chalced.*

Digitized by Google

re diuino,& humano præcipitur. Ac tandem Epistolæ D. Ioannis, & D.Iacobi, diuino, & ecclesiastico iure sunt canonicæ. Ergo Petrus habuit à Christo potestatis temporalis plenitudinem super omnia mundi bona,saltem vbi Causa inest; Sicque ea Romani Pontifices, tamquam eius legitimi Successores, etiam vti possunt.

CAPVT SECVNDVM

Effutiunt iterum Aduersarij, Romanum Pontificem super Imperatores, & Reges auctoritatem exercere posse nullam.

359 Hæreticorum id asserentiũ præcipuus est *Brentius*, qui in Romanum Pontificẽ iniquissimus his conuicijs auctoritatem eius Inceſſit. (a) *Imperatorum, & Regum potestas est immediatè à Deo; Sed super ea, quę Dei sunt, nullam potestatem habet Pontifex Romanus. Ergo neque super Reges, & Imperatores.* Maior probatur ex Apostolo Paulo ita scribente. *Omnis potestas à Deo est.* Minor vero patet,quia in his, quæ superioris sunt,potestatẽ inferior habet nullam. *Capcum inferior;de maiorit. & obed.* Consequentia tenet.

360 Respondetur distinguẽdo maiorem. Imperatorũ, & Regum potestas est à Deo, eodem modo,quo illa Romani Pontificis est,nego maiorẽ. Diuerso modo, cõcedo maiorem. Imperatorũ enim, & Regum potestas non est immediatè à Deo, sed mediatè, per interiectum ius Gentium, ex Hominum electione; vnde formaliter considerata, merè humana est; Potestas verò Ecclesiastica, immediatè nullo iure gentiũ mediante, à Deo ministris Ecclesiæ collata est, vt ipsemet Christus apud Matthęum testatur. (b) *Quęcũque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cęlo.* Propterea cum prima potestas,nempè Regum pro fine aliquod temporale habeat, videlicet,*vt quietam,& tranquillam vitã absque iniustitia agamus.* Secunda,Ecclesiasti-

ca

(a) *in Prologon.* (b) *cap.16.*

Digitized by Google

ca scilicet potestas, pro fine habet æternum aliquod, nimirum æternã Paradisi felicitatem, ad quam ipsa dirigit, & ducit, simulque spirituale aliquod, vt est Animarum Salus, (Ecclesiastici enim Præsules, inquit Paulus, *peruigilant*, quasi rationem pro *animabus vestris reddituri*, & nõn peruigilant Reges) hinc fit, vt vtraque potestas à Deo sit ob diuersos fines, diuerso tamen modo, nam sicut Spiritualiũ fines naturaliter ingredi nequeunt Corporalia, à quibus toto Cælo diuersi sunt; Spiritualia verò ob sui eminentiam in Corporalibus agere possunt; sicut frequenter in Corporibus nostris Angeli agunt: ita à pari, Imperatorum, vel Regum potestas Spiritualis, seu Ecclesiasticæ potestatis fines ingredi nequit; ipsa verò spiritualis potestas, in his, quæ spiritualia sunt, ob sui eminentiam, Regum potestatis fines ingreditur; & hinc est, quod in Scripturis Principes sæculares, frequẽter *Reges terræ* appellantur; Pontifices verò, & Sacerdotes, *Regale Sacerdotium*, talem potestatẽ habentes; *vt quæcumq; ligauerint in terris*, ligatum, & ratum habeatur in Cælo. Ergo Sacerdotalis, siuè Ecclesiastica Summi Romani Pontificis potestas, est super Reges, & Imperatores. Sed

361 Cõtra repetit Brentius. Distinctio Põtificalis dignitatis à regia, incepta est à Gentiũ Politia; Politici enim ius in Sacra scriptura antiquitus habebant. Ergo Pontificalis auctoritas non est immediatè à Deo, nec super Imperatores, & Reges.

362 Respondetur, negãdo antecedens. Talis enim distinctio non à Politia gentium, sed à lege diuina sumpsit exordiũ; sicut ex Sacra scriptura, Deutoron. 17. & Paralipom. 19. ita apertè colligitur. *Amarias autem Sacerdos, & Pontifex noster in his, quæ ad Deum pertinent, præuidebit; Porrò Gabadias filius Ismael, qui est Dux in Domo Iuda super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Propterea in huius legis obseruantiam ad Arcadium Orientis Principem, pro Episcopis in-

Digitized by Google

exilium actis, scripsit Honorius Imperator: *Ad Episcopos enim diuinarum rerum interpetratio, ad nos verò obsequiũ spectat Religionis.* Ergo talis potestatis distinctio, non à Gentilium Politia, vt Brentius somniatur, sed ex Diuina institutione emanauit, iubens, vt Pontifex sit super Imperatores, & Reges. Sed

363 Contra, à se ipso minimè dissentiens Brentius prosequitur. Istæ duæ dignitates, videlicet Pontificalis, & Regia, duo capita cõstituunt, & cum in vnum coalescunt, non vt in duobus duo, sed vt in vno vnus Primatus est; Ergo æquum est, vt non Pontifex, sed idem Rex Caput, & Princeps etiam Sacrorum sit.

364 Respondetur, quod licet duo capita, illæ duæ potestates constituant; Alterũ, quod ciuilibus, & temporalibus; alterum verò quod spiritualibus, & ecclesiasticis præest; hoc tamen non nisi iuris ordine seruato efficiunt, videlicet, quod sicut spiritualia corporis, & ciuilibus præcellunt: ita caput, quod spiritualibus præest, nempè Romanus Pontifex, superius sit capite, quod temporalibus, & ciuilibus præest, scilicet Rege Si autem hæc capita in vnum coalescere contingat, tunc inferior potèstas potestati superiori, se submittere debet, cũ inferior à superiori potestate perficiatur, & nõ è contra, vt discurrenti patet. Sed

365 Contra. Ad solum Pontificem constituere Sacerdotes, & Leuitas pertinet, sed Iosaphat Rex in Hierusalem Sacerdotes, & Leuitas constituit. Ergo Regia Potestas Põtificia potestate non est inferior, & per consequens Sũmus Pontifex super Imperatores, & Reges potestatem non habet. Maior est certa, minor verò ex Paralipom. probatur. *In Hierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas, & Sacerdotes.* Ergo potestas regia, potestate Papali non est inferior.

366 Respondetur. Constituisse Iosaphat Regem Hierosolimis Leuitas, & Sacerdotes, non quidem potestatiuè, conferendo eis aliquam potestatem, sed designando tantum Personas, sicut pluribus Regibus, & Principibus Chri-

Digitized by Google

Christianis cõcessum est, qui pro beneficijs, & dignitatibus Ecclesiasticis conferẽdis, nominandi potestatem obtinuerunt, vt possint præsentare Personas, easque nominare. Ex hoc enim non sequitur, quod Potestas Regia, potestate Pontificia non sit inferior. Sed

367 Contra. Exploratũ est, Reges Dominium in Seruos habere. Sed Episcopi Serui sunt Regum; Ergo Reges, in Episcopos dominium habent; non verò Papa super Imperatores, & Reges. Maior est certa: Nõ est maior seruus Domino suo. (a) Minor verò probatur ex Paulo *Apostolo*, ita scribente ad Corynthios *(b) Nos autem Seruos vestros per Iesum*; Ergo, &c.

368 Respondetur, negãdo absolutè minorem. Episcopi enim nequaquam serui sunt Regum, sed bene Ministri sunt Christi, Serui tamen per Iesum, idest propter Iesum Christum, qui eos mansuetudinem docuit, & humilitatem. Tum etiam quia, cũ excellentiæ Christi Domini habeant potestatem, Ministri, seu Serui per Iesum Christum dicuntur. Et quamuis Sacerdotes, Reges non sint, tamẽ *Gẽs Sãcta, regale Sacerdotium*, vocãtur. Propterea inter temporale, & Ecclesiasticum Regnum, aptè discrimen Christus apposuit, quando dixit: *Reges gentium dominantur eorum, &c. Vos autem non sic*: ac si diceret; Nolo vos Militibus Regum, ac Principum more stipatos, ad Secularium exemplum compositos superbè dominari; sed Christiana, paterna, & pastorali cura præesse; *& qui maior est vestrum, fiat sicut Minister.* Hoc autem præceptum adeò altè retinuerunt *Apostoli*, vt cum essent super omnem Terram Pastores, & Principes Ecclesiastici constituti, nequaquam superbè dominati sunt, sed pijssimè: *Nos Seruos vestros per Iesum*, nuncupantes. Nec talis seruitus, siue ministratio Euangelica, Principatui Ecclesiastico repugnat, cum ipse Christus dixerit; *Non veni ministrari, sed ministrare.* At

(a) *Ioann. c. 15.* (b) *Epist. 2. c. 4.*

Digitized by Google

369 Contra. Dauid enim Rex, Ministros, Ministeria, & officia templi disposuit. Ergo Dauid super Ecclesiasticos *Ministros* potestatem exercuit, & sic non est Rex *Ministris* ipsis inferior.

370 Respondetur supra relata omnia de iure Diuino fuisse disposita, Dauid autē vt ministerialiter exequerentur curauit, non quidē Ministros cōsecrādo, sed cōsecrādos potius nominādo, & designādo; Hinc ea Templi dispositio, non fuit facta à Dauide auctoritatiuè, sed tantum executiuè, & ministerialiter facta, nominando Personas, vt habiles, & digni ad Sacrum *Ministerium* eligerentur; ipsam autem ministerialem potestatem non habebat, quatenus Rex, sed per dependentiam à Sacerdotio. Sed

371 Contra. Vngitur Rex, & vngitur Sacerdos; Ergo Rex, et Sacerdos in pari gradu ponuntur, et sic Papa contra Imperatores, et Reges superioritatem nullam habet.

366 Respondetur. Non æquali modo vngi Regem, & vngi Sacerdotem, siquidem nobiliori, & superiori modo, quam Rex, vngitur Sacerdos; sicut Innocentius III. *in cap. cū venisset, de sac. vnction.* declarat. In lege veteri, non dū vngebantur Sacerdotes, sed etiam Rex, & Propheta; *Diuersimodè nunc Regum vnctio*, inquit, *& Sacerdotum ex eodem more fit, quia Caput Pontificis chrismate consecratur, brachium verò Principis oleo delinitur, vt ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis potestatem.* Ergo Rex, & Sacerdos non in æquali gradu ponuntur, sed eminentiori constituitur Pontifex, vt Regibus, & Imperatoribus maior.

CAP. III.

Ecclesiæ perduellium sententia, nō posse Imperatores, & Reges à Papa in causa peccati iudicari, & Regno priuari, refellitur.

372 FAlsum Aduersariorū fundamētum contra Papæ auctoritatem, hoc est: Constituens Pon-

Digitized by Google

Pontificem, ab ipso deinde Pontifice, qui constituente est inferior iudicari non potest. Sed Pontificis constitutio ad Regem pertinet ex Sac. Scriptura, ergo Regem nequit Pontifex iudicare. Minor ex Paralipomen. probatur, ibi enim Rex Iosaphat Pontificem constituit,(a) *Amarias Sacerdos*, inquit, *& Pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinẽt præsidebit*. Ergo Pontificis constitutio, siue electio, ad Regem pertinet, sicque Rex nequit ab ipso iudicari.

373 Respondetur, negãdo minorem, eiusque probationem, & ratio negationis est, quia Iosaphat Rex Pontificem nec elegit, nec constituit, nec aliquid aliud huiusmodi fecit; Sed cum optimè sciret de iure diuino esse, laicos in Ecclesiasticis, & Spiritualibus non se immiscere debere, ne diuinæ legis violator existeret; tantum iussit, vt secularis in suo officio se contineret, videlicet in eis tantũ, quæ ad Regis officium pertinent; sicut diuinis legibus sãcitum est. Et hoc vt Pagninus, & Vatablus dicunt, ob diuinæ legis obseruantiam, latæ *in cap.* 17. Deutoronomij factum fuit à Iosaphat: per quam secularis Rex Pontificis iudicio subijcitur. Ergo Papa in Causa peccati Reges, & Imperatores iudicare potest. Sed

374 Contra, subiungit Archiapostata Spalatrensis(a) *Reges in Sacra Scriptura vocãtur filij Altissimi, immo Dij*. Ergo à quocumque in terris priuari, vel iudicari nequeũt.

375 Respondetur. Grauissimi mendacij in hoc argumento Spalatrensem redarguendum; nam primum in Sacra Scriptura Reges numquam filij Altissimi nuncupati fuerunt; sed tantum de Salomone, qui Christi figura fuit, dictum est: *Ipse erit mihi in filium*, de Christo autem dictum est, *filius Altissimi vocabatur*. Secundum, Reges, fortè ex illo Plasmi; *Ego dixi Dij estis*, Dij vocantur; Sed hic titulus nõ tantum Regibus, sed pluribus alijs applicari potest, vt testatur Iacognitus noster.

Scien-

(a) *lib.* 2. *c.* 17. (b) *Apolog. contra Suarez in fauorem Regis Angliæ.*

Digitized by Google

(a) *Sciendum ergo*, ait, *quod in Scriptura non essentialiter, sed participatiuè hoc nomen*, Deus, *aliquibus tribuitur. Nam attribuitur Dæmonibus, & hoc per falsam Hominum æstimationem. Psalm. 95. Omnes Dij Gentium Dæmonia. Attribuitur potestatem habentibus, & sic Moyses accepta potestate, qua signa coram Pharaone facere posset, Deus dicebatur. Vnde Exodi 7. dixit Dominus ad Moysen, Ecce constitui te Deũ Pharaonis. Attribuitur quandoque Iudicibus, Exodi 22. Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos. Gloss. 1. ad Iudices. Attribuitur quandoque Prophetis, & Doctoribus: Ioan. 10. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est. Attribuitur filijs Dei, & hæredibus, vt hic, Ego dixi Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Ergo Reges, nec Dij, nec filij Altissimi sunt; & ideo bene possunt in causa peccati à Summo Põtifice iudicari. An verò Sacerdotes, Dij vocari debeant, nec nè, auctor est magnus Cõstantinus, qui scripturæ auctoritati innixus, Episcopos, & Sacerdotes in Concilio Niceno primo, Deos appellauit, ita asserendo, *Vos Dij estis.* Sed

376 Contra, repetit idẽ Archiapostata *Spalatrẽsis*. Reges in Sacra Scriptura, *Christi, seu vncti Domini nuncupantur*, sicut Dauid ad Amalecitẽ illum, qui Saulem Regem interfecit, dixit. (b) *Quare nõ timuisti mittere manum tuam vt occideres Christum Domini?* Ergo à quouis homine quacumque dignitate refulgeat in terris, iudicari nõ possunt.

377 Respondetur, distinguendo antecedens: Reges in Sac. Scriptura Christi Domini dicti sunt, quia auctoritatẽ aliquã super Sacerdotes habebant, vel quia ab ipsis iudicari non poterant, nego. Nam supradictus Saul Rex ex eo regio honore priuatus fuit, quia magno Sacerdoti, videlicet Samueli, minimè obtẽperauit, S. Ignatius ad Magnesianos testatur. (c) *Saul*, inquit, *honore priuatur regio, non expectans Summum Sacer-*

(a) *tom. 2. psalm. 81. num. 1411.* (b) *lib. 2. Reg. cap. 1.*
(c) *Epist. 6.*

Digitized by Google

cerdotem Samuelem. Oportet iaque, & nos reuereri præstãtiores, decetque non modo vocari Christianos, sed esse. Reges dicti sunt Christi Domini figuraliter, eo quod Christum Redemptorem nostrum, qui & si primario Summus Sacerdos fuit, potestatem tamen regiam temporalem etiam habuit, & Sacerdos simul fuit, & Rex, ex hac parte tantum præfigurabant, concedo; ita enim contra Faustum loquitur Augustinus. (a) *Nomen*, inquit, *Christus, & in Rege, & in Sacerdote sacratissimum fuit: Nec inde sublatum, antequam ipse veniret, qui in illis figurabatur.* Ergo à Papa iudicari nequeunt in terris, nego consequentiam. Immo si iudicari non permittant, pœnis obnoxij fiunt: eo quod vel parui pendunt, vel munus Sacerdotale iniustè sibi vsurpant, quemadmodum Saul Rex fecit, minime dictis Sacerdotis Samuelis obtẽperando, propterea regio honore priuatus fuit; sicut Rupertus Abbas his verbis testatur. (b) *Homo Saul, non de tribu Leui, sed de tribu Beniamin, regio fastu nihil sibi non licere arbitratus, afferte ait, mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. Hoc nimis grande fuit Regis supercilium, dignè super no iudicio feriendũ. Quid enim tale fecit Ozias Dauidici generis de tribu Iuda? At vero statim cælestis vltio superbiam eius loco competenti percussit. Quanto magis Saul proijciendus fuit, qui totum sibi Sacerdotis officium vsurpauit.* Idcoque Saul *despector Prophetæ Samuelis* à Tertulliano appellatur lib. 2. contra Marcionẽ, quod ipsum etiam D. Gregorius supponit. (c) *Si tanta*, inquit, *pœna est, quando Propheta despicitur; quid putamus de illo pelago diuinæ animaduersionis incurratur, cum ipsa diuina præcepta dissipantur?*

378 Ad alterum *Spalatrenſis*, quod Reges *vncti Domini* dicti sũt, ita occurro, per ly *vncti Domini*, primatum Romani Pontificis, & non Regis denotari, cum Reges ipsi non à Regibus, sed à Summo Pontifice, vel Episcopo vngãtur; & tunc vel potestatem alĩ-

(a) *Lib.* 13. *c.* 2. (b) *In lib.* 1. *Reg. c.* 13. *n.* 9. (c) *c.* 27. *in eundem locum.*

Digitized by Google

aliquam, prœuia tali vnctione, ab Episcopo accipiunt, vel nullam. Si nullam; Ergo frustra per talem vnctionem, exemptionem à Papæ iudicio Spalatrensis infert, vel regiã potestatem. Si tamen Rex accipit ab Episcopo aliquam auctoritatem; Ergo Rex subijcitur Episcopo, & per talem subiectionem, Superior Regis Episcopus demonstratur, quia ipse vngendo Regem, vel aliquid efficit, vel nihil. Si nihil, ergo frustra Rex vngitur ab Episcopo: si verò aliquid; Ergo Rex aliquam potestatem ab Episcopo accipit, quam Ægrotus non accipit à Medico inungente Caput, brachium, &c. sicut nec Rex reciperet à Laico, sicut recipit ab Episcopo. Ergo est eius Superior, & in causa peccati ab ipso debet iudicari; sicut Samuel contra Regem Saulem, & Daniel aduersus Nabuchodonosorẽ Babylonię Regẽ, ob suam trãsgressionem, & superbiam fecerunt: ac pariter Nicolaus primus, Fabianus Papa, Innocentius III, & Paulus III. similem auctoritatem contra Imperatores, & Reges, legis Christi transgressores, ad effectum demandarunt. Quanta mala pro defẽsione huius veritatis pertulerint in Scotia Carmelitæ, Boterum lib. 1. p. 3. fol. 430. consulat lector.

CAPVT QVARTVM

Catholicæ fidei Hostes, Romanum Pontificem in causa iniquitatis, vel inutilitatis, Imperatores, & Reges deponere non posse cõtendentes, redarguuntur.

379 CVm Luthero, & Caluino *Centuriatores* sẽtiũt, Romanũ Põtificẽ Imperatores, & Reges minime deponere posse, quia eius Primatus, inquiunt, non à iure diuino, sed à Galliæ Rege Pipino, ipsum ad Zachariam Papã deferẽte, originem sumpsit. At multo miror, vniuersos fermè verecundiæ fines prætergressisse non pudere Caluinum, quippe qui Zachariã Sanctissimum Romanæ sedis Antistitem, & Pipinum Gallię Christianissimum Regẽ, adeò contumelioſa oratione afficere nõ pudet, vt latrocinij flagitium

Digitized by Google

gitium vtrique inurat, ac si ob Childerici Regis depositionem, spoliorum Galliæ ea ratione inter se partes distribuerint, vt Pipino temporale Dominium Zacchárias; Zachariæ verò Primatum supremi Sacerdotij Pipinus contulerit. Cuius rei gestæ veritatē aduersus impudentissimum Caluini mendacium, ex (a) *Paulo Diacono*, Libro de gestis Longobardorum, (b) *Blōdo* lib. 10. decad. 1. & *Paulo Æmilio* de gestis Francorum, hic dilucidè, & summatim duximus exponendum.

380 Cum Reges Galliæ ante Pipini tempora à suis maioribus degeneres, omni Regni, Religionisque cura posthabita, & solis Aulicis commissa, semel tantum in anno, videlicet Kalēdis Maij, se subditis visendos præbērēt; reliquum verò totius anni tēpus, delitijs, & voluptatibus occupati, annuatim consumerent, & Christiana Religio in florentissimo Galliæ regno penè esset extincta; Sanctus Bonifacius Maguntinus Episcopus, Rom. Pontificem Zachariam, per epistolam certiorem fecit, in Gallia non Reges, sed Sardanapalos per annos octuaginta regnasse; quibus cum Religio curæ non esset, effectum esse, vt sedes Episcopales laici vsurparent, Clerici verò genio indulgentes, turpem agerent vitam. Primates itidem Regni, & Principes vnanimi cōsensu ab eodem Pontifice petierunt, vt tam eos à iuramento fidelitatis absolueret, quam regium titulum in aliquem trāsferret, qui negotia pro totius regni bono optimè tractaret. Tunc Pontifex, vt pro suo munere, tum Religionis, tum Regni fortunis cōsuleret, & ne vtraque pessum irent caueret, petitioni Galliæ Procerum annuens, Regnum à Childerico, qui penè stupidus, & omni ingenio vacuus erat, in Pipinū trasferendum constituit. Assumpto igitur in Regem Pipino, statim in Gallia iustitia, morum probitas, ac Religionis decus mirum in modum enituit. Quid in re hac mali quid iniusti per Zachariam actum est; Vbi nam Pipini, &

(a) *Lib.* 6. *c.* 5. (b) *Lib.* 1. *&* 2.

Digitized by Google

Zachariæ, cõmenta, Latrocinia, vel prædones? in prauo certè Lutheri animo, & Caluini alterata bile, Lector reperiet. Ex dictis igitur apertè cõstat, ante Pipini tẽpora deponendi Imperatores, & Reges, ratione inutilitatis, Rom: Pontificem auctoritatem, & potestatem habuisse; quo enim pacto Primates Galliæ, & Principes ad Zachariam, vt à fidelitatis iuramento absoluerentur, confugissent, nisi omnis prorsus de ea in eum potestate dubitatio sublata esset? sanè igitur concludat noster Resolutissimus Doctor, & ritè asserat, Papam ratione inutilitatis (a) *Regem deponere, eiusque Regnum alteri benemerito tribuere posse.* Sed

381 Contra, vrgent iterũ Aduersarij, tam in veteri, quam in nouo testamẽto cõpertum est, non modo ab auctoritate deponẽdi Imperatores, & Reges Summum Pontificem excludi, verum & ipsũ Papam quandoque ab Imperatoribus, & Regibus exauctoratum. Ergo summus Põtifex ratione inutilitatis, Imperatores, & Reges deponere non potest. *Antecedens*, quod ad vetus testamentum attinet ex lib. 2 Regum c. 27. probatur, ibi enim Salomon Rex Abiatharum Sũmum Pontificem depositisse; aliumque in eius locũ legitur subrogasse. In nouo verò testamẽto, Liberius Papa fuit ab Imperatore ad tẽpus depositus, sicut Vigilius, ab eodẽ in exilium missus. Ergo Papa Imperatores, & Reges deponere nõ potest.

382 Respondetur. Salomonẽ nõ propria auctoritate, sed ex Diuina commissione Sacerdotem Abiatharum, tãquam reum criminis læsæ Maiestatis exauctorasse, eo quod contra Dei voluntatem, & ordinationem, qua Salomonem super solium Dauid immisit, (b) *Viuit Dominus, qui firmauit, & collocauit me super solium Dauid Patris mei*) deinde tentauerat ipsum Salomonem Regno priuare, & in eius locum subrogare Adoniam. In pœnam igitur tanti delicti, potestatem extraordinariam Deus Salomoni cõcessit, quia non vt Rex, sed vt specialis Dei

(a) *In 4. quæst. 11. Prolar. 4.* (b) *Lib. 3. Reg. c. 2.*

Digitized by Google

Dei legatus potestate ministeriali, nō propria, Abiatharum Sacerdotali munere abdicauit, sicut ex his verbis supracitati libri Regum planè colligitur. (a) *Eiecit Salomon Abiathar, vt non esset Sacerdos Domini, vt impleretur sermo Domini, &c.* Si autem talem diuinam Commissionem, Hæretici negant, & pro eorum libidine dicunt, Salomonē auctoritate propria Abiathar exauctorasse, sequitur ex eorum dictis, Salomonem eam potestatem, qua nequaquam pollebat, tyrannicè sibi vsurpasse, sicut plurimi Doctores, præsertim Eminentissimus Caietanus probabiliter ostēdit. Nec hoc mirandum de Salomone, cum ipsi peiora crimina affricentur, videlicet Idolatria, libido, & irreuerentia templi, ob Ioab homicidium penes altare commissum, &c. Ergo iniusta fuit Abiathar depositio, vtpotè à Salomone in vindictam facta, eo quod Abiathar partē Adoniæ inimici sui tuebatur: (b) *Quare postulas Abisag Sunamitidē Adoniæ* inquit Salomon Bethsabeæ; *postula ei, & regnum, ipse enim habet Abiathar Sacerdotē, & Ioab filium Saruiæ; Abiathar quoq; Sacerdoti dixit Rex; equidē vir mortis es, sed nō interficiā te hodie, quia portasti arcā Dñi Dei coram Dauid Patre meo.* propterea eum (quia cap. 4. supradicti libri, inter cęteros Salomonis Principes, & Sacerdotes, Abiathar his verbis numeratur. *Sadoc autem, & Abiathar Sacerdotes*) per aliquod tempus exercitio, non autem Sacerdotio priuauit, quia non aliunde, nisi in Anathoth ipsū misit. *Abiathar quoque Sacerdoti dixit Rex, vade in Anathoth*, nempe in locum Sacerdotum, de quorum numero vnus fuit Ieremias.

383 Id ipsum etiam contra omne ius, & iustitiam, & tyrānica omnino Ariani Imperatoris in Liberium Papam violentia perpetratum asserimus; atque Summo Pontifici Vigilio, à nequissimo Imperatore in exilium pulso; quæ afferuntur, vtpotè per iniuriam facta, non nocent, eodem fermè iure, ac Ponthius Pilatus Redemptorem nostrum

Hhh 2 Ie-

(a) *Ibid. sup.* (b) *ibid. sup.*

Digitized by Google

Iesum Christum supplicio Crucis affecit. Nero Imperator Petrum Apostolum eiusdem patibulo addixit, ac Paulum securi percussit, nisi ipsi de Christo, & Petro allatas sentẽtias, ratas haberi velint.

CAPVT QVINTVM

Romanum Pontificem à coactiua potestate excludi, sentiunt Hæretici, & catholicos de iure citandos Romę, non esse.

384 PRimus omnium huiusmodi veritatis Impugnaror est Magister *Vuiteclephi Vuillelmus*, qui ad Papę iudiciũ, & potestatẽ euertẽdã sic contra ipsã insurgit. Potior in Papa coactiua iurisdictio, quam in Christo fuit, esse non potest, cuius est in terris Vicarius: Sed Christus ea caruit, quantum mortalis Homo fuit; quia coactiua iurisdictio sine diuitijs, aut adiutorio eos habentium, nec exerceri, nec retineri potest; Ergo Christus, qui diuitias omnes ad coactiuam iurisdictionem exercendam necessarias abdicauit, nec Diuitum adiutorio vsus fuit, eã non habuit, nec Papa eius Vicarius habere potest.

385 Respondetur, Christũ coactiuam iurisdictionem habuisse, eamque tunc exercuisse; quando facto de funiculis flagello, vendentes, & ementes de templo eiecit, ac nummulariorum mensas euertit. Sed

386 Cõtra. Subridet hanc responsionẽ Vuilhelmus, quia *Magister Petrus, inquit, planè dicit, eum tunc esse functum vice ostiarij, quod vtique ministerium est, non auctoritas.*

387 Respondetur. Christum non semel, sed bis vendentes, & ementes de Templo eiecisse, primo in signorum initio, ordinem ostiarij respiciens, qui pene primus est, & in ipso ingressu ordinis Clericalis situs. Secundo cum magna potestate, & vehementia suæ vitæ terminum respiciens, quasi Sacerdotis vicibus in hoc functus, vel forsan, Episcopi, qui consũmatus Sacerdos est, & perfectionis in Clericali ordine terminus. Irrefragabilem testem produco D. Chrysostomum, ita rem hanc

Digitized by Google

hane testantem. (a) *Ascendens Christus Hierosolymam, quid fecit? Rem multa auctoritate plenam. Cauponas enim illos, & nummularios, & alios, qui columbas, & boues, & oues vendebãt, & ideo illic cõuersantes, eiecit. Et alius quidem Euangelista habet, quoniam eijciens dicebat non facite domum Patris mei speluncam Latronum: hic autem ait, Domum negotiationis: non contraria ad inuicem dicentes, sed ostendentes quoniam secundum hoc fecit: Etenim non secundum idem tempus vtraque facta sunt; sed illud quidem in initijs, nunc autem in ipsam passionem veniens hoc facit, ideoque vehementiori castigatione vtens speluncam vocauit; In principio vero signorum non ita, sed remissa quodammodo increpatione vtitur, vnde dicimus secundo hoc factum esse.* Ambrosius itidem ad intentũ nostrum sic scribit clarius. (b) *Es effunditur, vt gratia colligatur: mensa nummulariorum euertitur, vt Domino subigatur: ara deijcitur, vt erigantur altaria: Atque hoc non aliqua succintus armatorum manu diuitijsque faciebat, sed flagello de restibus cædebat turbas, & resistere nullus audebat, & nunc virga vtitur, nunc flagello. Virga enim recta est virga Regni tui, virga, vt corrigat, flagello vt suadeat. Directa illic, hic mortalis, quasi inflexa præceptio, qua Peccatoris conscientia velut lento verbere flagellatur. Alij enim sunt terrores prophetici, alię Apostolicæ persuasiones, in vtroque tamen, est vnius verbi disciplina.* Attende Vuilhelme, quod sine armatorum hominum manu, sine diuitijs, flagello turbas, & ea potentia, vt nemo ei resisteret Christus afficere potuit. Quid igitur, quid coactiua iurisdictio sine diuitijs, aut sine adiutorio diuitias habentium nec exerceri, nec retineri possit, nisi ad effringendum Romani Pontificis potestatem? sciebas enim, quod, & si Christus secundum Hominem Pauper extitit, secundum Deum tamẽ diues erat; Ergo habuit, quinimmo potestatem coactiuam Christus exercuit, & suo Vicario ad coercendos malos tradidit. Sed 388

(a) *Tom. 3. sup. Ioan. homil. 22.* (b) *Tom. 5. in. Luc. lib. 8. c. 2.*

Digitized by Google

388 Contra, repetit Vuiclephus, vt sui Magistri rationem defendat (a) *Potestates*, inquit, *quæ finguntur, à Papa sũt fictæ, & ad seducendum subditos diabolicè introductæ, vt sũt Prælatorum Cęsariorum excõmunicatio, citatio, incarceratio, & redditur pecuniarum vendicatio.* Ergo &c.

389 Respondetur. Maledictum hoc in odium auctoritatis Summi Pontificis prolatum, cauillum potius, quam argumentum se ostendere: etenim quidquid in ipso Vuiclephus dicit, nõ probat, sed supponit, vnde ex parte sua in petitione principij sumus; At verò Ecclesię filij nequid intactum ex Aduersariorum dictis prætereant, huic argumento respondent, in Iesu Christi Ecclesia moderatissimæ coactionis potestatem quandam esse, vt eius subditi à vitijs, & corruptionibus se abducant, B. Petro, eiusque successoribus à Christo concessam, cum dixit: *Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* Vnde inquit noster Vualdensis, (b) *Qui concedunt* B. *Petro auctoritatem, solutionem, & potentiam in gratijs indulgendis: sed negant ipsi districtiuam in obduratorum retinendis criminibus, ij dimidiant potestatem S. Petri, & Christi capitis inuidẽt largitati.* Et potissimam rationem Sylueira noster adducit. Quia Christus, inquit, non ait, (c) *Quemcumque ligaueris, sed quodcumq; ligaueris: nam neutrum genus est vniuersalius masculino. Pontifex autem non tantum homines ligat, ac soluit, sed etiam peccata, vota, ac iuramenta, & cætera alia. Nam Pontifex aliquando culpam, aut peccatum absoluit, aliquando retinet, absolutionem Sacramẽtalem denegando, iuxta pœnitẽtis dispositionem: super terram refertur ad Petrum, eiusque successores degentes in terra. Ac si dicatur: Quid quid ò Petre, tuique successores existentes super terram, ligaueritis, vel solueritis, erit ligatum in Cœlis, idest, Deus illud ratum, ac firmum habebit, censebitque ligatum, vel solutum in Cœlo. O mira Petri potestas, vt quodcumque*

(a) *Conclus. 19. Wuild. damn.* (b) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 34. n. 3.* (c) *In 4 Euang. lib. 6. c. 5. q. 13. n. 191.*

Digitized by Google

que ipse iudicauerit in terris, idem suprema Dei *Maiestas iudicatura sit in Cœlo, sententiã enim Petri* Deus *non reuocat, sed vt suam approbat, & confirmat.* Ex *quo* Hilarius *ita exclamat, ò beatus Cœli Ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in Cœlo.* Et *D. Chrysostomus ait; Quid cum hoc honore sacerdotali conferri potest? à terra iudicandi principalem auctoritatem sumit Cœlum: nam Iudex sedet in terra,* Dominus *sequitur seruum; & quid quid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat.*

390 Attamen ex eo, quia vt recto, & vero sensu Ius ministretur, delinquentis citatio requiritur, ne alterutra pars inaudita iudicetur. Ideò Summus Pontifex non solum potest, imo debet Romæ Virum fidelem reum citare, quemadmodum diuinum, & humanum ius hoc exigit. Quinimmo Volanus, quamuis Zuuinglianus, hãc veritatem tunc agnouit, & probauit, quando Stephanũ Poloniæ Regem admonuit, confœderatos, anno 1597. exortos, (asserentes hæreticos in ius vocandos non esse, nec vlla cuiuscumque potestatis animaduersione plectendos, nec facinorosos, & malos cõdemnandos) è suo regno omninò expellendos esse. Vni tamen Vuitclepho hoc displicet; Vnde ad veritatem ipsam impugnandam, sic denuo insurgit.

391 (a) *Papa vexat anxius fideles citando eos in tempore breui, in quocumqne loco ipsum esse contigerit; numquid credimus, quod in hoc ipse sequitur* Dominum *Iesum Christum? de quo legitur, quod per magnam distantiam venit ad* Ioannem *baptizandus ab ipso, vnde Ioannes miratiuè dixit, Ego à tè debeo baptizari, & tu venis ad mè? At Iesus ait, sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Ergo Papa dum fideles ad se veniendos citat, nec Christum sequitur, nec omnem iustitiam implet.

392 Respondetur. Allato argumento de Christi ad Ioannem accessu, contra nos nihil probari, ex eo quod Chri-

(a) *Lib. de Christo, & Ante Christo c. 14.*

Digitized by Google

Christus Ioannem ad se venire iussit, non quod citandi potestatem non haberet, sed quia vt scribit Sylueira (a), & *si certũ sit, quod Seruus debebat venire ad Dominũ, nihilominus Christus venit ad Baptismum ad Ioannem, ad hoc, vt secundũ D. Paschasium, Euthymium, D. Bonauenturam, & Abulensem, testimonium haberet à Ioanne, quod erat miræ excellentiæ, & auctoritatis. Si autem Ioãnes veniret ad Christum, esset in aliquo loco occulto, & seperato: vt ergo Christus manifestaretur omni Populo, venit ad locum, in quo erat Ioannes, ad quem confluebat omnis Israel, & tanta auiditate, vt omni labori parcerent, vt ad Ioannem venirent, vt notat S. Nilus in Ascetico.* Nam vidēdi Viri cupiditas, omnem sensũ molestiæ abstergebat, virtutisque spectaculum, laboris incommoda leniebat. *Secundo, Christus hoc Baptismate voluit suum Præcursorem cõdecorare:* Ergo *Christus, in quo erat honor, venit ad Ioannem, quia honores, vt excellant, nos debent quærere, non vero è contra nos illos perscrutari.* Non igitur Christus venit ad Ioannem, quia potestatem eum citandi minimè habebat, Sed quia in hoc Mysterio ipsa noluit vti; *vsus est ea*, inquit Vualdensis, (b) *in tribus Magis, quando eos per stellam pranunciam, per tantos terrarum tractus vsque ad stabulum ad adorandum Regem Cœli diuino suo instintu citauit. Ecce Puer citat Reges: qui factus Homo non iam citat, sed properat ad Baptistam. Ipse non nè citauit quinque millia hominum, vt eos pasceret in deserto, dicente Euangelista:* Quidam eorum de longe venerunt? *Marci cap.* 7. Ipse quoque iussit Petrum venire ad se super liquescētes aquas. *Ipse iterum ad omnes Homines dixit:* Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & Ego reficiam vos. *Et Alibi.* Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. *Cur ergo eius exemplo non citabit Papa fideles, vt si Rei sint iudicio, ipse premens onus iniquitatis eorum, deponens omnes etiam paries, potet de fonte iustitiæ? fidelis Petrus non tardauit impossibilitatem prætexten-*

(a) *Tom. 1. Euang. lib 3. c. 2. ?. 4.* (b) *Tom. 1. lib. 2. art. 3. c. 52. num. 1.*

Digitized by Google

tendens super ingressibiles undas ponderosi corporis sui molem transferre. Ergo legitimo iure potest Papa fideles Romę citare.

CAPVT SEXTVM

Hæreticos falsitates refellere, & catholicas veritates decernere, ad Romanũ Pontificem nequaquam pertinere, opinantur Hæretici.

393 LVtheri, & Caluini trifurciferes Sectatores, ne sua dogmata falsitatis à quibuspiam ex eo quia ea summus Pontifex dãnauerit, redarguãtur; Ad hanc declinandam infamiæ notam, Summi Romani Pontificis supremam potestatem infitiẽdam, nulla Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & tot Sanctorum Patrum habita ratione, perfidè dicunt; Papæ in fidei rebus definiendis potestatem esse nullam, neque rerum fidei controuersarum, verum, & legitimum iudicem esse: quod sanè deliramentum, Hunnius Lutheranus sequentibus tuetur. Nullus, nisi insanus affirmat fidei dogmata, non aliter vera, & certa esse, nisi quia Pontifex Romanus realiter esse affirmauit, atque è sua Cathedra respõdet. Ergo Papa in rebus fidei definiendis, nullam auctoritatem habet. Probatur antecedens, quia si ad non errandi priuilegium recurratur; Papa priuilegij sui interpres esse non debet; Ergo nullus nisi insanus dicit, quod dogmata fidei ideo sũt certa, quia ita *Papa* declarauit.

394 Respondetur distinguendo antecedẽs. Ideo dogmata in actu primo in se vera, & certa sunt, quia ea vera esse Papa declarauit, nego: sunt vera, & certa quoad nos, in actu secundo; quia cum ipsa in se talia sint, Papa iam affirmat talia esse, concedo antecedens, & nego consequentiam. Non enim dogmata ex Papæ iudicio in se vera sunt, sed quia talia in se sunt; Per Papam autem nobis declarãtur, & definiuntur infallibiliter vera esse, & veram, & infallibilem veritatem continere sãcitur. Fuit enim Romano Pontifici priuilegium à Chri-

Digitized by Google

ſio de non errando concessa; cuius veritatis, non ipsemet, sed sextæ Synodus Venerab: Patres interpretes, & testes fuit fidei, confessioni ab Agathone Papa missæ, se subscribentes, & ita testantes. *Beati Apostoli admirente præsidio, hæc Apostolica eius Ecclesia; numquam à via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est: eius auctoritatem, vtpotè Apostolorum omnium Principis, semper catholicæ Christi Ecclesia; & vniuersales Synodi fideliter amplectentes, in cunctis sequutæ sunt, omnesque venerabiles Patres Apostolicam eius doctrinam sunt amplexi, per quam & probatissimæ Christi Luminaria claruerant, quam & Sancti Doctores orthodoxi venerati, & secuti sunt: hæretici falsis criminationibus insecuti sunt.* Huic veritati ad maiorem Hunnij confusionē, Magister eius Lutherus, ita inquiens in suâ protestatione, adstipulatur, (a) *Adhuc fatebor olim modo me disputasse, & omnia sub pedibus Sanctissimi Domini nostri Leonis X. subiecisse, vt occidat, viuificet, reprobet, & approbet, sicut placuerit, & vocem eius Christi in ipso præsidentis agnoscam.* Et in epistola ad eumdem summum Pontificem ait. *Quare Beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus, quæ sum, & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam; Si mortem merear, non recusabo.* Ecce quomodò in confesso Lutherо est, hæreticas falsitates refellere, & catholicas veritates definire, omnino ad Romanum Pontificem pertinere. *Et licet*, inquit noster Ioannes Maria Verratus, *non possit ipse condere legem super subditos, repugnantem legi Dei; potest tamen leges, ac statuta facere, ad euitandum periculū peccati, ac etiam pro Dei gratiæ acquirenda, vel conseruāda. Ratio est, quia Pastori incūmbit ex Officio ouem à Lupo, & ab omni alio periculo totis viribus custodire vt Christus in Euan-*

(a) *Tom. 1. Vuitemb fol. 219.* (b) *Disput. 9. de primatu Petri concl. vii fol. 176.*

Digitized by Google

Euangelio Ioannis docet. Lupus quidem Diabolus est, qui callidè circuit, vt Oues deuoret, cõtra quem Pastor pro Ouibus ponit animam suam; & si quid aliud est, quod Ouibus nocere possit, tenetur Pastor ab hoc detrahere Oues; & eas ad sua pascua ducere, & cũpellere; sicut Dñus, per Ezechielem c. 24. loquitur. Ex quibus apertè colligitur, quantæ authoritatis sit super Oues Christi eius Vicarius Romanus Pontifex.

395 Contra, addit (a) *Libra x Protestãs.* Põtifex Romanus nequit sibi officium supremi Iudicis causarum fidei arrogare, definiẽdo, quod tale iudicium ipsi competat, quia est pars litigans: Pars autem litigans non potest esse Iudex. Ergo in definiendis rebus fidei, Pontifex Romanus Iudicis potestatem nullã habet.

396 Respondetur negãdo assumptum, & ratio negationis est, quia in Ciuilibus, cum iudici ciuili aliquid bonorum, vel auctoritatis adimitur, vel auctoritas ipsa in controuersiam vocatur, non desinit esse Iudex, sed de facto in refractorias sẽtentiam fert, eosque sua auctoritate pœnis afficit, & ad obedientiam cõpellit; similiter vbi Papæ auctoritas ab hæreticis in controuersiam vocatur, Papa iudex esse nõ desinit, propterea & eos condemnare potest, & ad sibi obediendum compellere, etenim Deuteron. habetur. (b) *Qui autem superbierit, nolens obedire Summi Sacerdotis imperio, morte moriatur Homo ille.* Sed

397 Contra repetit *Libra x.* Cõditiones requisitæ, vt quis sit verus Iudex, hęc sunt: Vt sit nulli Iudici alligatus, vt sit sũmus, vt sit legitimus, vt sit iustus, vt sit infallibilis. Sed Iudicium Papæ pendet à Deo, qui est supremus Iudex, pendet à Scriptura, ergo non est summus, cum Deum, & Spiritum Sanctum vt supremum Iudicem habeat. Non est legitimus, quia altera pars in iudicio est; non est Iustus, quia Dei Vicarium se iactat; infallibilitate caret, quia vt cæteri homines labi, & stul-

(a) *Disp. de Iudice controuers. thes.* 14. (b) *c.* 17.

Digitized by Google

tus esse potest, & rudis. Ergo Papa hæreticas falsitates, & catholicas veritates definire non potest.

398 Respondetur, negãdo minorem, & ratio negationis est, quia licet Regis, & Imperatoris auctoritas à Deo sit, & à Deo pendeat, Rex tamen, & Imperator, Supremi Iudicis auctoritatem in Ciuilibus habent; sic Papæ auctoritas à Deo est, quinimmo ab ipso visibilis controuersiarum fidei Iudex post ipsum Deum constitutus est. In fidei autem *iudicijs* à Scriptura pendet, vti regula iudicandi; Sicut Rex, aut quisquis Laicus Iudex in ciuilibus, pendet à legibus. Est autẽ legitimus Iudex, quia à legitimo Auctore Deo, Iudex est institutus: Nõ est pars litigans, cum in definitione dogmatum, Iudicis officio fungatur, nec propria, sed Dei iura tuetur; propterea Iustus est, quia iuxta verbum Dei, tum traditum, tum scriptum, res cum speciali Spiritus Sancti assistentia decernit. Nec obstat ruditas, vel ignorantia, si aliquando Pontifici inesset, quia Apostoli piscatores, & rudes, induti tamen virtute ex alto, totius orbis fuerũt optimi Magistri; ita Papa rudis, inuisibiliter à Spiritu Sancto instruitur, ac Doctorum, & Sapientum consilio, visibiliter roboratur. Propterea Innocentius III. in c. *Quoties* 24. q. 1. sic ait, *Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum; ideſt sui nominis honorem, & auctoritatem habentem, recurrendum est.* Et in cap. *Maiores*, de baptismo, & eius effectu, ita inquit: *Maiores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingẽtes, ad Petri sedem recurrendos intelligit; qui nouit Dominum exoraſſe, vt non deficeret fides eius.* Rationem tamen huius rei potissimã, Municeps meus P. Coriolanus sic adducit.(a) *Si de traditionum auctoritate*, inquit, *quæstio mouetur, tametsi illa à Scripturis, quæ non scriptum Dei verbum æque ac scriptum nobis commendant, in genere auctoritatem nanciscantur; cum tamen de his seorsim lis controuertitur, & lis nullo modo à Scrip-*

(a) *Summ. Concil. præl. 9. coroll. 4.*

Digitized by Google

Scripturis terminari poteſt, vt perſpicuum eſt: nam ſi de dominico die obſeruando, de Pueris rationis vſu carētibus baptizandis, de perpetua Virginis Mariæ virginitate, atque huiuſmodi traditionibus quæſtio moueatur, vnde nã illa ex Scripturis ſolui poteſt, quæ huiuſmodi traditiones non attingunt? Quare opus eſt, illius determinationem ab Eccleſiæ conſenſu petere, quæ omnium diuinarum Traditionum cuſtos, & Iudex eſt agnoſcenda. Sic *Patres aſſerunt, Origenes in cap. 3. Epiſt. ad Titum.* Hæreticus nobis habendus eſt omnis ille, qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de veritate Chriſtianæ fidei credit, quam habet definitio traditionis Eccleſiaſticæ. *Et Auguſtinus epiſt. 86. ad Caſulanum.* In his rebus de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, *Inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Nempè Summorum Pontificum, ſcribit epiſt. 190. ad Innocentium Papam, Bernardus Mellifluus, *oportet*, ait, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque emergentia in regno Dei, & præſertim, quæ de fide contingunt: dignum nãque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſsit fides ſentire defectum, hæc quippe huius prærogatiua ſedis, cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua? Ergo, quod ſequitur, à Petri ſucceſſore exigitur, & tu aliquando confirma fratres tuos; in eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & Sedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra auctoritate fidei corruptores &c.* Agnouit hanc veritatem Gelaſius, & ideo ad Epiſcopos Dardaniæ iure optimo ſcripſit.(a) *Cũcta per mundum nouit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententijs ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli ius habet reſoluendi, vtpotè, quæ de omni Eccleſia ius habeat iudicandi; neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio; Siquidem ad illam de qualibet Mundi parte canones appellare voluerũt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Et paulo poſt. *Sed ne-*

(a) 9 q. 3. apud Gratianum.

Digitized by Google

neque illa prætermimus, quod Apostolica sedes frequenter, vt dictum est more maiorum, etiã sine vlla Synodo præcedente, & soluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit potestatem, Sanctæ memoriæ quippè Athanasium Synodus orientalis addixerat, quem tamen exceptũ sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absoluit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Constantinopolitanum Synodus etiã Catholicorum Præsulum certò dãnauerat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absoluit. Itemque Sanctum Flauianum, Pontificũ Græcorum congregatione damnatum pari tenore, quoniam sola sedes Apostolica non consensit, absoluit: potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioscorum secundæ sedis Præsulem, sua auctoritate damnauit, & impium Synodum, non consentiẽdo, sola submouit, & auctoritate vt Synodus Chalcedonensis fieret, sola decreuit. In qua ergo, vt sola ius habuit absoluẽdi eos, quos Synodica decreta perculerant: sic etiã sine Synodo in hac eadem causa plurimos etiam Metropolitanos damnasse cognoscitur.

399 Contra. Replicat *Archiepiscopus Spalatrensis.* Si Papa enim posset propria auctoritate falsitates hæreticas cõfutare, & veritates Catholicas definire, Generalia Concilia frustrà cogerẽtur; sed Cõciliũ Generale potest inuito Papa resfidei definire; Ergo vel Papa auctoritate caret per se hæreticas falsitates confutandi, & catholicas veritates definiendi, vel frustra Generalia Concilia coguntur.

400 Respondetur. Esto Papa posset rectè per se solus suo ipsius auctoritate falsitates hæreticas confutare, & veritates Catholicas definire, ex hoc tamen minimè inferẽdum videtur, Generalia Concilia frustra cogi; Si enim solus ageret, efficere quidem quod potest, sed ea faceret, quæ prudenter facere non deberet. Nec tenetur Pontifex pro errore cuiuslibet murionis, vel ludimagistri Concilium congregare, sed dumtaxat vbi rerum põdus vrget.

Et

Digitized by Google

Et tunc Concilia ad hoc celebrantur, vt ipsa erroris dānatio, consensu totius Ecclesiæ, ac multorum calculo, & prolata discussione, plenior, ac plausibilior fiat. Neque verū est, immo omnino falsū, quod Concilium, inuito Papa, possit res fidei definire; quia Episcopi, & Patres Cōciliares debēt in sētentiam descendere, iuncti Petræ iudicando, vt Psalmista ait, (a) *iuncti Petræ iudices eorum*, ideſt Patrum Conciliarium iudicium, debet esse subordinatum decisioni, approbationi, & determinationi Petri, eiusque successorum, qui petra sunt, & de qua dictum est, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, alias Iudicium illorum nullū erit, quia vt bene notat noster Incognitus, (b) *Tamdiu enim illi Iudices videntur aliquid dicere, donec comparentur Petræ*, ideſt Petri decisioni sūt vniformes.

401 Contra, tamquam bene armis instructus aduersus Papæ auctoritatem Vuitclephus saltat in medium, ita inquiens. (c) *Curia Romana nimis indisposita est ad iudicandum alios super hæretica prauitate: istud tamen præsumit temerè, quia est ad sensum mysticum, Ite in Castellum quod contra vos est &c.* Ergo Papa non habet propriè auctoritatem confutandi hæreticas falsitates. Probatur antecedens. Nullis obediendum est, nisi bonis Prælatis, iuxta illud Iosue *sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi tātum sit Dñus Deus tuus tecū, sicut fuit cum Moyse; sed Deus non est cum Papa, quia ipse est Anti-Christus.* (d) Ergo non est ei obediendum, & Curia Romana nimis indisposita est ad iudicandum super hæretica prauitate.

402 Respondetur. Impius hæresiarca Vuitclephus nō modò in antecedente turpiter mentiri, verum etiam intolerabili iniuria, Augustinū, & Hieronymum afficere, cum ipsi Romanam Curiam ad alios super hæretica prauitate iudicandos, aptissimam agnouerint. Et quidem Augustinus nul-

(a) *Psal.* 140. (b) *Tom.* 3. *psal.* 140. *num.* 2471. (c) *Concl.* 141. *damnata.*
(d) *Conclus.* 1. *Vuitcleph. damnata.*

Digitized by Google

nullam aliam efficacem rationem ed conuincendũ Parmenianum adduxit, nisi quia Romani Pontifices Innocentius, Zosimus, & Bonifacius, Cœlestium, & Pelagium successiuè damnarunt. Hæc sunt verba Augustini. (a) *Cum primitus Beatissimi Papæ Innocẽtij litteræ Episcoporum litteris respondentes, Aphrorum pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnauerint, successor quoque eius Sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de Paruulis sentiunt, nusquam dixerit, nunquam scripserit, insuper, & Cœlestium se purgare molienti, ad consentiendum supradictis sedis Apostolicæ litteris, crebra interlocutione constrinxit, profectò quidquid interea leuius factum est cum Cœlestio seruata dumtaxat antiquissimæ, & robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, nõ approbatio exitiosissima prauitatis. Et quod ab eodem Sacerdote postea Cœlestius, & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissæ iam necessario præferendæ ratio seueritatis fuit, non præuaricatio prius cognitæ, vel noua cognitio veritatis.* Colligant iam, prosequitur doctissimus Vualdensis, (b) *Colligãt Vuitcleuiſta, si Discipuli Christi saltem videri cupiunt, B. Augustini sententiam integrã, & sententiæ fragmenta, ne pereant. Innocentius Papa auctoritate sua damnauit errores Cælestij Africę* Episcopi, *& per literas suas notum fecit Afrorum* Episcopis. *Augustinus approbat, & adducit Innocentium beatissimum Papam, nominat, approbat, & adducit: Cælestius corã Zosimo Papa Successore eius sicut coram continuo, & suo iudice purgationem appetijt, sed* Papa *locutionibus crebris ad consentiendum Cælestium damnationi in eisdem literis contentæ constrinxi, & eas Apostolicæ sedis litteras Augustinus nominat, approbat, & adducit. Quid amplius? ab eodem Zosimo Papa, Pelagius, & Cælestius propter pertinaciam hæreticam, eadem auctoritate, sed repetita damnantur. Augustinus approbat, & adducit.* Hieronymus vero cam-

(a) To. 7. *lib.* 2. *contra duas epist. Pelag. c.* 3. (b) To. 1. *lib.* 2. *ar.* 3. *c* 47. *n.* 3.

Digitized by Google

eamdem potestatem confutandi, & definiendi in Romano Pontifice agnoscens, sic ei scribit. (a) *Hæc fides est Papa beatissime, quam in catholica Ecclesia didicimus, quam semper tenuimus, in qua si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & sedem tenes. Sin autem hæc nostra Confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel maleuolum etiã Catholicum, non me hæreticum comprobabit.* (b) Propterea Vualdẽsis noster ad Vuitcleuistas conuersus, sic ait. *Quid creditis Vuitcleuistæ iam infatuatos tot Christi, & Ecclesiæ Præsules, quorum numero nec tunc defuit Augustinus, vt instarent* Papæ Innocentio, *quod in materia fidei, vniuersale per totum Orbem mãdaret edictum, si non crederent eum auctoritate fultum plenaria sic iubendi, magna illorum fuisset importunitas, sed maior fatuitas.* Ad confirmationem antecedentis.

403 Respondetur. Allegatũ loquè locum, Stephanum Cantuariensem, ab Vualdemse relatum ita exponere. (c) *Hic arctantur quidam dicentes, malis Prælatis non esse obediendum, quasi dicerent, nisi Dominus sit tecum, non obediemus tibi. Sed nihil dicunt, quia quod malis sit obediendũ quantum ad ea, quæ spectant ad Cathedram, probatur per hoc, quod Dominus dicit in Euangelio, Quæcumque dicunt vobis, seruate, & facite.* Stephano autem sic Bernardus adstipulatur. (d) *Qui Ecclesiam non agnoscunt, mirum non est si Ecclesiæ ordinibus detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contemnunt, si mandatis non obediunt:* Peccatores *sunt, inquiunt, Apostolici, Archiepiscopi,* Episcopi, *Archidiaconi, Presbyteri: Ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei Sacramentis. Numquam conueniunt ista duo, Episcopum esse, & peccatorem. Falsum est;* Episcopus *enim erat Caiphas, & tamen quatenus* peccator, *qui in Dominum mortis dictauit sen-*

(a) *Tom. 4. in fine Epist. ad Damas.* (b) *Ibid. Sup. n. 4. in fine.*
(c) *Tom. 1. Lib. 2. ar. 3. c. 46. n. 2.* (d) *Homil. 66. super Cant. in fine*

Digitized by Google

tentiam. Si negas Episcopum, arguet te testimonium Ioannis, qui in testimonium illius Pontificatus etiã prophetasse refert. Apostolus erat Iudas, & licet auarus, & sceleratus, electus à Domino. An tu de illius dubitas Apostolatu, quem Deus elegit? non ne dixit vos duodecim elegi, & vnus ex vobis Diabolus est? audis electum eumdem, Apostolum extitisse, & Diabolũ; & negas deinde posse esse Episcopum, qui Peccator est. Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisei, & qui eis non obedierunt tamquam Episcopis, Rei inobedientiæ fuerũt. Et ideo ipso Domino præcipiente, & dicente, Quę dicunt facite, patet quamuis sint Scribæ, quamuis Pharisei, quamuis maximi Peccatores, propter cathedram tamen Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinere. Quod item dixit, Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Ergo falsũ est, nullis obediendum, nisi probatæ vitæ Prælatis; quia vt doctissimus Sylueira testatur. (a) *Licet multi ex Episcopis, laborent multis defectibus, habentur tamen manu dextera Dei, & habebat in dextera sua stellas septem, quia Prælati, quamuis indigni, in multo honore sunt habendi.*

404 Falsissimum item est, quod Vuitclephus temerè, & iniquè subnectit, quod Papa sit Antichristus. Primo, quia vt supracitatus noster Sylueira scribit. (b) *Omnes Patres, omnes Doctores, omnes scriptores Ecclesiastici, omnia Cõcilia, omnes Doctores, ac Rectores Ecclesiarum, qui à tempore Apostolorum, vsque ad nostra tempora extiterunt, hi omnes non solum à Romano Pontifice, hanc (Antichristi) hanc calũniam remouent, imo numquam illis, vel per leuem suspicionem id in mentem venit; nam omnes Patres in Summo Pontifice agnoscunt suam sanctitatem, veritatem, ac pietatem, in hac autem horribili bestia, totum est nequitia, falsitas, ac ferocitas, & ea, quæ de Anti Christo dicuntur à Paulo in epist. 2. ad Thessalonicenses c. 2. & à Ioanne Euangelista, nullo modo possunt proportionari Pontifici; cuius sedes perdurat à morte Chri-*

(a) Tom. 2. Apocalyp. c. 1. q. 64. (b) Tom. 2. Apocal. c. 13. qu. c.

Digitized by Google

Christi; & perdurabit vsque in finem Mundi; Antichristo autem tantum data est potestas per quatraginta duos menses; & in omnibus alijs, vnum discrepat ab alio, vt consideranti patebit. Secundo: Omissis Aymo, Alberto Pineda, cæterisque Scriptoribus, autumãtibus Antichristum per Apocalypsis bestiam figuratum, esse Dæmoniorum Principem, nẽpè Luciferum, & secuti communem, & veriorem sententiã, asserentem non Luciferum, sed Hominem esse, ideo tamen marinæ bestię nomine vocatũ, vt eius belluina immanitas, ferocitas, & crudelitas, magis explicetur, & declaretur, qua tamquam Brutum animal, & nõ Homo, in omnes ferè Homines sęuiet; cuius veritatis Irenæum testem adhibeo, ita de Antichristo scribentem. (a) *In Bestia, nẽpè, Antichristo veniẽte, recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli, vt in ea confluens, & concluſa omnis virtus Apostatica in caminum ignis.* Cuius porro Hominum perditissimi aduentus in longissimum tempus futurus creditur, vt præter Scriptores õnes, totamque Ecclesiam catholicam, Protestantes etiam testantur, videlicet Schelto, affirmans, id se ab ãtiquis Patribus, & à D. Paulo accepisse, sic. (b) *Non prius venturus est Antichristus, quam Imperium Romanum occidat.* Et Zanchius, his verbis. (c) *Sic igitur docet tempus, quo exiturus est Antichristus, scilicet diuisa, & sublata Romana Monarchia.* (d) Quibus Philippus Morneus etiam adstipulatur lib. de Ecclesia, testans ibi non venturũ Antichristum stante Romano Imperio; & Sanctorum Ambrosij, Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, & D. Pauli Apostoli testimonia pro se adducit: Constat autem Romanum Imperium, & illustre nomen, & Imperatorum etiam seriem hactenus retinere, tametsi ei nõ nihil de amplissima illa uetusti nominis dignitate sit detractum. Ergo falsum est, & omnino dãnabile hæreticorũ assertum, quod Papa sit Anti-Christus.

(a) *Lib. 5. c. 29.* (b) *Lib. de 2. aduent. Christ. fol. 21.*
(c) *In Epist. 2. ad Thessalon. pag. 238.* (d) *Cap. 9 pag. 286*

Digitized by Google

405 Confirmatur primo. Antichristus erit à Iudæis in verum eorum Messiam admissus. Sed Romanus Pontifex minimè à Iudæis pro eorum Messia habetur. Ergo Pontifex Romanus nõ est Antichristus. Probatur maior ex illo Ioannis. (a) *Ego veni in nomine meo, & non recipitis me: Si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Quis est ille alius, qui in nomine suo vẽturus est, nisi Antichristus, inquit Sylueira? (b) *Communiter veteres Chrysostomus, D. Cyrillus, Euthymius, Theophylactus, Beda, Rupertus, de Antichristo interpretantur.* Nomine suo, *Syriacè*, proprio nomine, *hoc est non missus à Deo, sed propria sua auctoritate, ac malitia.* Illum recipietis; *Illum suscipietis, vt à Deo missum, ac probatum, in eumque credetis.* Sed quomodo in Antichristum credent Iudæi? Respondeo modo ab Apostolo Paulo in Epistola ad Thessalonicenses descripto, videlicet, (c) *quia charitatem veritatis nõ receperunt, vt salui fierẽt; ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credent mendacio;* scilicet, quia Christum Iudæi non receperunt, *Deus mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio,* nempè Antichristo, quem pro Messia recipient, ergo &c.

406 Confirmatur secundo. Antichristus ignem arcesset è cælo, iuxta illud Apocalypsis. (d) *Et fecit signa magna, vt etiam ignem faceret de Cælo descendere in terram in conspectu hominum.* De igne è cælo euocato, scribit Sylueira (e) *dicendum est, quod hic pro magno, & admirabili Antichristi prodigio refertur: Ansbertus bis expositis, sic addit. Hinc ergo vehementia seductionis ostenditur, quod illud Spiritus Sancti donum bestia habere, vel dare putatur, quo Ecclesiam Dominus confirmans, eminere voluit super omnia Regna mundi. Huic etiam cogitationi subscribit Primasius. Fortasse, ait, hoc excellẽs de igne signum, quo Spiritus Sanctus figuratur, voluit specialiter nominare.* Sed Romanus Pontifex non facit ignem de Cælo descen-

(a) Cap. 5. n. 43. (b) Tom. 3. Euang. lib. 5. expos. 2. (c) Epist. 2. c. 2. (d) Cap. 13. (e) Tom. 2. Apocaly. c. 13. q. 27.

Digitized by Google

descendere ; Ergo Romanus Pontifex minimè est Antichristus. Sed

407 Contra , inquiunt *Balduinus Lutheranus* in disp. de Antichristo c. 6. §. 32. & *Pouelus* Caluinista , Lib. de Antichristo, cap. 26. § 11. Antichristus faciet ignem de cælo descendere , hoc est homines excommunicabit; Sed hoc facit Romanus Pontifex. Ergo ipse est Antichristus.

408 Respondetur cum eruditissimo *Becano*, ò Balduinum , & Pouelum diuinos interpretes ! Simili modo licebit cætera scripturæ testimonia interpretari , sicque illud, quod noster magnus Patriarcha Elias Quinquagenario ait.(a) *Si Homo Dei sum, descendat ignis de Cælo, & deuoret te, & quinquaginta tuos*; ita intelligitur: Si Homo Dei sũ, veniat excommunicatio Pontificia, & percellat vos. At Sacra Scriptura refert , quod descendit non excommunicatio de Cælo , sed *ignis, & deuorauit eos*. Item & illud Lucę, (b) *Domine vis dicimus , vt ignis descendat , & consumat illos*? Sic etiã exponitur; *Domine vis dicimus , vt excommunicentur hi* ? Inepta proculdubio Nouatorum interpretatio. Sed

409 Etenim in auxilium suorum contra insurgit Caluinus.(c) *Constat* , inquit Hæreticus , *Romanum Pontificem impudenter ad sè transtulisse, quod Dei vnius , & Christi maximè proprium erat, dubitãdum non est, quin impij, & abominandi Regni Dux sit, & Antesignanus* , ideſt Antichristus.

410 Respondetur. Caluinum tamquam imperitum dialecticum, & calumniarum Impostorem , fallacijs petitionis principij de more vti : prius enim probare debet , quod supponit iam probatum, videlicet, Romanum Pontificem ea ad se transtuliſſe , quæ Dei sunt , & Christi propria ; Sed contra est , cum ipse , & Deum, & Iesum Christum, vltra quam satis est venerabundus , adorat , & adorandum , venerandumq; dictis, & exemplo omnes monet, quin Seruus Seruorum Dei inscribitur , & hoc pro maximo sibi ducit

(a) 4. Reg. c. 1 (b) cap. 9. (c) Lib. 4. Instit. c. 7. §. 25.

Digitized by Google

ducit honore; miror propterea, quod Caluinus depolita verecundia, falsa loqui non erubescat, cū dicat, *Constat Romanum Pontificem impudenter ad se transtulisse, quod Dei unius, & Christi maximè proprium est.* Constat ne Caluine? vbi? & quando? dices fortasse, ita ait Daniel, hoc testatur Paulus: at nō dicto tantū, sed probato opus est. Vbi enim Daniel, & Paulus dicunt, Romanum Pontificem, ea, quæ Dei, & Christi propria sunt, ad se transtulisse? vrgebis: Paulū, & Danielem dicentes, Caluinus imaginatur. Optima, & vera responsio, qua tua somnia nobis obtrudis. Pulchrè de te, tuisque Patribus fidei perduellibus, olim in Persona Pelagianorum dixerat Augustinus: *Non est mirum si Pelagiani*, & Caluinistæ, *dicta nostra in sensus quos volunt, detorquere conantur, quando de scripturis sanctis, vbi non obscurè aliquid dictū est, sed vbi clara, & aperta sunt testimonia, id facere consueuerūt, more quidem Hæreticorum etiam cæterorum.* Sed

411 Cōtra repetit Vuicleph, hęc cōferens in Romanum Pontificem. (a) *Christus fuit summè humilis, & quo ad sæculare dominium, sūmè Pauper, Papa autem videtur inter homines summè elatus, & summè dominans quo ad mundum, & propter hoc paulò supra; Quis ergo foret Antichristus, nisi Diabolus taliter exaltatus?*

412 Respōdetur. Duplex reperiri Ecclesię status. Alter sub Regibus à primis Christi humanati exordijs eam persequentibus; Alter verò sub Regibus obsequentibus, & Ecclesiæ opem, & auxilium præstātibus. In primo statu, Christi *Ecclesia* in maxima egestate, & rerum inopia constituta fuit. In altero autē statu, Domina gentium, & Princeps prouinciārum esse cæpit, exēpta à tributo, scilicet à uexatione Principum eam persequentium, non autem Hæreticorum frementium, & inuidentium ipsi gloriam dignitatis. (b) *Tempora sunt*, ait Augustinus, *in Ecclesiæ persecutione distincta. Factus est impetus in Ecclesia, quando Reges per-*

(a) *De Christ. & Antichrist. c. 12.* (b) *In expos. Psal. 69. vers. 2. t. 8.*

Digitized by Google

perſequebantur : quia prædicti erant Reges, *& perſecuturi, & credituri : impleto vno, vtique alterum ſequebatur. factum eſt, & aliud conſequens fuit. Crediderunt ergo* Reges, *data eſt pax Eccleſiæ. Cœpit eſſe in culmine dignitatis Eccleſia, etiam in hac terra, etiam in hac vita: Sed non deeſt fremitus perſecutorum. Impetus ad cogitationes verterunt. In illis cogitationibus, tamquam in abyſſo, legatus eſt Diabolus, & fremit, & nõ erumpit. Dictum eſt enim de Perſecutoribus Eccleſiæ: peccator videbit, & iraſcetur. Ita* Auguſtinus. Ecce, inquit Vualdenſis. (a) *Ecce Vuitcleuiſta, ſub perſecutionibus* Regum *magna egeſtate premebatur Eccleſia; Lapſo tempore perſecutionis Regum ſucceſſit pax Eccleſiæ, & culmen dignitatis iam obtinet. Hanc videns Hæreticus, quia Peccator eſt, iraſcitur, dentibus ſuis fremit, & tabeſcit, quia nõ ſub iam, ſed ſupra perſecutionem illam in vita iſta Eccleſia collocatur. Quid Chriſtum inducis fugientem ſeculariter dominari? Initium primi temporis fuit. Quid allegas Apoſtolos, quid ſequentem Eccleſiam vſque ad Principem Conſtantinũ? Expecta tempus, memento finis, adhùc aſtant* Reges *terræ, adhuc Principes conueniunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Securum eſt tempus ſecundum, quando adorabunt eum omnes* Reges *terræ in Eccleſia ſua, & omnes gentes ſeruient ei.* Sed

412 Cõtra reſpõdet maledicus Vuitclephus, (b) *Papa videtur in omnibus iſtis eſſe Chriſto contrarius. Primo, quia abſtulit medietatem Romani Imperij, quod nec Chriſtus, nec aliquis eius Apoſtolus attentaſſet; & ſic de approbatione dominij Cleri dotati, & vendicantium ſubdolè dominium ſeculare: Sed hęc omnia contraria ſunt Chriſto, & factis eius. Ergo ex iſta contrarietate videtur, Papam eſſe patulum Antichriſtum.*

413 Reſpondetur. *Vuitclephus* allato argumento, iniquiſſimo eſſe in Romanum Pontificem animo ſe oſtendit, quod ſub Sole nouum non eſt.

De-

(a) *Tom. 1. Lib. 2. ar. 3. c. 49. n. 2. concl. 2. Vuitcl. damn.*

(b) *De Chriſt. & Antichriſt. cap. 13*

Digitized by Google

Demitor tamē, quod tot prolatis blasphemijs, se mendacē cunctis præstare nō intelligat. Etenim vel loquimur de dominio Papæ Spirituali, & hoc summus Pontifex à Romano Imperatore numquā ademit, sed ei, vti vero Petri Apostoli successori, à Christo concessū est de iure diuino, *Pasce oues meas*. Vel loquimur de dominio temporali, quod habet in populos Ecclesiæ subiectos, nimirum de patrimonio Petri, & istud neque Papa à Romano Imperio surripuit, sed à Magno Constantino concessū fuit Christo, seu eius Vicario: donationem autem, aut recognitionem Papæ factam valere, docet Abbas *in cap. intellecto, num: 6. de iure iurand.* Vbi allegat Ioannem de Lign. *in Cle. 1. in fin. eod. tit.* Etiam si ipsa donatio ōnem penè modum excesserit, quia in donatione Summo Pontifici erogata, nulla potest immensitas considerari, cum tunc Deo, vel eius Vicario detur, quorū Consistorium est idem, vt scribit Ostiensis, *in cap. quando de translat. prælator.* quam rationem etiam Asflictus tenet in tit. de his, qui feuda dare possunt, in *quæst. an Rex possit infeudare de mental. vers. Sed vltra eum.* Sicque vbi subditi quando submittuntur inferiori, deterioris conditionis euadunt; cum hac donatione Superiori ipsi submittantur, nempè Deo, maioris æstimationis redduntur. Andres *in cap. imperial. §. præterea ducatus* 10. *vers. nisi donet Ecclesiæ.* Expone ergo perfide Vuiteclephe, quonam tempore Papa medietatem Romani Imperij abstulit, aut dominium Cleri sibi vsurpauit? En tibi ob oculos, donationem per Constantinum factam exhibeo, non vt maledictorum, quæ temerè effutis te pudeat, cum nulla sit tibi ad quodcumque facinus verecundia, sed nè meo muneri desim; Aspice, perlege, perpende, est enim sequentis tenoris.

414 *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Imperator Cæsar Flauius, Constantinus, Fidelis, Mansuetus, Maximus, Beneficus, Gotticus, Sicrusmaticus, Germanicus, Brittannicus, Vninomus, Pius, Felix,*

Digitized by Google

Felix, Victor, & Triumphator sẽper Augustus, in Christo Iesu. imo ex eodem Sanctæ Trinitatis Saluatore Domino Deo *nostro Sanctissimo, ac Beatissimo* Patri Patrum *Syluestro Vrbis Romæ Episcopo, & Papæ, atque omnibus eius Successoribus in sede B. Petri, vsque ad finem seculi* Pontificibus: *Nec non Reuerendissimis, & Deo amabilibus catholicis Episcopis, eiusdẽ Sanctę Romanæ Ecclesiæ, per hanc nostram Imperialem Constitutionem subiectis, in vniuerso orbe terrarum, nunc, & in posteris temporibus constitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia à Deo Patre Omnipotente, & à Iesu Christo filio eius, & Spiritu Sancto cum omnibus nobis. Postquam docente Beato Syluestro trina mei mersione verbis salutis purificatum, & ab omni leprę squalore mundatum, beneficijs Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, cognoui.*

415 *Vtile iudicauimus, vna cum omnibus Satrapis, & vniuerso* Senatu, *Optimatibus etiam, & cuncto* Populo *Romanę Ecclesia Imperio subiacente, & sicut in terris Vicarius filij Dei esse videtur constitutus, ita etiam & Pontifices, qui ipsius Principis Apostolorum vices gerunt principatus, & potestatem amplius, quam terrena Imperialis nostra Serenitas, & mansuetudo habere videtur concessa à nobis, nostro Imperio obtineãt, eligentes nobis ipsum Principem Apostolorum, vel eius Vicarios firmos apud Deum esse Patronos, & sicut nostra est Imperialis terrena potestas, eius Sanctã Romanam veneranter honorare decreuimus, & amplius, quã nostrum Imperium, & terrenũ Thronum, Sedem Sacratissimã B. Petri glorioſe exaltare, tribuentes ei potestatem, & gloriæ dignitatem, atque vigorem, & honorificentiam Imperialem ..... Interea noscere volumus, omnem* Populum *diuersarum gentium, & nationum per totum orbem terrarum, nos cõstruxisse intra Palatium nostrum Lateranense, eidem* Saluatori *nostro* Domino Deo Iesu Christo, *Ecclesiam à fundamentis cum baptisterio, et duodecim vos scitatis de eius fundamentis secũdum numerum duodecim Apostolorum cophinos terræ onustos ꝓprijs asportasse humeris, quã-*

Digitized by Google

quam Sacrosanctam Ecclesiam Caput, & verticem montium omnium Ecclesiarum in vniuerso orbe terrarum coli, dici, venerari, & prædicari sancimus, sicut per alma Imperialia Decreta nostra statuimus. Construximus itaque Ecclesias Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, quas argento, & auro locupletauimus, vbi Sanctissima eorum corpora cum magno honore recondentes, & tectinas ipsorum ex electro, cui nulla præualens Elementorum construximus, & Crucem ex auro purissimo, & gemmis pretiosis per singulas eorum rochas posuimus, & clauis aureis texuimus, quibus pro continuatione luminariorum, possessiones contulimus, & rebus diuersis eas decorauimus, & per nostras Imperialium iussionum sacras literas, tam in oriente, quam occidẽte, & Septẽtrionali plaga, & meridiana, videlicet, in Iudæa, Asia, Africa, Italia, & diuersis Insulis nostram largitatem concessimus, & prorsus ratione, vt per manus Beatissimi Patris nostri Syluestri Pontificis, Successorumque eius omnia disponantur. Gaudeat vna vobiscum omnis Populus, & gentium nationes in vniuerso orbe terrarum, exhortantes omnes, vt Deo nostro, & Saluatori Christo immensas vna nobiscũ gratias referatis, quoniam ipse est Deus in Cœlis desuper, & in terra deorsum, qui nos per suos Sanctos visitans Apostolos, Sanctum Baptismatis Sacramẽtum percipere, & corporis sanitatem dignos effecerit; pro quo cedimus ipsis Sanctis Apostolis Dominis meis, Beatissimo Petro, & Paulo, & per eos etiam B. Syluestro Patri nostro Summo Pontifici, & vniuersali Vrbis Romæ Papa, & omnibus eius successoribus Pontificibus, qui vsque in finem mundi in sede B. Petri essent sessuri, atque de præsenti concedimus Palatium Imperij nostri Lateranẽse quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur, atque præcellit Palatijs..... Vt Pontificalis apex non vilescat, sed magis amplius, quam terreni Imperij dignitas, gloria, & potentia decoretur: Ecce tam Palatium nostrum, vt prædictum est Romæ Vrbis alios quamque Romanam Vrbem, & omnis Italiæ, seu occidentalium Regionum loca,

Digitized by Google

loca & Ciuitates, præfato Beatissimo Pontifici nostro Syluestro vniuersali Papæ concedētes, & relinquētes alias cōcedimus, & relinquimus, ipsius Successorū Pōtificum potestati, & ditioni, firma imperiali censura per hanc nostram Sāctam, & pragmaticam constitutionem decreuimus disponenda, atque in iure S. Romanæ Ecclesiæ concedimus permanenda. Vnde congruum perspeximus, nostrum Imperium, & Regni potestatem Orientalibus transferri, ac transmutari Regionibus, & in Bizantia Prouincia, in optimo loco nomini nostro Ciuitatem ædificari, & nostrum illuc Imperium constitui, quoniam vbi Principatus Sacerdotū, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Hæc vero omnia per hanc nostram Imperialem, & Imperialia diualia decreta statuimus, atque confirmauimus vsque in finem mundi, illibata & inconcussa permanere decreuimus. Vnde coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit, & corā terribili eius iudicio obtestamur omnes nostros Imperatores successores, vel cunctos Optimates, Satrapas, etiam amplissimum Senatum, & vniuersum Populum in toto orbe terrarum nunc, & in posterum Imperio nostro subiacētem, nulli eorum quoquo modo licere hæc, quæ à nobis imperiali sanctione Sacrosāctæ Romanæ Ecclesiæ, vel eius omnibus Pontificibus concessa sunt, refragari, atq; confringere, vel in quoquā conuelli. Si quis autem, quod nō credimus, temerator, aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus subiaceat innodatus, & Sanctos Dei Principes Apostolorum Petrum, & Paulum sibi in præsenti & in futura vita sentiat contrarios, atque in Inferno inferiori concrematus, alias condemnatus cum Diabolo, & omnibus deficiat Imperijs; huius vero Imperialis nostri decreti paginā propriis manibus roborantes super venerandum Corpus B. Principis Apostolorum posuimus, ibique eidem Dei Apostolo spondentes nos cuncta inuiolabiliter obseruare & cunctis nostris Successoribus Imperatoribus conseruanda mandantes,

Digitized by Google

relinquimus, Beatissimo Patri nostro Syluestro, summo, & vniuersali Papæ eiusdem per eum cunctis Successoribus Pontificibus, Domino Deo nostro, & Saluatore Iesu Christo annuente, tradimus perenniter, atque feliciter possidenda, & subscriptio imperialis diuinitas, nos cõseruet per multos annos, Sãctissimi, & Beatissimi Patres. Datũ Romæ sub die tertio Kalendas Aprilis, Domino nostro Flauio Cõstantino Augusto IV. & Galliano clarissimis Viris Cõsulibus.

416 De hac donatione scribit fusius Cardinalis Baronius; quisquis igitur maiora de ea scire desiderat, ipsum *Tom. 3. Annal. Eccles. ad annum Christi 323. fol. 224. fol. 244, & sequen.* accuratè consulat. Id tamen animaduertat, quod impugnatores ipsius ab Inquisitoribus hæretic: prauit: tãquã temerarij puniri possũt. Fermosinus Asturicen. *Prax. crim. trac. 2. ad tex. in cap. cum Christus, de hæret. q. 4. nu. 15.*

CAPVT SEPTIMVM.

Hæretici de more insanientes affirmant, Romanũ Pontificẽ in cõfutandis Ecclesiæ perduellium erroribus, & rebus fidei definiendis, infallibili veritate carere.

417 QVi iniquissimo in Romanam Ecclesiam sum animo, vt Summi Pontificis iudicium, & si non effugere, saltem apud cæteros nullius momenti esse ostẽdere valeant; contumelioſa oratione, & aspidum veneno suffusa effutiunt, Papam in cõfutandis eorum erroribus, & rebus fidei definiendis, carere veritate infallibili; ideoque in ipsis assertionibus, errare potius, quam decernere. Horum tamen Caput, & antesignanus est Caluinus, aduersus Papę auctoritatem sic intonans. (a) *Si Caput Ecclesia agnosceretur Iulius, an in quartam sedem reijcerentur eius legatę an præsideret Athanasius in Concilio, vbi maximè eluceret debet effigies ordinis Hierarchici.* Ergo Papa malè tamquã Supremus Iudex decernit, cũ talis non sit, & per consequẽs æquè in hoc, atque in decernen-

(a) *Lib 4. instit. c. 7. §. 1.*

Digitized by Google

endo errat.

418 Respondetur. Caluinum, per cõsuetudinem, Papã, aut fallacijs, aut mendacijs vrgere, semper tamen de ipso Papa ementiri. Etenim, vt pluries vidimus, & res ita se habèt, tempore Niceni Concilij Syluester viuebat, eique decẽ annis suprauixit: Iulius autem post Marcum Papam Petri Cathedram ascendit. Ab ipso igitur Syluestro Concilium Nicenum fuit indictum, & præsidentibus eius legatis, Osio Cordubensi Episcopo, Viro, & Vincentio Romanis Presbyteris, celebratum fuit, non verò Presses ipsius fuit Athanasius, qui adhuc tunc Diaconus erat, & cum suo Episcopo Alexandro ad Concilium accessit; Ergo Papam tamquam Ecclesiæ Caput omnes agnoscunt, & per consequens rerũ controuersarum fidei, legitimus Iudex est, eiusque sententia infallibilis.

419 Contra pro Caluino respondent Protestantes. Multi Pontifices Romani erraverunt in fide, & in hæresim inciderunt. Ergo eorum iudiciũ non est infallibile, & sic errare possunt.

420 Respondetur negãdo antecedẽs, videlicet, quod Pontifex possit errare. Quã loquidem illum Deus errare minimè permittit, vbi enim diuina promissio extat; *Ego orani pro te, vt nõ deficiat fides tua*, humana commissio locũ non habet. Cumque Petro, eiusque successoribus indefectibilitas in fide à Christo promissa fuerit, proculdubio in definiẽdis rebus fidei, nunquã ipsi errare potsũt; Sicut P. Coriolanus ciuis meus, ita etiam probat. (a) *Et portæ inferi non prævalebũt aduersus eam. Quid verò hę inferi portæ insinuent, explicat D. Hieronymus in hunc locum, nempe ijs hæreses, atque errores significari.* Ego portas inferi reor vitia, atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas allecti Homines ducuntur ad Tartarum. *Eodem modo interpretatur D. Gregorius in psal.* 7. *Pœnit.* Portæ inferi, *ait*, hereses sunt, quæ dum multos in fide infirmos fucata verborũ calliditate decipiunt, quasi in-

(a) *Summ. Concil. prel. 9. corall. 3.*

Digitized by Google

ferorum eis aditum pandunt. *Romanæ igitur Religioni diuino munere largitum est, vt aduersus omnes inferi portas, errores, atq; hæreses, immobilem, & inconcussam veritatis stabilitatem sibi vindicet: nam propterea D. Paulus ad Timotheũ scribens, ait.* Vt scias quomodo te oporteat in Domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & fundamentum veritatis. *Ergo ipsa errare non potest, Quod Lucius, & Felix Papæ, & Martyres, Agatho, & Nicolaus Papæ Confessores item Cyrillus, & Rufinus ostendunt, dum profitentur non solum Pontifices, sed etiam Ecclesiam Romanam errare non posse. Propterea* S. *Cyprianus lib. 1 epist. 3.* Nauigare audent, *inquit*, ad Petri Cathedram, & Ecclesiam principalẽ, &c. Nec cogitare eos esse Romanos, ad quos perfidia non potest habere accessũ. S. *Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Rufinum*, Scito, *inquit*, Romanam fidem Apostolica voce laudatam, eiusmodi præstigias non accipere: etiam si Angelus aliter annuntiet, quã semel prædicatũ est Pauli auctoritate munitam non posse mutari. S. *Gregorius Nazianzenus in Carmine de vita sua ante medium.* Vetus, *inquit*, Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & sẽper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet, semper de Deo integram Fidem habere. *Fuit nescio quidam Petrus Oxomensis Salmanticę, qui asseruit, Ecclesiam Vrbis Romæ errare posse: Sed talis propositio, sicut & aliæ quamplures damnatæ fuerunt per Archiepiscopum Toletanũ auctoritate* Xisti IV. *Ipse autem Petrus postea recantauit palynodiam; vt habetur in Sũma Conciliorum in vita Xisti* IV. Sed

421 Contra repetit (a) *Caluinus.* Siricios Papa in epistola ad Hyspanos, Coniugiũ, pollutionem vocauit, idcoque ipsum prohibuit; cætera verò, quæ Sacramentorum contaminationes sunt, præcepit. Ergo errauit, sicque Papa in definiendis rebus fidei infallibilem veritatem non habet.

422 Respondetur. Caluinum

(a) *Lib. 4. Instit. c. 12. §. 24.*

Digitized by Google

uinum iterum, ac sæpius mẽtiri, & fœdissimis mendacijs Siricium Papam vrgere. Siricius enim de illicitis, puta Sacerdotum coniugijs in allata epistola agit, vt sunt coniugia Lutheri cum Catharina Bore, & coniugium Petri Martyris Vermilij cum alia moniali, & illud Caluini cum Ideletta Buren, qui cum Sacerdotes essent, vxores susceperunt; non autem ibi loquitur Siricius de legitimo matrimonio inter legitimas Personas inito. Et rectè porro: Etenim si olim carnis immunditia pollutis, nec panes propositionis edendi, nec Sacra manibus tractanda dabantur: *Si Mundi sunt Pueri*, ait Sacerdos ad Dauidem, *maximè à mulieribus*; eo magis in nouæ legis puritate Sacerdotibus, & Ministris, qui & Sacra vasa, & verum Christi Corpus in Sacramẽto Eucharistiæ tractant, carnis voluptatibus se immiscere nefas est. Neque de cætero Siricius errauit, vtpotè qui de eius zelo, & fidei constantia, præ alijs, ita testãtur Centuriatores, (a) *Siricius certamina cum hæreticis habuit &c. Iouinianũ cum Sectatoribus suis, &c. extra Ecclesiam in perpetuum dãnauit: de qua re ad Ecclesiam Mediolanensem scripsit.*

423 Contra (b) *Caluinus* simul cum Protestantibus repetit. Innocentius primus in epistola 2. *cap.* 12. ad Victricium, non modo Sanctis diuinum honorem tribuit, verum & solis Episcopis Sacramentum Confirmationis ministrandum mandauit, ipsique Sacramento maiorem efficaciam tribuit, quam Baptismo; Item lapsæ Virgini peccatorum absolutionem denegauit, ac in epist. 18 ad Alexandrum, Arianorũ Baptismum ratum habuit, inficiatus est tamẽ, per eos Spiritum Sanctum conferri, quo videtur asserere, virtutem baptismi pendere à Ministro. Præcepit tandem, Clericos, & Episcopos Virgines ducere, non autem viduas, quasi Christiani ad obseruantiam legis Moysis tenerentur. Sed hæc omnia errata sunt. Ergo Papa in confutandis Hæreticis, & definiendis rebus fidei, non habet infallibilem veritatem.

424

(a) *Centur.* 10. *c.* 1. *pag.* 1294. (b) *Centur.* 5. *c.* 10. *pag.* 1230.

Digitized by Google

414 Respondetur cum *P. Fiumi*, falsa, & veritati aduersantia loqui Centuriatores. Primum, quia Innocentius Latriæ honorem Sanctis non tribuit, sed tantum Dulię, qui Amicis Dei iure optimo debetur; sicut ex antiqua Ecclesię consuetudine, ministratio Sacramenti Confirmationis Episcopis delata est, quia Duces exercitus, & non milites priuati, cæteros in militum albo describunt; tribuitur autem maior efficacia confirmationi, quam baptismati; non quidē quantum ad infusionem primę gratię, aliosque effectus; sed quantum ad cōstantiam, robur fidei, & perfectionem, quæ tribuitur baptizato, ad resistendum contra hostes Christianæ militiæ. Secundum, Innocentius illi Virgini lapsæ, quę vult perseuerare in peccato, & ab adulterio nunquam separari, nisi præuia morte, absolutionē noluit impartire; similibus autem iustè absolutio denegatur ab Ecclesia. Quod verò attinet ad Arianorum baptismum; loquitur ibi Papa de adultis, vel in peccato mortali baptismū suscipientibus, vel in hęresi permanētibus, qui cum po. ăt obicem peccati, Spiritum Sanctum, & gratiam non suscipiūt, esto verum baptismū, vel confirmationem recipiant; ex hoc autem non sequitur, virtutem Sacramenti pendere à Ministro, sed ab indispositione subiecti, Sacramentum recipientis. Item nec Innocentius vmquam dixit, Virgines, & non Viduas à Clericis, & Sacerdotibus in Coniuges ducendas esse; quia optimè ex Apostolica traditione, & constitutione ipse nouerat, Cęlibatum esse Sacris Ordinibus annexum, & Sacris initiatis, omne coniugium, siue Virginum, siue Viduarum, esse prohibitum. Id autem, quod ibi Innocentius voluit, est, vt Laici, qui Viduas duxerunt, si Vxore mortua ad Sacros Ordines vellent ascendere, vtpotè ex bigamiæ defectu irregulares, ab eorum susceptione essent arcendi. Per hoc autem non Iudaizatur, immo à fortiori sic arguitur. Si bigamia dedecori erat Sūmo Sacerdoti in lege veteri; à fortiori in noua lege, in qua puriores esse debent Sacerdotes, verum Christi Corpus in Sa-

Digitized by Google

Sacrificio Missæ attrectantes. Sicque nihil contra Romani Pontificis infallibilem veritatem.

425 Contra rursus arguũt (a) *Protestantes*. Gregorius Tertius in epistola ad Bonifacium, Viro propter morbum Vxoris debitum coniugale eidem denegantis, aliam vxorẽ indulsit, quod est contra Euãgelium: immo doctrinam de coniugio depranauit, prohibẽdo nuptias ijs, qui à pueritia in Monasteria sunt abducti. Ergo errauit; Sicq; Romanus Põtifex in definiẽdis rebus fidei infallibilẽ veritatẽ nõ habet.

426 Respondetur. Ea quę per Hæreticos de Gregorio circumferuntur, lõgè diuersa esse; mens enim Gregorij est, quod affecta Vxore nõ quocumque, sed perpetuę tantum impotẽtiæ morbo, solutum sit matrimonium, prout habetur in Decretalibus, *tit. de frigidis, & maleficiatis cap. ex literis*, & Glossa *in* 20. *dist. canõ. de libellis*, quod si minus perpetuã est impotentia, attamen morbus aderit cõtagiosus, quo ad thorum, non quod attinet ad vinculum matrimonij, fieri potest solutio; & hæc est mens Gregorij. Ad illud autẽ, quod additur de his, *qui à pueritia in Monasteria sunt abducti*.

427 Respondetur, Gregorium nuptias his interdixisse, qui à pueritia Deo in Monasterijs se tradiderunt, si per tacitam, vel expressam professionem, perpetuam deuouerint castitatem, non verò ante emissam professionem. Sed

428 Contra, prosequuntur Centuriatores. Zacchariæ Papa magni Gregorij sequutus est errorẽ, asserens (b) quod *bonum opus fit in nostra voluntate, & ex diuino adiutorio proueniat perfectio*. Ergo errauit &c.

429 Respondetur, Pelagianorum hic error, fuisse nobis salutis initium, Deo verò consummationem tribuentiũ, quos Gregorius constantissimè confutauit. Dolemus tamen quod Protestantes ad eorum animi impetum dicant, & Gregorij, aut Zachariæ loca in hac re minimè producant. Nos meliori consilio, ad detegendũ eorum mendacium, vnum ex

(a) *Centur. 8. c. 10. fol. 690.* (b) *Centur. 8. c. 10. pag. 703.*

Digitized by Google

innumeris magni Gregorij testimonijs, contra ipsos proferimus, videlicet illud, quod lib. 16. moralium sic legitur; (a) *Si vero adhuc saluari hic quisque mũditia manuum suarum creditur, vt suis viribus innocens fiat, proculdubio erratur, quia si superna gratia nocentem non præuenit, numquam profectò inueniet, quem remuneret innocentem, &c. Superna ergo pietas aliquid in nobis, sine nobis operatur, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum, quod iam appetimus, agat nobiscum.* Per fraudem igitur Gregorio tribuitur, & Zachariæ, boni operis initium à nobis desumi, perfectio vero eiusdẽ à Deo, cum ille dicat, hominẽ bonum opus sine Deo, nec inchoare posse. Sed

430 Contra. Stephanus Tertius, ordinationis dignitatẽ, & vim, adeo ad Personã ordinantis deuinxit, vt à laico Constantino ordinatos denuo iusserit consecrari. (b) Ergo, inquiunt Protestãtes, Papa tũc errauit, & sic in definiendis rebus fidei, infallibilem veritatẽ non habet.

431 Respondetur, quod in pernicioſissimi erroris crimen Cẽturiatores omnino vocandi sunt, eo quod à Laico initiatos, Sacros ministros esse asserum, cum re uera meri Laici sint, & aliter credere est omnino diuinæ ordinationi contrarium. Nec Catholicorum tantummodo est hæc sententia, sed etiam ipsorum Summistarum, asserentium ordinatos à Laico, esse merè Laicos, sicut ex multis Brigesius Superintẽdens Oxonienſis in Anglia ita scribit. (c) Si *fratres nostri Catholicos Episcopos non nisi Laicos habere velint, tunc neque nos, neque illi veri Ministri erimus, sed merè Laici. Quis enim nos Ministros constituit, nisi aut Episcopi Catholici, aut qui à talibus initiati sunt? nisi fortè plebem Ministros fatere posse autument.*

432 Contra. (d) Ioannes XIII. contra Christi institutionem baptizauit Campanas. Ergo errauit, & sic auctoritas Romani Pontificis non est infallibilis;

433

(a) *Cap.* 11. (b) *Centur.* 8. *c.* 10. *fol.* 730.
(c) *In defens. regim. pag.* 1276. (d) *Centur.* 10. *c.* 6. *pag.* 294.

Digitized by Google

433 Respõdetur. Vel Protestãtes intelligunt, quod Baptismus, & benedictio differunt, vel ignorant; si ignorant, cur Ioannem XIII. adeo erroris acriter insimulantẽ dum eos latet an ipse in errorẽ inciderit, nec nè: Si autem intelligunt, cur loquũtur mendacium? Respondit D. Gregorius; (a) *Omnes Hæretici dum in sacro eloquio plus secreta Dei student perscrutari, quam capiunt, fame sua steriles fiunt. Neq; enim ea quærunt, ex quibus semetipsos ad humilitatem erudiant, mores in trãquillitate disponãt, patientiam seruent, longanimitatem exhibeant; Sed ea solummodo, quæ eos doctos, ac loquaces demonstrent.* Postulant igitur in iudicium Protestantes Ioannem, vt acerbissimi se ostendãt detractores. *De cętero* verò sciunt, quod campanæ, sicut & multæ aliæ res inanimatæ, videlicet templa, altaria, calices, sal, aqua lustralis, precibus in Rituali prescriptis benedicuntur, & aqua lustrali aspergũtur; sicut ait D. Paulus ad Timotheum: (b) *Sãctificantur enim per verbum Dei, & orationem:* & ita ad diuinum cultum contra aereas potestates deputantur; non autem dicitur Cãpanis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti.* Quod si eos baptizari audiant, plebeculas vtique audiũt, quæ autẽ videant eas aquà benedicta aspergi, eisque ad distinguendum vnam ab alia, nomẽ imponi, imperitè dicunt, eas baptizari. In Rituali autem non item, sed tantum describitur in ipso, *Benedictio Campanæ.* Baptismus verò ideo datur, vt Anima charactere inuisibili consacretur, sugilletur, & gratia emundetur, quæ emundatio, appellatur Sanctificatio, cum Anima rationalis sit veræ Sanctitatis, ac gratiæ diuinæ capax, inanimata autem, non item. Sed

434 Contra iterat. (c) *Caluinus.* Si tale priuilegium inerrabilitatis Pontifici Romano collatum, *quod obtendunt, ratũ esse volunt, expungant è numero Pontificum Ioannem XXII. qui palam asseruit, Animas esse mortales, vnaque cum corporibus interire vsq; ad diem resurrectionis.* Errauit ergo Ioannes

(a) *Tom. 1. moral. lib. xx. c. 10.* (b) *Epist. 1 c. 4.* (c) *Lib. 4. instit. c. 7. s. 28.*

Digitized by Google

dicendo, Animas Beatorũ non viſuras Deum ante reſurrectionem vniuerſalem, ſicque veritas eius fallibilis fuit.

435 Reſpondetur primo: poſito, numquam tamen conceſſo, quod Ioannes ita dixerit, dixit hoc tamen, quando nihil de hac re ab Eccleſia definitum erat, & tunc ſine hæreſis nota dicere potuit, Animas Deum non viſuras, niſi poſt reſurrectionem. Ipſum autem hãc quęſtionem definire cogitantẽ morbus corripuit, & vt (a) *Ioannes Villanus* refert, teſtatus eſt; ſe numquam eum de hac re loquutus fuerat, habuiſſe in animo illam definire, ſed potius exiſtimare, veriorem ſententiam eſſe aſſerentium, *Beatos diuinam Eſſentiam videre ante reſurrectionem communem corporum in die iudicij*, & hanc ſententiam ſe amplecti; niſi aliquando aliter eſſet ab Eccleſia definitum; ex quo apertè patet, Ioannem non modo nihil definiſſe: verum etiam bonam, ac catholicam mentem ſemper habuiſſe, & minus prudenter dicta, palam retractaſſe, & ſic è viuis diſceſſit. Eius autem Succeſſor Benedictus XII, vti (b) *Caſtro* ſcribit, Cardinalium, & Theologorum exactiſſima conſultatione adhibita, rẽ definiuit, atque decreuit, vt ex epiſtola eiuſdem Papæ clarè cõſtat, in qua ipſemet teſtatur, prædeceſſorem ſuum ad eamdem determinationem ſe accinxiſſe, ſed morte præoccupatus, eam definire non potuiſſe.

436 Reſpondetur ſecundo, cum Reſoluto Bachonio, qui ſecundum (c) *Lezanam* anno 1333. Romam aduenit, cũ adhuc memoratus Ioannes XXII. inter homines ageret, qui deinde ſequenti anno 1334. naturæ ſatisfecit. Ipſe autem Reſolutus Doctor Ioannes Bachonius 1. 2. 3. & 4. ſententiarum ſcripſit quæſtiones, de ſimili autem Ioannis opinione proculdubio certior erat, & quidquid veritatis ſcire potuit, certè retulit; Hæc autem de ipſo ait; (d) *licet Sanctiſſimus Dominus, & Pater Sũmus Pontifex Ioannes XXII. dixerit in quodam ſermone, quod*

(a) *Lib. hiſtor. lib.* 11. *c.* 19. (b) *Lib.* 3. *contr. hæres. verb. Beatitudo.*
(c) *Tom.* 4. *Annal.* (d) *in* 4. *diſt.* 49. *qu. vnic.*

Digitized by Google

quod sibi videbatur &c. dicta Doctorum maiorum, & Sanctorum; quod Anima beata non videbit Diuinam Essentiam ante diem Iudicij, palam protestando se nihil velle definire circa hæc absque cõsilio fratrum suorum. Ergo Ioannes de hac re nunquam sententiam protulit, & per cõsequens reus huius criminis minimè fuit: Et licet ita dixerit, sine tamen errore scribit noster Lezana (a) *dicere potuit, quia veritas contraria vsque ad eius tempus nõ habebatur pro definita ab Ecclesia, neque ab Innocentio III. in decretis relatis, quia ibi non ex professo, sed obiter, & incidenter eam docuit, vt notat Suarez. Neque in Concilio Lugdunensi fortasse propter eamdem rationem. Nihilominus dicendum falsissimum esse, & calumniam hæreticorum dicere, quod definierit suam sententiã. Ita enim habet expressè Benedictus XII. in extrauaganti relata, nec credendum est Okam, quia fuit infestissimus huic Papæ, & ab ipso vt dicitur, excommunicatus: & ita creditur ex odio Pontificis id dixisse. Imo communiter hæc afferri solet in exemplum singularis Prouidentiæ Dei circa Ecclesiam Romanam, vt non permiserit ipsum definire suam falsam sententiã.* Quam quippè ab ecclesia damnatam, tum Lutherus, *tom. 2. Latin: epist.* tũ Caluinus, *lib. 3. Institut. cap. 20. §. 10. & 24.* perfidè sequuntur, ergo ipsi sunt hæretici, & ideò Ioannes XXII. è numero Pontificum neutiquam expungandus, qui ex peculiari Christi promissione, & Spiritus Sancti assistentia, in rebus fidei definiendis, errare nõ potuit: Etenim, vt inquit Vualdensis, (b) *Præsul Romanæ Sedis auctoritatem sibi potissimam iustè vendicat, & fidem vberrimam. Vnde in epistola ad Damasum Papã, cui debebat in Antiochia communicare de fide, Hieronymus ait.* Quoniam vetusto oriens, inter se Populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desuper textam minutatim per frustra decerpit, & Christi vineam exterminant Vulpes, vt inter lacus cõtritos, qui aquam non habent, difficile vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit

intel-

(a) To. 2. Theol. trac. 1. disp. 3. de beatit. q. 8. (b) To. 1. lib. 2. cap. 2. c. 24. n. 5.

Digitized by Google

intelligi: Ideo mihi Cathedrã Petri, & fidem Apostolico ore laudatam cẽsui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Neque verò tanta vastitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretiosæ Margaritæ potuit inquisitione prohibere; à Sacerdote victimam, & salutem à Pastore præsidium ouis efflagito. Ego enim nullũ primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Noè arca non fuerit, peribit regnãte diluuio. *Videant omnes fideles humilitatem prædicandam Hieronymi, videat superbus Vuitcleph, & pudeat se non dignatum ad auctoritatem Romani Pontificis in necessarijs fidei habere recursum. Sapiens, & peritus Pater* Hieron. *Sanctus, & intemerata vitæ, & gloriosissimæ famæ præclarus, qui quãtũ sol cimicẽ, tantum in scindi gloria, turbidum* Vuitclephum *trascendit: territus erat à magnitudine, & auctoritate Præsulis Damasi, & eum non terrebat vastitas maris, non terrarum prolixitas, quin cum Successore Petri, & Christi Discipulo, de fidei suæ integritate disponeret, ab illo Sacerdote victimam, ab illo Pastore salutem, & ouis præsidium efflagitabat, Beatitudini eius consociari petebat super illam Petram ædificatam Ecclesiam sciuit, & omnem qui extra hanc domum agnum comederit, esse prophanum. Va ergo mihi si hæc verba Patris mei non cogitẽ, & firmiter humilitatem eius prudentissimam in pectore meo tractem, vt quidquid scribam, tractem, dictẽ, tãti culminis auctoritati plenè succumbens, aut deleam, aut conseruem.*

CAPVT OCTAVVM.

Insulsa hæreticorum opinio, qua asserunt Concilij conuocationem ad Romanum Pontificem non pertinere, nec deindè eius præuia confirmatione inconcussæ fidei habere veritatem, reijcitur.

437 INcognitus noster illud Psalmi 2., *Astiterunt*

runt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, exponēs ait. (a) Hic *consequenter ponit persecutionem maiorum; Astiterunt Reges terræ; & non solum maiores, sed etiã minores, Principes terræ conuenerunt in vnũ conspiratione, quia in vnum cõtra Christum conspirauerunt. Conspiratio tamen peccatum aggrauat, quia omnes conspiratores reddit infames, & excommunicatos. O stulta præsumptio*, prosequitur Incognitus, *Principes terræ contra Regem Cœli conuenerunt*; facilè contra Cœli Regem, eruditissime Incognite conuenerunt, videlicet Rex Angliæ, Archiapostata Spalatrensis, Lutherus, Caluinus, Centuriatores, Brentius, Pomeranus, Rousellus, Hornus alijque quamplurimi *contra Dominum*, videlicet Deum, *& aduersus Christum eius*, scilicet Papam; dum Generalium Conciliorum conuocationem, quibus ipsi nequitiæ rei peraguntur, ad Romanum Pontificem non pertinere; sed ad Imperatorem pueriliter effutiunt. *Dirumpamus*, inquiunt, *vincula eorum*, nempè ligandi, atque soluendi potestatem, *& proijciamus à nobis* iugũ ipsorum, (b) *Ne scilicet* subiungit Incognitus, *eorum voluntati seruiamus*: Sicut pluribus inferius referendis argumentis, nequissimè per ipsos effectum est. *At qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*; & tunc fuit perorat Incognitus, (c) *quando totum oppositum eius, quod intendebant effecit*; ideſt quando sanis responsionibus ex Sacra Scriptura desumptis; eorum fallacias, & diabolica argumenta disrupit, qualia sunt.

438 Conuocatio Conciliorum ab Imperatoribus olim semper habita fuit; Ergo conuocandorum Conciliorum ius, non ad Papam, sed ad Imperatores, & Reges spectat. Probatur antecedens, singula Cõcilia referendo. Concilium Nicenum primum, teste *Russino*, ab Imperatore Constantino indictum fuit. Sardicense, & Constantinopolitanũ, à Theodosio seniore. Ephesinum à Theodos. & Valētiniano. Chalcedonense à Martiano Imperatore. Quinta Synodus, à Iustiniano.

(a) *Tom.* 1. *n.* 9. (b) *n.* 10. (c) *n.* 11.

Digitized by Google

stiniano. Sexta Synodus à Constantino. Septima Synodus, nēpe Nicena secunda, ab Irene Augusta. Octaua à Basilio Imperatore, &c. Ergo Conuocatio Conciliorum ab Imperatoribus, & non à Papa semper habita fuit.

439 Respondetur; negando antecedens, & itidem, quæ falsissima est, eius probationē. Etenim numquam apud Historiographos Hæretici inuenient, Imperatores absque Romani Pontificis assensu, legitimum Concilium conuocasse. Et quidem Concilium primum Nicenum à S. Syluestro Papa, & non à Constantino indictum fuisse, canon. 20. Concilij Romani, his verbis apertè probat. *Syluester Episcopus, Sanctæ, & Apostolicæ sedis Præsul Vrbis Romæ dixit: Quidquid in Nicea Bithiniæ constitutum est ad robur Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ à Sanctis Sacerdotibus* 318. *nostro ore confirmamus: Omnes qui ausi fuerint dissoluere diffinitionem Sancti, & magni Concilij, quod apud Niceam congregatum est sub præsētia Pijssimi, & venerandi Principis Constantini Augusti, anathematizamus.* Concilium Cōstantinopolitanum, teste *Theodoreto lib. 5. histor. c. 9.* non à Theodosio, sed à Damaso Papa conuocatum fuit; nec vltra præstitit Theodosius, nisi quod Damasi epistolam, qua indicebatur Concilium, ad Episcopos misit. Cōcilium verò Ephesinū, non à Theodosio, & Valentiniano coactum fuit, sed à Papa Cælestino primo, cuius vicē ex eius speciali commissione, Cyrillus noster impleuit. (a) Chalcedonēse Concilium, non à Martiano, sed à S. Leone Papa conuocatum fuit; sicut ex epistola Martiani ad Leonem missa, apertè patet, & Act. 6. Concilij suprà dicti pro Martiano ita testantur. *Nos*, inquit Martianus, *ad fidem roborandam, nòn ad potentiam aliquā ostendendam, siue exercendam exemplo glorioſissimi Principis Constantini, Synodo interesse volumus, vt veritate inuenta, non vltra multitudo prauis doctrinis attracta discordet, vel ne vlterius prauis persuasionibus à recta separetur fide.* Quinta Synodus, siue quintum Con-

(a) *Nicephor. lib. 14. c. 34.*

Digitized by Google

Concilium Generale, Constãtinopolitanum secundum, à Vigilio Papa, & non à Iustiniano conuocatum fuit, hac conditione, vt in Sicilia celebraretur, vbi tum Orientales, tum Occidentales Episcopi cõmodius conuenirent. Iustinianus verò non Episcoporum, sed suæ propriæ commoditati studens, voluit eum Constantinopoli celebrari, & hęc causa fuit, cur Vigilius noluerit in Concilio, nec per se, nec per suos legatos præsidere; Quod cum illi Patres illuminati intellexissent, Imperatoris iussu ibi esse congregatos, noluerũt Cõciliares actiones prosequi, ne acta irrita essent, ex destinationis loci, & conuocationis defectu. Euthychius autem Episcopus Constantinopolitanus, qui Concilio præerat, ad Vigilium misit illius quæstionis de tribus capitulis decisionem petens, vbi eidem Pontifici ait: *Centum sexaginta quinque Patres Concilio interfuerunt, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus.* Ita Nicephorus *lib.* 17. *cap.* 27. & Euagrius *lib.* 4. *c.* 37. Quod si dicant Hęretici, illegitimam vsque ad Vigilij approbationẽ extitisse, ex qua robur, & vim, quam antea ex defectu legitimæ conuocationis non habebat, accepit; Ergo ad Papã, & non ad Imperatorem legitimè eius conuocatio pertinuit. Sexta Synodus ab Agathone Papa ad Constantini Progonati Imperatoris rogatum, vt ex actione 6. eiusdem Concilij patet, conuocata fuit. Septima verò ab Adriano Romano Pontifice indicta, petẽtibus Constantino, & Irene, sicut ex Diuali ab Imperatore ad Adrianum directa clarè colligi potest. Octaua tãdẽ ab Adriano Secundo congregata fuit Basilij Imperatoris ministerio, vt ex epistola Adriani ad ipsum Imperatorem missa, quę extat *tom.* 2. *Concil epist.* 3. apertè patet. Ergo conuocatio Conciliorum, ad Romanum Pontificem, & non ad Imperatores vel Reges spectat. Sed

440 Contra, reperiunt supradicti. Carolus Magnus plura Concilia congregauit, scilicet Moguntinum, Remense, Turonense, Cabilonense, Arelatense &c. Ludouicus verò Concilium Aquisgranense,

Nam Lei-

Digitized by Google

Ticinense &c. coegit; Ergo ad Imperatores, & Reges conuocatio Conciliorum pertinet.

441 Respondetur, distinguendo antecedens: congregauit auctoritatiuè, nego antecedens; Congregauit ministerialiter, concedo antecedens, & eodem modo distinguitur consequens, vt scribit municeps meus P. Coriolanus; (a) *Imperatores cum Religiosissimi essent, & sũmopere, quæ Christianæ Religionis erant, curarent; cum Ecclesiam aliqua hæresi infestari cernerent, vel sponte Concilia à Romanis Pontificibus petebant; vel ab ipsis conuocanda, si quando Cõcilij locus eorum ditioni subijceretur, ita sua auctoritate cõmunichant, vt liberam potestatem Pontifici facerent, in ea Vrbe Concilium celebrandi, imo verò, seipsos Concilij fautores, ac propugnatores exhiberent; quo fit, vt seipsos potius Pontificiæ auctoritatis Ministros, quã riuales, ac Dominos præberent. At Concilia nomine suo minime congregabant, sed vel postulante, vel annuente Pontifice, ea cogenda curabant. Id ex multis Synodorum testimonijs* &c. (b) Cui quidem ipsemet Carolus Magnus in suis capitulis sic adstipulatur. *Auctoritas Ecclesiastica, atque canonica docet, non debere absque sẽtentia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Ergo ad Romanũ Pontificem ipsorum conuocatio spectat. Sed

442 Contra, inquit *Nilus Thessalonicensis*. Leo Papa per supplices tabellas à Theodosio Imperatore postulauit, vt Concilio in Italia conuocando intercederet; *Pietas vestra*, ait, *suggestioni nostræ dignetur annuere, vt intra Italiam iubeatis habere Concilium.* Ergo ius conuocandi Conciliũ pertinet ad Imperatorem.

443 Respondetur, adductæ tabellæ, quibus Romanus Pontifex cum Imperatore Theodosio egit, nequaquam per demissionem, sed per modum potius Pastoralis humanitatis fuisse exhibitæ, vt in custodiendis Episcopis, in sũptibus, in saluo cõducto, & similibus ad Concilia conuocãda, manus auxiliares Imperator conferret. Sed quid mirãtur

(a) *Summ. Concil. præl. 3. fol. 22.* (b) *Lib. 6. cap. 267.*

Digitized by Google

tur Hæretici, Papam eo tem-poralibus rebus Imperatori se subiecisse, mirentur; & equius? Imperatoris Maiestatem iden-tidem præ Papam, vsque ad pedum oscula procumbentē. *Scio*, prosequitur supradictus Conciuis meus, (a) *& optime scio, quod Imperatorum consēsus nonnumquam ad Concilia celebranda à Pontificibus exquiritur; Sed de hoc optima causa est, & olim etiam fuit, quod cum Imperatores toto fere orbe imperarent, & Concilia in his Regionibus, quæ Imperatoribus subiecta erant, sæpè celebrari solerent; æquū sane erat, vt ea absque Imperatorum licentia non fierent, præsertim cū ex toto orbe conuentus fieret: Id enim politica gubernationis ratio exigebat. Sed numquam reperitur, Imperatorem aliquem Catholicum propria auctoritate Concilium conuocasse, cum hoc ad solū Papam pertineat, vt supra dictum est.* Propterea quemadmodum Synodus illa à Theodosio illegitimè con-uocata fuit, ita illegitimam, & prædatoriam Synodum Pō-tifex eam nūcupauit, eo quod non iudicium, sed latrocinium exercuit, & secus ac canones statuunt, conuocata fuit. Sed

444 Contra *Pomeranus* insurgit. Synodus dicitur Oe-cumenica, *id est totius orbis.* Ergo non à Papa, sed ab Oe-cumenico Domino, videlicet Imperatore, qui Oecumeni-cus, & totius mundi Dominus dicitur, conuocari debet. An-tecedens patet; consequentia vero probatur, tum ex *L. de-precatio 9. ff. ad leg. Rhod. de iact.* Tum ex Luca Euangeli-sta. (b) Augustum Cæsarē, Oe-cumenicum Dominum in de-scriptione totius orbis, vocā-te. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vni-uersus Orbis.*

445 Respondetur, negā-do consequentiam, eiusque probationem; Etenim Impe-ratores nequaquam in totum Orbem, sed in regiones illas tantum, quarum penes ipsos dominium est, imperandi ius habēt. Et ita antiqui Impera-tores erant Domini tantum illarum Prouinciarum, quæ Romano Imperio subdebān-tur, scribit Sylueira, quia,

(a) *Ibid. fol. 22.* (a) *Cap. 2.*

Digitized by Google

ly (a) *Vniuersus Orbis, non totus* mundus, *sed Populus possessionis eius, teste Syriaco, intelligitur: quia descriptio ipsa facta non est in vniuerso mundo, sed in illa tantum parte, quæ sub Romanis erat. Dicitur autem vniuersa terra ratione illius partis, in qua res fit, vt notat D. Hieronymus in cap. 13. Isaiæ, & patet Matthæi cap. 13. num. 45.* Vel dicitur vniuersus Orbis, quia *vt ait Caietanus*, Augustus ad gloriam sui Imperij, scripsit absolutè vniuersum orbem, tamquam esset Dominus vniuersi, cuius tamen nullus vmquam fuit Imperator. *Hæc autem descriptio fiebat per capita generationum, seu per familias, nempe Romanorum, vt testatur Dionysius Halicarnassæus.* Sola autem Papæ potestas per vniuersum Orbem extenditur, quia per vniuersum Orbem Ecclesia est propagata, & Pontifex *talius præsidet religione diuina, quam olim Imperatores Romani dominatione terrena, Sãctius Led testatur.* Propterea Episcopos in omni mundi parte existentes aduocare ad Concilium potest, quod esto ex omni mundi parte non veniant, adhuc tamen ad Concilia totum Orbem venisse censetur; sicut in Octaua Synodo contra Photium Patres Conciliares dixerunt: *Loquere Photi, totus mundus hic adest.* Sed

446 Contra. Indicendi Cõcilij auctoritatem Summo Sacerdoti lex diuina non tribuit. Aarõ enim, cæteriqueSũmi Pontifices, Concilium, vel Populum congregasse non legitur. *Ergo* neque Romano Pontifici competit Concilium conuocare, cum nulla ratio suadeat, vt maiora sibi vendicet Papa, quã Summus Israelitarum Sacerdos.

447 Respondetur, negãdo antecedens, & ratio negationis est; quia lib. Numeri cap. 11. habetur, Deus Moysi Summo Sacerdoti sic præcepisse; *Congrega mihi septuaginta Viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod Senes Populi sint, ac Magistri.* Nomine autem *Senis*, Episcopi, & Sacerdotes veniunt, & non Principes seculares, testatur Sylueira his verbis. (b) *Per senes,*

(a) To. 1. *Euang. lib. 2. c. 1.* (b) To. 1. *Apocal. c. 4. vers. 4. q. 13. n. 101. & 103.*

Digitized by Google

nes, inquit in expositione, *sit alluſio ad Principes Eccleſiæ in vtroque teſtamento. Aureolus, & Liranus tenent, quod viginti quatuor Seniores ſint Epiſcopi in ſuis ſedibus, ideſt Epiſcopatibus. Alcazar vero intelligit Sacerdotes; nam hi Præsbyteri dicuntur, quod idem eſt, ac Seniores, & in Eccleſia thronos habere, ac regnum: habent enim poteſtatem ligandi, ac ſoluendi, vnde portant canones in capite. Habent phialas aureas, ideſt calices, & vaſa ſacra, in quibus Deo offerunt Sacrificium, & ſimul cum ſacrificio orationes fidelium &c.* Nomine verò *Magiſtri* poſt Prælatos, Doctores, Clerici intelliguntur, ſcribit Incognitus. (a) *Nota*, inquit, *quod inter Cleros duo ſunt gradus, ſcilicet Prelatorum, & Doctorum. Per Moyſen, qui erat de Tribu Leui, & Sacerdos, intellige Cleros.* Nempe Cleri caput. Ergo Epiſcopi, ſiue Preſbyteri, & Doctores ex diuina inſtitutione, non à Rege, vel Principe in veteri teſtamento ad Concilium vocabantur; ſed bene à Moyſe Summo Sacerdote. Sicque dum ad idem in nouo teſtamento Romanus Pontifex ipſos conuocat, nihil ſibi auctoritatis arrogat, quam Summus Sacerdos Iſraelitarũ habebat, ſed iure ſuo proprio conuocandi Oecumenicum Concilium potius fungitur. Ad quod ſanè legitimè congregatum, modò Papę cõfirmatio accedat, inconcuſsã, infallibilemque obtinet veritatem.

448 Contra. Concilium Sardicenſe generale, verum Concilium fuit, & à Papa Leone confirmatum. Sed tale Cõcilium fuit hæreticorum Arianorum, ſicut contra Creſconium Auguſtinus ſcribit. (b) *Diſce quod neſcis, Sardicenſe Concilium Arianorum fuit.* Ergo Concilium generale præuia Papæ approbatione, ſine confirmatione, inconcuſſę veritatis non eſt.

449 Reſpondetur ex *D. Athanaſio*, apologia ſecunda, & *Bellarmino* lib. 1. de Concil. c. 7. Supradictum Concilium generale Sardicenſe fuiſſe in duas partes diſciſſum: Altera pars fuit ſeptuaginta Epiſcoporum Orientaliũ Arianorum:

Al-

(a) *Tom. 2. pſalm. 98. n. 1683.* (b) *Lib. 3. c. 34.*

Digitized by Google

Altera verò pars fuit trecentorum Episcoporum Catholicorum Occidentalium. Episcopi Orientales schismate facto, tum à trecentis Episcopis, tum à Iulij Summi Pontificis Romani legatis digressi sunt, & tam Catholicam fidem, quam D. Athanasiũ damnarunt. Episcopi autem Occidentales cum Summi Pontificis legatis, pro fide Catholica stabãt, & Athanasiũ iniustè condemnatum, ad propriam sedem dimiserunt, ac restituerunt: Horum tandem decreta, non illorum Arianorum fuerunt à Leone Papa confirmata. Augustinus interea, quia Decreta dumtaxat Episcoporum Orientalium Arianorum, ab ipsis in Africam ad vniendos sibi Donatistas missa, tunc tẽporis vidit: vt Cresconij errorem, qui Decreta illa Augustino obijciebat, exibilaret, rectè ei respondit, *Disce quod nescis, Sardicense Concilium, quorum Decreta contra fidem Catholicam obiectas; Arianorũ fuit.* Vel vt P. Coriolanus meus scribit. (a) *Duas ob causas Sardicense Concilium ab Augustino velut illegitimum, ac sparim reiectum fuit; quarum vna est, quod Marcellum Arianorum Episcopum, ab omni hæreseos labe expurgatum absoluisset. Sed cum Epiphanius Hæresi 72. anno post obitum illius secundo scripseris, Marcellum de hæresi infamatum, Romæ coram Iulio Pontifice fidei Confessionem edidisse, eademque præmissa in communionem Ecclesiæ Catholicæ receptum fuisse, euidenter patet, id quod huic Concilio ex parte Marcelli iniustè absoluti obijcitur, verè calũniosum esse. Altera causa huius Concilij ab Augustino reprobati est, quod Arianis cum suis Sardicam per fugam elapsis, Philippis in Tracia Concilia bolum, Sardicensis Concilij nomine cõdecoratum, celebrarint, illudque patrocinio Constantij Imperatoris, velut vnum, ac legitimum Sardicense Concilium omnibus in locis promulgari curarint. Vnde hoc callidè, & per impostu ram Hæreticorum effectum est, vt non solum Augustinus, sed Alypius, alijque plures Catholici ignorantes duo Sardicensia Concilia, alterum legitimum,*

(a) *Summ Concil. Conc. Sardic. pag. 242.*

Digitized by Google

timum, alterum verò illegitimum habitum fuisse, vtrumque vel Impium detestati fuerint. Sed

450 Contra; Augustinus scribens aduersus Maximianum ait:(a)*Nec Ego Nicenum, nec tu debes Arimenense, tamquam præiudicaturus proferre Concilium, nec Ego huius auctoritate, nec tu illius detineris.* Sed Concilium Nicenũ fuit Oecumenicum, & à Papa confirmatum; Ergo confirmatio Papæ non reddit inconcussæ veritatis Concilium.

451 Respondetur. Augustinum tunc Sacrum Nicenũ Concilium minimè respuisse, sed quia cum hæretico homine Concilium supradictum respuente tunc disputabat, cũ Aduersarium ipsum ex hoc loco refellere non posset, & fortiora ex scripturis argumenta suppeterent, dixit: *Nec Ego Nicenum, nec tu debes Arimenense proferre Concilium*, ideſt, Conciliorum auctoritate pro nunc sepositâ, rem ex scripturis agamus. Nec enim Augustinus Niceni Concilij auctoritatem, quam maximè venerabatur, & ad confutandos Hæreticos in arenam producebat, inficiatus est. Sed

452 Contra. Augustinus lib. 2. de baptismate asserit: (b)*Concilia plenaria priora, per Concilia posteriora emendari.* Ergo Augustinus intellexit, priora, & pleniora Concilia à Papa confirmata, inconcussæ veritatis minime esse, alias emendanda non essent.

453 Respondetur, ex ipso Augustino, ly *emendari, hoc tantum valere, aut significare, videlicet, explicari, & declarari ea*, quæ fortassis obscurius dicta sunt in prioribus. Vel dicas, Diuum Augustinum loqui de Concilijs illegitimis prioribus, quorum Decreta per Concilia posteriora legitimè congregata emendãtur, vt patet de Concilio Ephesino secundo, à Concilio Chalcedonensi emendato. Vel dicendum, quod si loquatur de Concilijs prioribus legitimis, hæc vox *emendatio*, non est intelligenda quantum ad decreta fidei, & morum pro tota Ecclesia, sed quantum ad aliquas cæremonias, & quantum

(a) *Lib. 3. c. 14.* (b) *Cap. 3.*

Digitized by Google

tum ad ea, quæ ad Ecclesiasticam doctrinam pertinent: potest enim Concilium secundũ loci, & temporis exigentiam, quædam talia ad vtilitatem immutare; sicut antiquitus, cũ Sacrum in Ecclesia perageretur, totus Populus, qui ibi aderat, respondebat, *Amen, & cũ Spiritu tuo &c.* ad euitandum deinde turpem plebis strepitum in Ecclesia, statutum est, vt vel arte psallendi periti in organis, vel cymbalis, aut vnus tantum Amen, & cum Spiritu tuo, respondeat. Eucharistiam item in manus tradi consuetum erat, & domum asseruandam deferri: procedente verò tempore, ad euitanda multa incommoda, & nè etiam Paruulis detur, hoc interdictum fuit. Ergo Augustinus per ly *emendari*, vim inconcussæ veritatis à Concilijs à Papa confirmatis minimè abstulit, Sed

454 Contra, replicat Caluinus; *Hoc*, inquit, *verum esse si Concilium ex verbo Dei de fide definiat*, nõ autem ex sola auctoritate Papæ, ergo &c.

455 Respondetur. Ex relatis Caluini verbis, Papæ auctoritatis infallibilitatem manifestè deduci, eo quod vniuersæ fidei definitiones, quæ à Concilijs emanant, non nisi ex Dei verbo vim, atque efficaciam adipiscũtur; quo fit, vt iure optimo Verbi Dei appellationem illæ sibi vendicent: nam ex Dei verbo citra controuersiam est, quod Nicenum Concilium contra Arium consubstantialitatẽ Filij definierit; Dei Verbum etiam credendum est quidquid in Constantinopolitano Concilio de Spiritus Sancti Diuinitate, contra Macedonium determinatum est; Demum quot quot fidei definitiones à Cõcilio haustæ sunt, omnes ex Dei verbo petitæ sunt: atque inde adeò diuini verbi nũcupatione cohonestatæ, vt nefas sit de his haud secus, quam de Diuino verbo dubitare. Neque fas vmquam fuit, aliquid præter Dei Verbum de fide definire, cum fidei obiectum, sit ipsa diuina Veritas, hominibus reuelata. Ex verbis igitur Caluini infallibilitas auctoritatis Papæ in confirmatione Concilij, clarè, ac tutè desumitur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VLTIMVM.

Monstrum haereticorum deliramentum, quo sentiunt Papã non posse legitimè super omni iure positiuo dispensare, aut Christifidelibus indulgẽtias elargiri, siue Sanctos canonizare, & Regularium Ordines stabilire, arridetur.

456 QVod ad primum attinet, ita arguunt insulsè. Zosimus Papa statuit, non posse Romanum Pontificẽ contra Patrum statuta aliquid definire. Ergo neque ipse potest super omni iure positiuo dispensare.

457 Respondetur, distinguendo antecedens. Non potest Romanus Pontifex contra Patrum statuta aliquid definire, in his, quæ fidei sunt, & iuris diuini, concedo; in reliquis nego. Ergo neque potest super iure positiuo dispensare, nego consequẽtiam. Etenim in hoc consistit id, quod Vulgus claramitat, nempe, *Papam omnia posse*. Et ideo inquit Resolutus Bachonius. (a) *potest etiã in omnibus votis dispensare, seclusis illis tamen, necessarijs obseruationi præceptorũ Dei: at pariter in omnibus iuramẽtis, rationabili tamen existente causa.* dist. 25. qu. 14. art. 6. Sed.

458 Contra, subiungit (b) Vuitclephus; Vel opera dispensationis sunt vtilia, vel nociua. Si vtilia, tunc sũt prius rationabilia apud Deum, & per consequens sine dispensatione, & periculo facta bilia. Si autem sunt nociua, tunc non sunt per fucum licentiæ faciẽda. Ergo vel est inutilis dispensatio, vel Papa nequit super iure positiuo dispensare.

459 Respõdetur ex D. Bernardo ad Eugenium Papam, ita scribẽte. (c) *Quid inquis? probibes dispensare? non, sed dissipare. Nõ sum tã rudis, vt ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationem, non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, vt fidelis*

(a) 4. dist. 3. q. 5. art. 3. (b) Lib. de Christo, & Antichristo c. vlt.
(c) Lib. 3.

Digitized by Google

quis inueniatur: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est: vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est; vtilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil est horum, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Nonnulla tamen Monasteria, quæ specialius pertinuerũt ab ipsa sua fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum, benè adiudicari postulauerunt. Quis nesciat? Sed aliud est, quod largitur deuotio, aliud quod molitur ambitio, impatiens subiectionis. Ecce quod Bernardus respondit ad omnia. *Non sum tam rudis*, inquit, *vt vos ignorẽ posse dispẽsatores.* Nõ cuiuscumque est intelligere sit ne vtilis, an nociua dispensatio, nec nè? sed tantum ministeriorum Dei Dispensatorũ. Nec illis sublata est omnis dispensationis facultas, vt vult Vuiclephus, quia sic nulla dispensatio eis credita esset; sed vbi communis vtilitas, atque necessitas poscit. Et nè nimis obstrueret aditum, tum voluntatem Fundatorum, tum id, quod deuotio largitur, prædictum necessarium, vel vtile interponit. Excludit solum id, quod ambitio subiectionis impatiens molitur, & meritò omne tale priuilegium est obiectum, quia inutilem puto eius fructum. Habet igitur Papa potestatem dispensandi, & non solum hanc, sed etiam habet

460 Auctoritatem, Indulgentias omnibus fidelibus Christi impertiendi, vt in prima parte Theologica huius libri, satis probatum est: nihilominus.

461 Contra. Auctoritas concedendi Indulgentias non est Papæ propria, sed illi potius à Concilio impertita. Ergo Pontifex non potest per se concedere Christi fidelibus indulgentias. *Antecedens probatur*, quia Concilium numerum Indulgentiarum taxauit; sicut ordinatum est *in cap. de penitẽt. & remiss.* quinimmo *in cap. vlt. eodem tit. in 6.* præcipitur, ne alius præter Papam plurium dierũ indulgentias conferat, quam quadraginta. Ergo talem potestatem, tam Papæ, quam Episcopis Concilium tribuit.

462 Respondetur, negãdo

Digitized by Google

do antecedens; ad cuius probationem dicimus, Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum in decreto continuationis sessionis 25. *de Indul.* lato die 4. Kalendis, palam cunctis fateri, *potestatem conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessam, ac diuinitus traditam fuisse.* Numerum vero Indulgentiarum cum ad Hierarchiã Ecclesiæ ostendẽdam, vti scribit Rolandus Bechonius, quia (a) *Sicut Papa habet potestatem à solo Deo, cæteri verò ab ipso habent;* (b) tum etiam asserit, ad coercẽdam quorumdam imprudentiam taxatum esse; ex hoc enim non sequitur, potestatem concedendi indulgentias non esse Papæ propriam, vtpote à Deo cõcessã: immò proprijssimam; vt contra Lutherũ noster Verratus acerrimè scribit sequentibus verbis. (c) *Indulgẽtia est pœnæ relaxatio, quã iustè pro culpis proprijs quis perpeti debuisset, de Thesauro Ecclesiæ, ad Diuinã Iustitiã persoluẽdam desũpta. Eius autem Causæ quatuor sunt, efficiens, materialis, formalis, & finalis. Causa efficiens est Deus, qui quoties alicui fideli remittit culpam, & pœnam, vt Latroni in Cruce, toties ei Indulgentiã elargitur . . . . Causa verò materialis, sunt Christi Opera, quæ simul erant meritoria, & satisfactoria; meruit siquidem sibi, & nobis: Sibi quippe per passionis humilitatem, meruit resurrectionis gloriam, & c. nobis verò, quia pro nostris peccatis satisfecit, vt ad Ephes. 5. ait:* Christus tradidit semetipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo in odorẽ suauitatis. *Petrus insuper 1. cap. 2. ait:* Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. *Et Ioannes.* Ipse est propitiatio pro peccatis nostris &c. *Forma Indulgentiarũ, est intentio Summi Pontificis, vel alterius . . Papa namq; habet Thesauri Ecclesiæ Claues, ideò, quibus vult, remittit peccatorum pœnas per Indulgentiarum elargitionem, non sua simplici potestate, sed meritorum Christi, aliorumq; Sanctorum virtute; quare interdum dat plenariam Indulgentiam, nonnunquam verò remittit tantum*

(a) 4. *dist.* 24. *q.* 1. *ar.* 2. (b) *ar.* 3. (c) *Disp.* 14 *fol.* 232. & *seqq.*

Digitized by Google

tertiam partem, aliquando autẽ maiorem, vel minorẽ partem, prout sibi placet. Indulgentiarum igitur forma est ipsius dãtis intentio, vel forma Bullæ; unde diligenter attendendus est tenor earum. Finis demum Indulgentiarum, est pro culpis pœnarũ remissio in toto, vel in parte; ad hoc .n. ordinatur omnis Indulgentia, nẽpè ad remissionẽ totalem, vel partialẽ; pro qua si quis non satisfacit in præsenti vita per pœnitẽtiã, & opera bona in gratia operata, vel per Indulgentiarũ suffragationem, necesse est illam in Purgatorio pati. Aduertendum tamen est, quod communiter de Indulgentijs plenarijs solet fieri quædam indiscreta, & falsa locutio, scilicet de culpa, & pœna: Huiusmodi enim locutio propriè non est vera, quia culpæ solus Deus est remissor propria auctoritate, iuxta illud Isaiæ cap. 45. Ego solus deleo iniquitates tuas propter memetipsum. Ergo ipse solus remittit culpam; ideò falsè dicũtur Indulgentiæ de culpa, & pœna, cum omnis Indulgentia, quæ tantum est remissio pœnæ, præexigat remissionẽ culpæ per eandis contritionem ac oris confessionem. Potest tamen sic salvari dicta locutio, vt remissio culpæ referatur ad contritionẽ, & confessionem, quæ ante exigitur ad consequendam Indulgentiam; Remissio verò pœnæ referatur ad effectum Indulgentiæ. Hactenus Verratus, nostra de Indulgentia; pro cuius veritate, & firmitate multa miracula Deus patrauit, de quibus nos hic aliqua referemus.

463 Scribit (a) P. Zaccharias Boverius, quod cum quidam Peregrini ex Marchia Anconitana ad Ecclesiam Sãctæ Mariæ Angelorum ob consequendas indulgentias Assisium pergerent; Iuuenis quidam indulgentiam irridens, eis dixit: *tam vera est Indulgẽtia ista, quam verum est Hirundinem illam per aerem volantem, à me nunc manibus gestari.* Quid tunc? hirundo statim in manibus eius euolauit, quo miraculo Adolescens ab errore reuocatus est, & Peregrini in Indulgentiæ fide magis solidati. Item & hoc aliud nar-

(a) Lib. 3. de mir. ac. Rom. Relig.

narrat; nempe, quod mulier quædam à Dęmone obsessa, numquam ab eo liberari potuit, nisi in die supradictæ Indulgentiæ; etenim vix Ecclesiæ limen ingressa, statim à Dęmonis obsidione liberata fuit; sed hęc indulgentiæ concessæ fuerunt à Papa, ergo &c.

464 Contra. Clauium potestas vlterius non patet, nisi ad eos, qui sunt de foro Ecclesiæ, non autem ad eos, qui sunt de foro Dei. Sed mortui sunt de foro Dei, & non Ecclesiæ, & Papa indulgentiam eis concedit. Ergo Papa in indulgentijs elargiendis, præter illam potestatem, quã sibi vendicat, nullam aliam habet.

465 Respondetur cum Resolutissimo Doctore (a) *Bachonio*, omnimodam Christum potestatem super terram Petro fuisse elargitum per illa verba. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in Cælo.* Sed qui degit in Purgatorio, non dicitur in Cęlis degere; ergo sub claue Petri, quæ soluit in terris, censetur. Sed in Purgatorio non soluit, nisi ab eiusdem pęnis; ergo præuia indulgentia. Probatur hoc à D. Gregorio, ita scribẽte. *Veritas dicit, qui peccauerit in Spiritum Sanctum, nõ remittetur ei hic, nec in futuro, Matth. cap. 12. ergo datur intelligi per hoc, esse quasdam culpas, quæ in hoc Seculo possint relaxari, & quasdam in futuro, scilicet de quibus pœnitentia est assumpta: igitur cum generaliter dicit Veritas, quod quędã remittuntur in futuro, generaliter est illa remissio intelligenda per quascumque suffragia, sive sint orationes, sive indulgentiæ. Propter quod*, prosequitur Bachonius, *tenet Thomas, quod si indulgentia sub hac forma fiat; quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse, & Pater eius, vel quicumque alius ei adiũctus in Purgatorio detentus, tantum indulgentiæ habebit. de tali indulgentia, non solum viuo, sed etiã mortuo proderit.* Hactenus Resolutus Doctor. Fauet Bachonij sententiæ impijssimus Lutherus, ita apud Feuardẽtiũ in Theomach. Caluinist. tom. 2. fol. 6. col. 1. scribẽs. *firmiter credendum est.* Ego scio verum esse,

(a) *Ibid. Sup. q. 2. art. 2.*

Digitized by Google

esse, quod Anima (in Purgatorio) *ineffabilem panam patiũtur, & nos eas iuuare tenemur, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & quomodocũq; possumus.* Sequitur Lutherum Gifferdus Protestans, in demonstratione, quod Brouuinistæ Anglisint Donatistæ, ita pag. 38. inquiens. *Oblationem offerre pro Defunctis, generalis mos fuit in Ecclesia, longe ante ætatem Augustini, vt in Cypriano, & Tertulliano videre est.*

466 Contra. Petro generali Vicario super terram, & in Cælis, non verò sub terra absoluere permittitur, ex quo ostenditur solos viuentes absoluendi, nobis factam esse facultatem. Ergo Petri potestas minimè in Purgatorio locum habet; vtpotè quæ Cælum, & terram amplectitur, *dist. 22. c. omnes*, & nõ extenditur vsque Purgatorium.

467 Respondetur. Petrum constitutum esse à Christo Vicarium generalem absque vlla potestatis arctatione indefinitè super terram, & sub terra cum potestate illimitata, ei solum super totam terram, & continentiam eius concessa. Sed

468 Contra. Si ita esset, omnes Animas in Purgatorio detentas vnico ipsius Spiritu ad Cælos auolare Pontifex assequeretur; ex eo quia Christi passionis virtute, tantum valent Indulgentiæ, quantum sonant. Ergo &c.

469 Respondetur cum eodem (a) *Bachonio*, negando sequelam, & ratio est ista, quia ad hoc vt indulgentiæ in virtute passionis Christi tantum sonent, quantum valent, causa conueniens requiritur, nempe vtilitas, honor Dei, & Ecclesiæ, ac temperantia æquitatis. Istæ autem Causæ, & cæteræ aliæ non saluarentur in tanta prodigalitate vnius flati, qua omnes Animæ absoluerentur; quia Christi commissio intelligenda est fieri, secundum virtutem; non esset autem secundum virtutem, si per ly *quodcumq; solueris super terrã*, remissio pœnę pro peccato quo ad minimũ gradum pœnæ nõ intelligeretur, quia hęc esset parcitas. Sic, nec si per illã vnico flatu fieret totalis remissio,

(a) *Super articulo. 2.*

Digitized by Google

sio, quia hæc esset prodigalitas. ita Bachonius.

470 Summum ergò ius ex Deo Romanus pontifex habet, Indulgentijs, tum in vitam, tum post mortem in Purgatorio, cõtra Lutherum, Christi fidelibus propitius esse; alias, inquit noster Veratus, (a) *Si nõ daretur Purgatorium sequeretur, quod Deus quoties remittit culpam, remitteret etiam & pœnam. Consequens est falsum, quia Diuinæ scripturæ repugnat, ac veritati dissonat. Ergo & antecedens. Consequentia verò probatur, quoniã multi fideles peccatores perseuerãt in peccatis vsqiin finẽ vitæ, nullã de ipsis pœnitentiã agẽtes: in quo tñ fine dolẽt de peccatis, maximaq; cõtritione ea cõfitentur Sacerdoti, & illicò moriuntur; liquet enim, quòd illi non damnantur, cum habeant fidem, & contritionem; Ergo saluantur; & cum nullum detur Purgatorium, in quo pœna patitur pro peccatis, sequitur, Deum, remittendo eis culpam, de necessitate remittere etiam pœnam. At falsitas cõsequentis ostenditur de Dauide, qui post commissum adulteriũ, & homicidium, cum eum acerbissimè Nathan Propheta reprehenderet, dixit.* Peccaui Domino. *Dixitque Nathan ad Dauidem*; Dominus quoque transtulit peccatum tuũ, non morieris; *verumtamen filius; qui natus est tibi, morte morietur. Et alibi:* Non auferetur gladius de domo tua. *Ecce, quod Deus remittit Dauid culpam, non autem pœnam; etenim pro huiusmodi adulterio, & homicidio, multa passus est Dauid mala. Præterea Apostolus ad Philipp. inquit:* In Nomine Iesu omne genu flectatur, Cælestium, Terrestrium, & Infernorum; *Liquet autem, Cœlestes pariter, & Terrestres Creaturas simul laudare Deum, quæ autem sint illa Infernales, certum est non esse damnatas in Inferno existentes, quia ipsa Deum blasphemant potius, quam laudant; Ergo existentes in Purgatorio. Nulla enim Creaturæ sub terra valent genuflectere nomini Iesu, nisi huiusmodi. Fauet huic sententiæ illud Io: in Apocalip.* Nemo poterat, neq; in Cœlo, ne-

(a) Disp. 13. fol. 229.

neque in Terra, neque sub Terra aperire librum, neque respicere illum. *Et paulò post:* Audi omnem creaturam, quæ in Cælo est, & super terram, & sub Terra dicentes: *Benedictio, honor, gloria, & potestas, &c. Ergo &c.* Habet etiã Romanus Pontifex ex Christi institutione Sanctos canonizare, sicut ipsemet Christus se, & Apostolos suos apud Patrem canonizauit, & Sanctificauit in terris. (a) *Pro eis* inquit, *quos dedisti mihi, Sanctifico meipsum, vt sint & ipsi Sanctificati in veritate.* Ego, subdit, *Claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis, vt sint vnus, sicut & nos vnum sumus, & vt cognoscat mundus, quia tu me misisti, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Pater iuste, mundus te nõ cognouit. Ego autem te cognoui; & hi cognouerunt, quia tu me misisti, & notum feci eis nomen, & notum faciam.* Christo autẽ in Cœlos assumpto, post missũ Paraclytum, Petrus Christi Vicarius, Christum ipsum canonizando, ea ipsa auctoritate functus est, ita decernẽs. (b) *Viri Israelitæ, Deus Abrahæ, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus Patrum vestrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidẽ tradidistis, & negastis: Hunc Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus.* Quod itidem à Petro in alios Sãctos, & Amicos Dei, eius legitimi Successores Põtifices Romani fecerunt.

471 Contra, inquit perfidus Vuiclephus (c) *Videtur multis, quod curiosa canonizans Sanctos, blasphemiæ præsumit crimen; cum subducta reuelatione, tam planè ignorat, sicut Ioannes Presbyter, vel Soldanus: & certum est, quòd testium depositio quãtum ad propositum, nihil probat cum supposita veritatis notitia canonizandi, ac detecta Papa fideliter sine mendacio, quod raro, vel numquam euenit. Adhuc de Episcopo quãtum ad propositum nihil probat cũ supposita veritate, quia sententia alterius Iudicis sententiantis secundũ allegata, & approbata; qui Iudex foret mũdo magis authenticus, tantum probaret, sicut Papæ sententia*

in

(a) *Ioan. c. 17.* (b) *Act. Apost. c. 3.* (c) *Lib. de virtut. c. 30. trialog.*

Digitized by Google

in hac parte: tamen etiam, quia horum deponentium testimoniũ probat ad maximum, quod dati Sancti conuersatio fuit talis: & cum hoc stat, quod vsque ad mortem fuit hypocrita, & præscitus. Quæ ergo præsumptio super allegata, & probata confirmare, & canonizare potest, quod talis in Patria sit Beatus?

472 Respondetur cum *Vualdẽse*: Vuitclephum, Papę auctoritatem non doctrinis, sed blasphemijs impetire, ipsisq; omnibus deinde aperte delirare. Etenim primum dicit, *reuelationem in processu esse subductam*, quando certum est, quod totius processus sollicitudo est, vt reuelatio tam diuinitus per iuges preces, & ieiunia, quam humanitus per testes habeatur. Secundum, *Testium*, inquit, *depositio ad propositum nihil probat*. Sed quomodo nihil probat? *quia Sententia alterius Iudicis tantum probat, quantum illa* Papę. Dicatur quod eius ratio nihil proficit, eo quod tantum proficit euidentia alterius arguentis, quam ipsius. Quisnam in re tãti ponderis, & tam robustę auctoritatis in Ecclesia Christi, has imprudentis hominis argutias nõ rideret? Tertium, *tale testimonium deponentium probat ad maximum, quod dati Sancti cõuersatio fuit talis, & cum hoc stat, quod vsque ad mortem fuit hypocrita, & præscitus*. Falleris certò in hoc Vuitcleph, cum Christus Dominus te reddat mendacẽ, ipse enim ad probandum Virum gentilem dignum se præstare *Apostolis* suis, vnum Ethnicorum testimonium efficax esse decreuit; & tu quomodo dicis, probatissimum fidelium testimonium, pro sanctis inferioribus, nihil probare? (a) *In quamcunque Ciuitatem*, ait Saluator Apostolis suis, *aut Castellum intraueritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete*. Hieronymus in Commentario ad Epistolã primam Timothei, ait. (b) *Super ordinatione Episcopi, & Diaconi Paulus loquitur: oportet autem, & testimonium eos habere bonum ab his, qui foris sunt. Ipsi verò nouam introcuntes vrbem, scire non poterant, quis,*

(a) *Matth.c.*10. (b) *Tom.*9. *epist.*1. *c.*3.

Digitized by Google

quis, qualis esset? ergo fama hospes eligendus est populi, & iudicio vicinorum, ne prædicationis dignitas Suscipientis infamia deturpetur. Qualiter Apostolorum hospes fama Populi, & iudicio vicinorum infidelium Paganorum eligendus est? Si in proposito nihil probet his maximè, qui introeuntes Ciuitatem, scire non poterant quis qualis esset, plusquam Presbyter Ioannes, vel Soldanus? Sed in hoc ipso noueris legem illam veterem Naturæ, *quod in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum*, Christum approbasse: hoc apud ōnes homines iussu Christi Episcopos, leuitas, Apostolorum hospes, Ciues Sanctorum, & domesticos Dei probat, licet Pagani bona fide penes Iudicem Ecclesiasticum, etiam hoc deponant: quia hoc omninò requirebatur in ordinandis Ministris, & hospitibus eligendis, Christo dicente Apostolis: *Interrogate vos, quis in ea dignus sit.* Secundū hoc Christi præceptum, & fidei scientiam, id Dei iudicio Papa iudicat, quis Sanctus sit. Testes, non nisi fide dignissimi sub diligenti examinatione, limatas, & bene purgatas veritates exponunt. Accusatores audiuntur, si sint defensores etiam auscultantur; quid amplius Vuitclephus cupit, vt Iudex in differendo iudicium sciat, si iudiciū hoc Dei esse, ita Origenes approbat? (a) *Rectum iudicium esse Dei quis dubitet, vbi accusatores, & defensores adhibentur, & testes? & quidem de iusto hoc Dei iudicio nos homines capiamus exemplum, nec putemus vmquam sine accusante, & defendente, & testibus, iustū haberi iudicium.* Si hoc negat, in Arianorum perfidiam incidit, quam in toto processu Sanctorum Gerualij, & Prothasij, Ambrosius damnat. (b) *Videns miracula*, inquit, *testes audiunt, gesta considerant, & adhuc inuidia crepitās cor eorum, magis eligit Dei opera tribuere Beelzebub, quam conuenire cum Sanctis.* Si autem Vuitclephus catholicus, & filius pacis Ecclesiæ esset, minime præscitos supponeret, quos Ecclesia catholica canonizat,

(a) *Tom. 2. l. b. 2. in expos. epist. ad Rom.* (b) *Tom. 3. tract. 3. de eisdem.*

Digitized by Google

nizat, multo minus blateraret, *Quæ ergo præsumptio super allegata & probata, & cõfirmata canonizare, quod talis in Patria sit Beatus?* Præsumptio namque respondeo, bonæ fidei, si cætera sint allegata, & probata: quia mendosa allegari non possunt, etiam quãuis homini seducto probata credantur. cum *nihil occultum, quod non scietur, & inultum, quod non reuelabitur*; & maxime in rebus fidei, in quibus Spiritus Sanctus, ne fideles cũ suo Pastore errent, assistit. Per testium ergo depositionem fieri debet Sanctorum Canonizatio, cum ita Christus ostenderit, *pro eis quos dedisti mihi, Sanctifico meipsum.* Ita Petrus testauerit. (a) *Deus suscitauit illum à mortuis, cuius nos testes sumus.* ita Paulus docuerit: (b) *Deus suscitauit eum à mortuis tertia die, qui visus est his, qui simul ascenderunt cum eo de Galilea in Hierusalem, qui vsque nunc sunt testes ad plebem.* Ipsi enim, qui eum, vel facta eius agnouerunt, debent de eius vita testimonium deferre, sicut de Christo Apostoli deposuerũt (c) *Iesum Nazarenum, Virum Prophetam, potentem in opere, & sermone coram Deo, & omni Populo.* Item de Stephano: (d) *Elegerunt Stephanum plenum fide, & Spiritu Sancto, qui faciebat signa, & prodigia magna in populo* (e) Item de Thabita, *quod fuerit eleemosinis, & bonis operibus plena.* Et nota, quod mortua ipsa Dorcas, nullus Apostolorum quæritur, vt bene digna in Ecclesia Sãctorum consortio haberetur, nisi solus Petrus à Ioppe; quia Sanctorum canonizatio ad alios de pleno iure, nisi ad solum Romanum Pontificem, legitimum, & verum Petri Apostoli Successorem, non pertinet.

473 Contra addit Caluinus. Si Canonizatio Sanctorum ad Romanum Pontificem partineret, eius prisci Antecessores, vtique Sanctos, præsertim martyres tunc canonizassẽt, in quorum testimonio iam nũc Imagines eorum extarent, (f) *Sed Martyrum tem-*

(a) *Act. Apostol. c.* 3. (b) *Ibid. c.* 13. (c) *Luc. c.* 24. (d) *Ibid. c.* 6. (e) *Ibid. c.* 9. (f) *Lib.* 1. *instit. c.* 11. *s.* 16.

Digitized by Google

pore nullæ *Imagines erant.* Ergo neque nulla Canonizatio Sanctorum, & per consequens ipsa non videtur ad Pontificem Romanum pertinere.

474 Respondetur, negando minorem, & ratio negationis est, quia ipsa minor, rotundum *Caluini* mendacium amplectitur. Tẽpus enim persecutionis, & martyrum ad Sancti Syluestri Papæ, & Magni Constantini Imperatoris tempora, quibus pacem tandem Ecclesia adepta est, perdurauit: intra quod tempus Concilium Elibertinum, siue Eliberitanum Hispaniæ sub Marcello I. anno 305. sicut ipsemet Caluinus supradicto *lib.* 1. *institut.* §. *tamen* 6 contestatur, celebratum fuit. Et in ipso Concilio *cap.* 36. ne picturæ in Ecclesia fiant, his verbis statuitur. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere: Nec quod colitur, aut adoratur, in parietibus dipingatur.* Ergo Sanctorum imagines in Ecclesijs ante id tempus extabant, quia si non erant, cur prohibebantur? & tãto magis ibi erant, quanto in eorũ honorem talis prohibitio facta fuit; quia vt optimè scribit Conciuis meus Pater Coriolanus. (a) *tempore huius Concilij adhuc Gentilium in Christianorum Ecclesias persecutio ingrueret, siquidem Elibertinũ hoc Concilium in Hispania ante Nicenum* 1. *Concilium celebratum est ab Episcopis illius Regionis, quamobrem ne Sanctorum Imagines, quæ in parietibus depicta à persecutoribus inuenta essent, & contumelia afficerentur, ibi decretum fuit, ne quod adoratur, in parietibus depingeretur, ne Gentilibus ludibrio fierent. Sed tantum in tabulis, quæ asportari, & in tutiorem locũ reponi possunt, effigerentur.* Huic veritati Eusebius Cæsariensis adstipulatur, referens sua tempestate plures Imagines, nempè, Iesu Christi, & Apostolorum conspexisse. (b) *Astat verò aliæ are nihilominus fusa statuæ. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu formatam tradebant, quæ permansit ad nostra vsque tempora; sicut ipsi oculis nostris inspeximus.*

Et

(a) *Vide Concil. Concil. Elibert. in annot. ad c.* 36. (b) *Histor. Ec. lib* 7. *c.* 14.

Digitized by Google

Et nihil mirum si ij, qui ex Gentibus crediderant pro beneficijs, quæ à Saluatore fuerãt cõsecuti: huiusmodi velut munus videbãtur offerre; cum videamus etiam nunc, & Apostolorum Petri, & Pauli; & ipsius Saluatoris Imagines designari, tabulisque depingi. Sed & antiquas ipsorum Imagines à quibusdam conseruatas nos vidimus. Quod mihi videtur ex Gentili consuetudine indifferenter obseruatum: quod ita soleant honorare, quos honore dignos dixerint. Insignia enim veterum reseruari ad posterorum memoriam: Illorum honoris, horum vero amoris indicium est. Igitur Martyrum tempore erant in Ecclesijs eorum imagines, immò non solum imagines, sed & eorum festiuitates, & inuocatio à fidelibus colebantur. Testes per primum, Cẽturiatores, Athanasium pro eorum auctoritate citantes, adhibeo. (a) *Martyrum festiuitates*, inquiunt, *in omnibus Ecclesijs solemnes fuisse videntur. Sic Inuentio, & Maximiano pro certamine de Veritate, pretiosa monumẽta Antiochena statuit; eorumque memoriam annuis festis resoluit; vt Theodoretus indicat; Basilius reprehendit quosdam, qui in Martyrum festiuitatibus, negotiationes exercebant.* Per secundum verò Actionem vndecimam Concilij Chalcedonensis, Sanctos inuocandos esse, vt pro nobis orẽt, decernentem, sic refero. *Flauiano eterna memoria, ecce vultio, eece veritas. Flauianus post mortem viuit. Martyr pro nobis oret.* Quã veritatem noster Verratus contra Lutherum sic profitetur. (b) *Habes igitur ex his, doctissime lector, hanc infallibilem veritatem quod Sancti orant pro nobis in Cælis, & quibus modis nostras agnoscunt deprecationes contra falsa Lutheranorum dicta; quæ quidem veritas, licet sit quodammodo infinitis Scripturarum testimonijs sufficienter roborata; possunt tamen ad maiorem eius confirmationem, dicta Sanctorum Patrum in medium adduci.* Ait Hieronymus contra Vigilantium: Apostolus, & Martyres post Coronas orare pro-

no-

(a) *Centur. 4. colon. 451.* (b) *Disp. 4 fol. 105. & 106.*

Digitized by Google

nobis, &c. *Bernardus verò in sermone de vigilijs Apostolorũ Petri, & Pauli, &c. Præterea Augustinus multa miracula recitat, inter quæ, & mortuorũ resurrectionem commemorat, quæ Martyrum intercessione à Domino sunt exhibita. Vnde manifestum est, quod temeraria sit Lutheranorum hæresis, qui honorem Gloriosæ Virgini, omnibusq; Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Virginibusque debitum Electis, tollere conantur.* Sed in Ecclesia, Sanctorũ Imagines depingi, eorum festiuitates colere, & à fidelibus inuocari, vera sunt, & certa Canonizationis argumenta, quæ, & si olim Episcoporum partes erant, ex tacito tamen Ecclesiæ Romanæ consensu fiebat, vt scribunt Bellarminus *tom. 1. de Sanct. beatitud. part. 2. lib. 1. c. 8.* Laymanus *lib 4 tract. 7. cap. 5. nu. 1.* & Lezana consult. var. *consult. 2. de effic. Sãctor. Canoniz.* modò autẽ nec Episcopi, nec Legati à latere possunt Sãctos canonizare, vt refert Castellanus, *de canoniz. Sanctor. qu. 3. art. 1.* & Lezana *supra*, cũ tantummodo ad Romanum Pontificem spectare decernat. *cap. audiuimus, & cap. ex eo de reliquijs, & veneras. Sanctor.*

475 Immo, & Regularium Ordines etiam stabilire. Sed...

476 Contra. Ex supra allatis iterum insurgit(a) *Vuitclephus. Eadem est consideratio,* inquit, *de fictitia clauium Antechristi* (ideſt Papæ, vt cap. 6. vidimus) *nam fundationi eorũ, non oportet fidelem insistere.* Ergo Papa confirmandi Regularium Ordines, nullam habet veram auctoritatem.

477 Respondetur. Mendacijs assueto, fidem adhibere, non exigui operis est, quapropter animo nequaquam fallaci oportet omnino clauium hærere fundationi, nec hæreticorum maledictis terreri. Primum, quia ipsa maledicta hæreticorum à Domino Deo, omninò punienda erunt; sicut Græcum illum in Papam, & Cardinales insanientem, acriter puniuit. (cuius casum Ioannes Camerson Minorita in vita S. Petri Thomæ *cap. 6. sic re-*

(a) *In trialog. c. 32.*

Digitized by Google

ferf. Missus Sanctus Petrus Thomas Episcopus Carmelita à *Papa* ad Michaelem *Palæologum* Græcorum Imperatorem Apostolicus legatus, *eundem, & Principes suos de articulis fidei, veraciter informauit, & ad virtutem, & obedientiam Romanæ Ecclesiæ reuocauit ipsum Imperatorem, & aliquos alios in fide catholica confirmando. Vbi mirabile accidit non tacendum, dum enim quodã die cum ipso Imperatore, & alijs de dignitate, & sufficientia D.N. Papæ, & DD. Cardinalium authẽticè loqueretur, & filij Dei veri Catholici cerã ipso legato, & Imperatore adstarent,* adfuit etiam inter eos Satan, *quidam videlicet nobilis Magnus Græcus, qui in verba blasphemiæ ponens in Cœlum os suum, cum multa iocosè prorupit de D. N. Papa, & alijs DD. Cardinalibus aliqua minus honesta, quæ vt dicebat in Romana Curia viderat, ore blasphemo dicẽs: quod vii audisset Nuntius Apostolicus Petrus Thomas tunc Pactensis, & Liparensis Episcopus, non potuit vltra pati: sed D. Papam, & alios Dominos, in virtute Spiritus excusauit: recitans plura bona, quæ per Prælatos Ecclesiæ fiunt semper, sicut de diuino officio celebrando, de iustitia, & iudicio obtinẽdo, de eleemosyna, & de beneficio pauperibus erogando, & de similibus virtutibus, quas DD. Cardinales publicè operãtur: inducens per hoc ad reuerentiam Ecclesiæ audiẽtes, prædixit prophetico spiritu contra dictum militem blasphemãtẽ, vltionem diuinam in proximo futuram: mirabile dictu; Statim nocte sequente dictum blasphemum militem dolor arripuit visceralis, qui ipsum interius crucians & exterius intumescens, vsque in crastinum languere permisit ac eodem die miserabiliter interemit, nõ sine admiratione concurrentium populorum, qui ad spectaculum venerant, ad videndum diuinum iudicium, in milite blasphemãte doloribus subito extincto; propter quod de secta Græcorum ipse nobiles, qui conuersi sunt, & venientes ad Curiam, fecerunt se secundum ritum Romanæ Ecclesiæ confirmari.* Hęc Carmelitã Monumenta: Plura tamẽ in lib. cui titulus, (a) *aduersus Hæreticos impetentes* Ro-

(a) *Spec. Carmel. tom. 2. p. 5. num. 3820.*

Digitized by Google

Romanum Pontificem, & Ecclesiæ Præsules ab Adm. R. P. Magistro *Thoma Beauxamis* Carmelita Gallicè compositò, & Parisijs typis excussò, reperiet Lector) Secundum, quia super illa Iesu Christi Saluatoris verba, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*; Cyrillus noster, apud D. Thomam in Catena aurea, sic ait. *Secundum hanc promissionem Ecclesia Apostolica Petri, ab omni seductione, & hæretica circumventione manet immaculata.* Cui ita arridet Augustinus. *Semper frustra circumlatrantibus Hæreticis, culmen auctoritatis Romana sedes obtinuit.* Idcircò eius Pontificis auctoritas Vuitclephi maledictis nō minuitur, quin perpetua potius Successione, in æternum manebit sicut Caluinus testatur. (a) *Iam alterum illis largiar*, inquit, *fit constitutum in Petro Primatum, vt perpetua Successione semper maneret.* Cui etiam Lutherus sic in resolutionibus de indulgentijs adstipulatur. *Auctoritati Populi in omnibus cum reverentia cedendum est. In Comitijs generalibus protestatus sum me colere, & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, præsentibus, & futuris.* Quomodo igitur Clauium potestas ex Vuitclepho commentitia est? aut cur earum fundationi minimè insistere debet fidelis, si ab illorum veritate, & inconcussa firmitate, non modò stant Catholici; verum & infensissimi, Lutherus, & Caluinus Ecclesiæ Romanæ perduelles? Doceat doceat hoc clarius, & præuijs auctoritatibus Vuitclephus, & non mediantibus blasphemijs: Doctrinam, Scriptorumque sententias ab ipso exposcimus, & non in argumentum suæ desperationis (eo quod Episcopatum Reijgorienſis Ecclesiæ, obtinere non potuit.) tot cōtra Clerum, & Papam impiè prolata scommata, efformatos sarcasmos, & blaterata deliramenta. Sed

478 Cōtra repetit Vuitclephus, nam petitam doctri-

nam

(a) *Lib. 4. Instit. c. 6. §. 11.*

Digitized by Google

nam sic exhibeam. (a) *Claues ipsæ non sunt potestatis spiritualis, quia hæc potestas connexit Agno, sed sunt scientiæ ad iudicandum de rebus conformiter voluntati diuinæ, secundum iudicium legis Dei.* Ergo fictitia est auctoritas ipsorum malè per Catholicos interpretata.

479 Respondetur cum Resoluutissimo Bachonio, negando suppositum, & falsitatem Vuitclephi explanationem, & ratio negationis est; (b) *Quia post promissionem clauium, Saluator subiunxit: quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcũque solueris super terram, erit solutum & in Cœlis. Sed hæc de scientia nulla facta est mentio:* Ergo nulla de fictitia Clauium potestate ab Vuitclepho affertur doctrina. Ergo clauium potestas ab ipso, & non à Catholicis, malè, insulsè, & perperam interpretatur, quod non sit specialiter Sacerdotibus delata ad delenda peccata hominum, quod propriũ est Agni. Quod porrò Nouatianorum figmentum est, contra quod Ambrosius, sic inclamat. (c) *Cur baptizatis; si per hominem peccata dimitti non licet? In Baptismo vtique remissio peccatorum omnium est. Quid interest vtrum per pœnitentiam, an per lauacrum hoc ius sibi datum Sacerdotes vendicent? Vnum in vtroque Ministerium est, sed dicis, quia in lauacro, operatur ministeriorum gratia. Quid in pœnitentia? Nonnè Dei Nomen operatur? quid ergo? vbi vultis, vendicatis vobis Dei gratiam, vbi nõ vultis repudiatis. Sed hoc insolentis arrogantiæ, non Sancti timoris est, vt fastidio vobis sint, qui volunt agere pœnitentiam, perpeti videlicet fletus: lachrymas non potestis audire, non ferunt oculi vestri vestimentorum maculas, illuuiem sordidatorum superbo oculo, & tumido corde delicati, indignãti voce dicentes, noli me tangere, quia mundus sum.* Consequentia fidei, inquit Vualdẽsis, contra Nouatianos arguit Ambrosium. (d) *Si per Hominem in baptismo peccatum po-*

Qqq test

(a) *Ibid sup. in trial.* (b) *Lib. 3 quodlib. q. 17. art. 1.* (c) *Tom. 1. lib. 1. de pœnit. post. medium.* (d) *Tom. 2. de Sacra. pœnit. c. 145. n. 2.*

Digitized by Google

est remitti; ergo & per Hominem in foro pœnitentiæ. Primum non negabant perfidi Novatiani: & quid interest sit Ambrosius, vtrum per baptismum, an per pœnitentiam hoc ius sibi datum vendicent Sacerdotes? ex hac fide Patris Ambrosij, ius dimittendi peccata in vtroque Sacramento datum sibi à Domino vendicant Sacerdotes.

480 At Vuitclephus, vt omnem Pontificis potestatem euertat, dictæ veritatis lucem fœda caligine obnubilare cupit, fidelium aures fascinando, ne credant verum esse, quod audiunt, & à mille annis, ab ipsis Apostolis audierunt, videlicet Claues nõ esse potestatem Spiritualem, *(a) Sed scientiam, & potestatẽ Sacerdotis prædicãdi, & exempla virtutum præbendi fidelibus, vnde abserentur à vijs inferni, & aperiatur eis aditus Paradisi.* Et cum ista ordinatis Præsbyteris appropriata non sint, (quia vt docet supracitatus Resolutus Doctor Bathonius. (b) *claues conferũtur in collatione ordinis Sacerdotalis; constat autem, quod ordinato in Sacerdotem, scientia communiter non conferatur: igitur sola potestas:* tum quia ipsemet Vuitclephus turpiter asserit, quod etiam boni Laici, & fœminæ possunt sic aperire & claudere meatus fidelibus) vt veritatem effugere, & Papæ auctoritatem deturpare possit, in quodam tractatu de Clauibus inquit, quod *non fuit alia potestas ligandi, atque soluendi, quam à Domino acceperunt Apostoli, nisi quando prædicabant Populo fidẽ Christi, qui est Deus, & Saluator, dimittit eis peccata, qua fecerant. Nec aliquis Apostolorum accepit aliã potestatem super se ad dimittendum peccata Hominum, nisi isto modo, dicendo semper eis, quod Deus semper est dimissor peccati.*

481 Hæc autem via, respondit Vualdensis, nihil ab alia (c) differt; *Laici enim, imo pueri ludentes possent dicere quod per fidem Deus peccata remittit. Et numquid per hoc funguntur ipsi clauibus scientiæ & potestatis cum Apostolis? Omnia ista facit, vt clauibus Petri fraudet Ecclesiam, nè possit*

(a) Tr. de Papa c. 7. (b) Ibid. sup. (c) Ibid. sup.

Digitized by Google

sit per excommunicationem, vel absolutionem peccata hominum ligare, vel soluere, aut in priuata cõfessione hominum peccata remittere. Quod planè confitetur prędicto cap. 5. de Papa ita inquiens. Claues iste specificãtur ad excommunicationes, & absolutiones, Deus huius Seculi per fastum, & auaritiam cæcando simplices introduxit. *Nescio vtrũ in oculis huius Superbi, Ambrosius repetatur sic simplex, aut Seculi huius Deus, aut vtrum Augustinus, ipse enim plane dixit.* (a) Claues quippè Regni Cælorum sic Christus dedit Ecclesiæ, vt non solum diceret: Quę solueritis super terram, soluta erunt, & in Cęlis: vbi apertissimè bonum, & non malum pro malo reddit Ecclesia, verum & adiungeret, & quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in Cælo, quia bona est, & vindicãdi iustitia. Illud enim, quod ait: Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur. Nam ibi quoque subiungit, Amẽ dico vobis, quę ligaueritis in terra, erunt ligata & in Cœlis; vt intelligeretur quam grauius sit punitus, qui verò relictus est impunitus, sequitur: Ecce hominibus nõ reddentibus malum pro malo, alligatur Homo amarius, & infelicius Ecclesiæ clauibus, quam quibuslibet grauissimis, & durissimis ferreis, vel adamantinis nexibus. *Ecce Christus dixit, qua ligaueritis in terra, erunt ligata in Cælo quia bona est vindicandi iustitia, & hanc vocat grauissimam clauem omni nexu ferreo durierem, per quam sit Ecclesia sicut Ethnicus, & Publicanus, siue puniatur clauibus, siue per clauem relinquatur impunitus puta per sententiam. Ambrosius item ipse accedat, & auctoritatem, & quidditatem Clauium Ecclesiæ Christi sic nobis exponat.* Non habent Petri hæreditatem, qui fidem Petri non habent, quam impia diuisione disperguut. Sed hoc imprębè, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse: cum Petro dictum sit. *Tibi dabo claues Regni Cę-*

(a) *Tom. 6. lib. con. Aduers. legis, & Prophetar.*

Digitized by Google

lorum; & quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in Cœlo; & quecumque solueris super terram, erunt soluta & in Cœlo. Cum ipse vos Dominicę electionis dicat. Si autem (a) *cui quid donastis, & Ego. Nã & Ego quod donaui, propter vos in Persona Christi.* Cur igitur Paulum legunt, si cum tam impiè arbitrantur egrasse, vt ius sibi vendicaret Domini sui? Sed vendicauit acceptum, non vsurpauit indebitum. Vult Dominus plurimum posse discipulos suos. Vult à Seruis suis ea fieri in nomine suo, quæ ipse faciebat positus in terris. Denique ait, (b) *& maiora his facietis*, dedit vt mortuos ad vitam reuocarent. Et cum ipse Saulo visum videndi reddere posset, eum tamen ad Ananiã Discipulum suum misit, vt ipsius benedictione Saulo refunderentur oculi, quos amiserat. Petrum quoque secum in Mari iussit ambulare, & quia titubauit, illicò reprehendit, quod doni gratiam, fidei pusillanimitate minuisset. Dedit etiam Discipulis, vt lux mundi essent per gratiam, qui erat ipse lux mũdi. Qui descensurus esset de Cœlo, & in Cœlum ascẽsurus, Eliam ad Cœlum leuauit, inde cum terris complacito redditurus tempore. Baptizãdis quoque in Spiritu Sancto, & igni, per Ioannem baptismatis Sacramenta præmisit. Omnia denique donauit Discipulis suis, de quibus ait. In nomine meo Dęmonia eijcient &c. Omnia ergo hæc dedit. *Ecce* repetit Vualdesis, *claues Petri quid sunt, cum nec ipsi habeant fidẽ Petri, nec eius hæreditatem, qui donari in Ecclesia peccata negant, cum Petro dictum sit, Tibi dabo claues Regni Cælorum quodcumque ligaueris &c. Ergo hæ sunt Claues datæ Petro, & Apostolis de donatione, & dimissione criminum, & cuius iuris sunt, vel auctoritatis, Paulus ipse manifestat, non solum prædicando, vel dicendo ad Populum, Christum dimittere. Sed ipse in Persona sua exequens, & donationem factam per alios ipse confirmãs in Persona Christi. Et in hoc ius sibi sui Domini vendicauit, inquit.*

Am-

(a) *Epist. 2. ad Corinth. c. 2.* (b) *Ian. c. 14.*

Digitized by Google

Ambrosius, quia Dominus hoc dedit Discipulis facere, quod suum erat, quia, & maiora facere quã ipse fecit. Est ergo potestas clauiũ vera peccatorum dimissio, aut obduratorũ detentio; & ius illud, vel auctoritas idẽ in eis, & in Christo: q.d. quidquid sit, sit vtique in Persona Christi. Propterea nec ficitia, nec scientiæ, sed vera, & spiritualis potestas, &c. quam Romanus Pontifex legitimus Petri succesſor, & super iure positiuo dispensare, & indulgentias Christi fidelibus erogare Sanctos canonizare, & Regularium ordines confirmare summum Ius habet ad seculi consummationem permansurum. Contrarium autem asserere, inquit noster Guido de Perpiniano, siue de Terrena, Maioricensis Episcopus, (a) *Tertius error eorum hæreticorum est, quod Papa neminẽ potest absoluere, nisi foret ita Sanctus sicut B. Petrus, & in tanta paupertate, & in tanta humilitate, sicut ipse fuit.*

Ita igitur exhausta Hæreticorum pharetra, non habent in posterum ipsi, quo Romanos Pontifices legitimos Petri Succesſores, vlterius impetere possint.

Ad Deum, Patrem luminum, à (b) quo omne datum optimum, & omne donum perfectum super nos descendit,

PERORATIO.

GRatias tibi ago innumeras Domine Deus meus, qui dirigens me ab initio, ad finem beatè perduxisti huius operis, (c) *à me puero tuo, & filio Ancillæ tuæ,* ad emoliendas Satanæ machinationes, & ad Populos Hæreticorum tenebris excæcatos illuminandos, sapientia ab excelso sedum tuarum missa auxiliante, dilucidè, elucubrati. Iccircò Te totis viribus deprecor, vt hæ (d) *paruulorum humilium, sagittæ,* sicut noster Incognitus ait, in Hæreticorũ plagas fiant, è quibus die, ac nocte in veræ pœnitentiæ argumentum, Lachrymæ profluant; eo quod, (e) *dereliquerunt Te fontem aquæ viuæ, & quæ*

(a) Lib. hæres. (b) Epist. Iacobi 1. (c) Psal. 85. (d) To. 2. psal. 73. (e) Ierc. c. 2.

Digitized by Google

quæsierunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Domine misericors, & miserator, inquam cum Augustino, (a) *longanimis, & multum misericors, & verax, qui facis oriri solem tuum super bonos, & malos, & pluis super Iustos, & Iniustos; qui parcis, & corripis, da eis locum pœnitentiæ, vt relicta malitia, credant in te* Domine: fac quęso, *vt redeant ad te filij dissertores, vt satientur ab vberibus consolationis tuæ; non enim ipsis potest esse Verbum veritatis, in prædicatione regalę falsitatis.* Oculos igitur eorum illumina, & cordā cōtū dura omninò disrumpe, vt Te Deum verum, & viuum videant, agnoscant, & inueritate sequantur. Tu qui non vis mortem peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant; benè viuere ergo semper, per illuminationem eis tribue. Tunc enim prodest vnicuique benè viuere, cum dētur illi semper viuere: cui enim non datur semper viuere quid prodest ei benè viuere? quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem semper viuendi, vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflammationem contemnunt. Non est enim cuiquam spes vera, & certa semper viuendi, nisi falsitatem respuat, & veritatem, quæ est in Christo Iesu, & in eius sacra Sponsa, Sancta Ecclesia, Catholica, Apostolica, Romana, agnoscat. Tu demū, qui de more infirma mundi elegis, vt fortia quoque cōfundas. *Age etiam* Domine, dicam cum Nāzianzeno, *& fac, vt linguam, & manum, quos specialiter pro decore domus tuę tibi consecrauit, optare digneris; mea semper tibi de te, pro te loquatur lingua, numquā laxetur manus; vt vsque ad extremum vitę alitum pugnet pro te, & confundat insurgētes in te,* & contra Ecclesiam Sanctam tuam, pro cuius honore meo capite dimicaturum, & sanguinem me effusurum, *docendo iniquos tuos*, pollicor: etenim (b) *Zelus Domus tuę comedit me*, nēpè, inquit Sylverius, *vehemens amor, ac summum studium reuerentię Domus tuæ, veluti ardentissima facula adeo inflammauit me, vt*

(a) Tom. 6. Serm. lib. de nat. boni. (b) Tom. 2. Euang. c. 2. q. 14. in expos.


Digitized by Google

vt omni contempto periculo, nullus resideat vitæ amor, mortis horror, honorum, commodorumque cupiditas: sed tãtum cultus, & reuerentia Domus Dei, vndique me teneat; etenim, vt refert Incognitus; quando(c) *Domus Dei ab Impijs malè tractatur*; tunc quod absit, *opprobrium Deo Patri refertur*: cui aliud non sit, nisi Laus, potestas, & Imperium; Beatissimæ Virgini Mariæ Carmelitarum singulari Patronæ, Magno Patriarchæ Eliæ eorum fundatori, & omnibus Sãctis, honor, & gloria per infinita secula seculorum Amen.

Et sicut in exordio dixi omnia correctioni Sanctæ Matris meæ Ecclesiæ, Apostolicæ, Catholicæ Romanæ, veræ fidei Magistræ, & Columnæ veritatis, subijcio.

(c) *Tom. 2. psal. 68. n. 1100.*

FINIS.



IN-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google